

# M. TULLII CICERONIS

SCRIPTA QUAE MANSERUNT OMNIA.

RECOGNOVIT

REINHOLDUS KLOTZ.

PARTIS IV. VOL. II.

CONTINENS

DE NATURA DEORUM LIBROS TRES, DE DIVINATIONE LIBROS DUOS,  
LIBRI DE FATO QUAE MANSERUNT,  
LIBRORUM DE RE PUBLICA SEX QUAE MANSERUNT,  
DE LEGIBUS LIBROS TRES.



LIPSIAE

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXIV.

## PROOEMIUM EDITORIS.

---

Etiam in iis M. Tullii de philosophia libris, qui hoc volumine continentur, ita versatus sum, ut omnibus quoad eius fieri posset adiumentis criticis exhibitis scriptoris orationem sedulo recognoscere et non nunquam ex mea aut aliorum conjectura, saepius ex antiquis libris traditam nobis ab aliis scripturam emendarem. Et in libris quidem *de natura deorum* praeter Orellianam operam in his libris superiore tempore positam et editionem G. H. Moseri minorem (Lipsiae MDCCXXI. editam), quam nuper G. F. Schoemannum optime de his libris meritum viderem, eius potissimum iudiciis usus sum, quamquam non diffiteor multum me etiam quam aliorum libris et disputationibus tum editione coniunctis G. H. Moseri et Fr. Creuzeri studiis parata (Lipsiae MDCCXVIII.) adiutum esse, quippe quae codicum scripturas bonae frugis multas neglectas ab aliis mihi suppeditaverit. In libris *de divinatione* duobus itemque in fragmento *de fato* usus sum editionibus Io. Casp. Orellii (Turici MDCCXXVIII. edita), G. H. Moseri, quam is una cum Fr. Creuzero et Car. Phil. Kaysero paravit (Francfurti ad Moenum MDCCXXVIII.), H. Alani (Londinii MDCCXXXIX. edita), tum A. O. L. Giese, qui solos libros de divinatione edidit (Lipsiae MDCCXXIX.), conquisitis etiam, quantum fieri poterat, aliorum scriptis minoribus, qui de singulis eorum librorum locis disputaverunt. In fragmentis librorum *de re publica* recognoscendis praeter superiores editiones, quas omnes enumerare longum est, potissimum usus sum editione A. Maii altera (Romae MDCCXXVIII. edita) et editione Frid. Osanni, quam is adiunctis etiam Guil. Frid. Ottonis adnotationibus summo studio et industria confecit (Gottingae MDCCXLVII.), in *Somnio autem Scipionis* in illis libris nunc recte reposito magno cum fructu etiam Lud. Jani editionem (Quedlinburgi et Lipsiae MDCCXLVIII editam) adhibui, ut taceam de eorum scriptis, qui de singulis eorum librorum locis disputaverunt. Denique in libris *de legibus*, de quibus libris Io. Nic. Madvigius quum *Emendationum in Ciceronis libros philosophicos* Particula I. (Hafniae MDCCXXVI. edita p. 1—107.), tum *Disputatione de emendandis Ciceronis libris de legibus* edita in *Opusec. Acad. alter.* (Hauniae MDCCXLII. p. 130—166.) egregie meritus est, praeter superiores editiones maxime editionibus Io. Bakii (Lugduni Batav. MDCCXLII.) et C. F. Feldhuegelii (Cizae MDCCCLII et LIII.) usus sum, ita tamen ut ne ea quidem, quae ab aliis disputata erant, negligenda putarem. Jam de singulis locis quae hoc loco commemoranda esse videantur fere haec sunt.

In libro *de natura deorum* l. cap. 1. §. 1. etsi quod vulgo legebatur: *quid est enim temeritate turpius etc.*, per se falsum non est, tamen, quod libri tantum non omnes pro *turpius* habent *fortius* scriptum, de Manutii conjectura *foedius* reponendum putavi. Facilius enim hoc quam *turpius* in *fortius* corrumpi potuit. Paulo post §. 2. de Davisii suspicione, qui ex imitatione huius loci apud Iul. Firmicum *mathem.* lib. I. p. 2. *enumerare* pro eo, quod in libris notis est, *annumerare* legendum proposuit, edidi. E margine ed. Cratandrinae alii *dinumerare* receperunt. Eadem §. extrema Madvigi ad Ciceronis libros *de finibus* p. 291. pro Coniunctivo *diudicetur*, quem miror etiam a Schoemann servatum esse, e libris optimis et plurimis Indicativum *diudicatur* reponendum esse vidit. Cap. 2. §. 3. scripsi *pure atque caste* e libris paucioribus. Illud enim, quod in permultis libris habetur *at caste*, non *ac caste*, sed *atq. caste* olim scriptum fuisse declarat. Paulo post *nec possunt — nec volunt* librorum auctoritatem cum Lambino secutus reposui pro vulgato *neque p. — neque volunt.* Tum item *pietas* pro *ita pietas* e libris bonis reponendum esse vidit Madvigi l. c. p. 428. Recepit hoc etiam Schoemannus. Mox ego scripsi e libris bonis: *cum qua simul sanctitatem et religionem tolli necesse est. et, quod vulgo ante sanctitatem legitur, potius infringit vim enunciati quam adiuuat.* §. 4. e libris bonis cum Orellio reposui *hominum vitae*. Schoemannus *vita hominum* servavit. In verborum collocatione item mihi peccasse videntur Orellius et Schoemannus, quod auctore Heindorfio cap. 4. §. 9. ediderunt *Hortata est etiam* pro eo, quod in multis et bonis libris legitur: *Hortata etiam est etiam* non recte mihi videntur fecisse iidem critici, quod auctore Davisio e paucioribus libris ediderunt: *Est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut aliae ex aliis nexae et omnes inter se aptae colligataeque videantur.* Nam quum pro Plurali *aliae ex aliis* in permultis libris Singularis legatur *alia ex alia nexa*, facile autem intelligatur eum numerum propter ea, quae sequuntur, verba: *et omnes inter se aptae colligataeque videantur*, commutatum esse cum altero, mihi videtur nullo modo posse dubitari quin Singularis retinendus sit, qui numerus etiam alias in eius modi locis a Latinis obtinetur. Cap. 5. §. 10. etsi minus concinnum est, quod in libris legitur: *Non enim tam auctores in disputando quoniam rationis momenta querenda sunt, pro eo, quod e vestigiis non nullorum librorum repositum est auctoritatis*, recte tamen mihi librorum scripturam G. H. Moserus defendisse videtur, cuius vide maiorem editionem p. 21. §. 11. recte iam Schoemannus e libris plurimis et optimis *admirantur* pro vulgato *mirantur* reposuit, in eo tamen falsus, quod paulo post e libris paucioribus nec optimis reposuit cum Orellio *desertarum derelictarumque rerum patrocinium suscepimus*. Quum in libris plerisque *relictarumque* legatur, facile apparet propter antecedens verbum etiam alteri Praepositionem loquelarem appositam esse. Tantum autem abest ut locis eius modi, qualis est *Accusatio-*

*nis lib. III. cap. 51. §. 120. ut permulti locupletes homines — agros latos ac fertiles deserenter totasque arationes derelinquerent, moveant, ut ibi quoque ex optimo cod. Lagomarsiniano 42. reponendum esse existimem relinquenter. Relictae possessiones eodem modo leguntur in oratione *de lege agrar.* l. cap. 1. §. 3. §. 11. extrema *eastit* pro vulgato *existit* de Heindorfii conjectura auctore etiam Schoemannus scribendum putavi et ordinem verborum: *quia visum quendam habent insignem etc.* pro vulgato *quia visum haberent quendam insignem etc.* ex libris multis et bonis adoptavi. Cap. 6. §. 13. cum Schoemannus quod est in libris *ut in Synephebis* pro eo, quod Orellius aliquique reposerunt: *ut ille in Synephebis*, tum autem e libris multis ac bonis collocationem verborum *hanc in civitate fieri pro vulgata fieri in civitate* restitui. Cap. 7. §. 16. quum multi sane libri in verbis his: *M. enim Piso si adesset, Particulam enim omittant, quae sententiam turbat potius quam adiuvat, eam ex compendio Praenominis *M.* natam esse existimo, itaque delevi.* Paulo post ex consensu meliorum codicum duxi et verborum collocationem hanc *quo de libro, Balbe, velim scire quid sentias,* quae orationem etiam concinnorem habet quam vulgata: *quo de libro velim scire, Balbe, quid sentias,* et mox §. 17. scripsi: *Verum hoc alias, pro vulgato: Verum haec alias.* Cap. 8. §. 18. recte Heindorfius *proneam litteris Latinis* scribendum esse censuit, quem ad modum hoc nomen et infra §. 20. scriptum est et hoc loco in optimis libris habetur. Paulo post nullo modo possum probare, quod Schoemannus auctore Heindorfio contra codicum auctoritatem scripsit *rotundum, volubilem, ardente deum* pro vulgato *rotundum, ardente, volubilem deum.* Poterit enim aliquid non solum propter rotunditatem, verum etiam propter ardorem esse volabile, ut illa verborum series non videatur esse necessaria. §. 19. recte Schoemannus *animi post oculis adiectum in libris tutatus est,* illud autem non ausus sum recipere, quod scripsit *ad animum adficendum pariendosque sensus* pro vulgato *ad animum efficiendum etc.* *animus* enim hoc loco non *τὸ φόριον*, sed *τὴν ψυχὴν* videtur significare, qua de re praeter Davisium iam posteriores philosophi, quos ille laudavit, exposuerunt. §. 19. edidi, id quod est in libris optimis uno consensu scriptum: *Sed illa palmaris, quod, qui non modo etc. pro vulgato: Sed illa palmaris quidem, quod qui etc.* Nam quod edidit Schoemannus: *quod idem, qui non modo etc.* tum demum verum *esset, si quidem in libris haberetur, quod secus est.* Tum quae sunt in libris omnibus verba Victorio auctore et Bouhierio ita interpunkta retinui: *Pronoea vero si vestra est, Lucili, eadem requiro, quae paullo ante, ministros etc., id est, Pronoea vero si talis est, quale vos statuitis, Lucili, eadem requiro, quae etc.* Huic recte opponi potest: *sin alia est, [requiro] cur mortalem fecerit etc.* Putidius est et id, quod scripsit Schoemannus: *Pronoea vero vestra si eadem est, Lucili, eadem requiro, quae etc.* et illud, quod Orellius recepit: *Pronoea vero si vestra est, Lucili, eadem: requiro, quae etc.* Cap. 9. §. 22. auctoritas optimorum libro-*

rum requirebat, ut scriberem *circumscrip<sup>tio</sup> temporum* pro vulgato ordine *temporum circumscrip<sup>tio</sup>*. Cap. 10. §. 23. *animi natura intelligentis* de Ernestii conjectura, quam multi iudicio suo comprobaverunt, scripsi, Schoemannus nuper de Eichstadii suspicione edidit: *animi natura et intelligentia*. Dein §. 24. ex libris tantum non omnibus scribendum erat *neget ullam esse pro vulgato ullam neget esse*, quod Orellius etiam et Schoemannus retinuerunt. Paulo post plenioram interpunctionem post *insistere* feci auctore Madvigio ad Ciceronis libros *de finibus* p. 476. Nec tamen ausus sum mutare verba corrupta: *si minima ex parte significetur*, quae Schoemannus nuper ita scripsit: *si minima ex parte sic adficiatur*. Paulo post ex librorum auctoritate *mundi partes pro partes mundi* scribendum fuit. §. 25. scripsi cum Davisio e cod. Palat. sec. et Wower.: *Qualia vero alia sint pro alia*, quod vulgo omissum est, Schoemannus *caetera* proposuit. Orellii interpunctionem a Beiero adsumptam: *qualia vero sint, ab ultimo repetam, superiorum*, nihil moror. Deinde in loco lacunoso, quod ego scripsi: *Si di possunt esse sine sensu et mente, cur aquae [mentem, mentem autem aquae] adiunxit etc.*, facile appareat qui verba suppleta excidere potuerint. Paulo post §. 26. librorum consensus flagitavit, ut scriberem *deceat esse*. Minus recte Schoemannus *esse deceat* nuper revocavit. Eadem norma est cap. 11. in verbis *voluit esse*, quae ego eadem de causa ita collocavi. Eodem cap. §. 28. in loco admodum dubio scripsi: *Nam Parmenides quidem conventicium quiddam coronae simile efficit — stephanen appellant —, continentem ardorem lucis orbem, qui etc.*, quae verba cum iis, quae in libris sunt, maxime convenient. Quae in iis sit sententia facile intelligitur. Unum hoc commemo<sup>r</sup>o, *conventicium quiddam* etiam si sine exemplo hoc est, proprie id, quod conveniat, dici mihi videri. Cap. 12. §. 29. et librorum auctoritas et ipsa ratio sententiae postulavit, ut reponerem: *Quattuor enim naturas, ex quibus omnia constare censem, divinas esse vult*, quibus in verbis vulgo nunc scribitur paucorum librorum incerto indicio *constare vult*, *divinas esse censem*, quod miror servatum esse a Schoemann. Etiam §. 30. non minus librorum auctoritas quam ipsa sententia requisivit, ut *inter se pro inter sese scriberetur*. §. 31 extr. scripsi *quae de Platone vidimus*. In libris legitur *dicimus*, quod nuper erat in *diximus* mutatum. Cap. 13. §. 33. Aristotelesque et libris fere cunctis pro *Aristoteles quoque* recepi, et paulo post negationem ante *dissentiens* in libris omissam de Manutii conjectura cum caeteris editoribus servavi. Tum *alium quemdam* ex consensu librorum restitui pro vulgato *quemdam alium*, itemque §. 34. *cuius in libris scripsi pro in cuius libris*. Paulo ante §. 33. *mundum movere* pro *mundus moveri* de Ernestii conjectura est. Eadem §. *et tum .... modo mundum, tum mentem etc.* propter libros lacunam statui esse. Cap. 14. §. 36. recte Schoemannus iam esse post *dicit* cum libris omisit. Paulo post Orellius recte *per omnium naturam rerum* auctore Elvenichio totatus est. Postea verba: *id est, originem deorum*, quis

in omnibus libris habentur, etsi glossematis speciem prae se ferunt, uncis tamen toleranda putavi, quibus illa verba mihi de glossemate suspecta esse significavi. Cap. 15. §. 38. in verbis: *At Persaeus, eiusdem Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos etc.*, quum optimi ac plurimi libri *dicit* omittant, unus *sic* eo loco scriptum exhibeat, suspicor olim pro *dicit* scriptum fuisse *ait*, quod ante *abitos* facile potuit omitti. Eodem cap. §. 39. apparat verba *fatalem umbram* esse corrupta et id, quod in paucis libris scriptum est, *fatalem vim* e conjectura esse natum propter ipsam codicum scripturam parum probabili. Scripsi igitur *fatalem vim ipsam*, quod in continua scriptione *umbram*, praesertim si compendium accessit, fortasse hoc *upsa*, facile in *umbram* corrumpi potuit. Paulo post librorum auctoritas flagitavit ut scriberem: *atque etiam homines eos pro vulgato atque homines etiam eos*. §. 41. mihi quoque Ernestii correctio *ne suspicati quidem sunt pro vulgato ne s. quidem sint* necessaria visa est. Cap. 16. §. 42. librorum auctoritate et ipsa nominum significatione ductus hanc verborum collocationem restitui: *bella, proelia, pugnas, vulnera, pro vulgata: bella, pugnas, proelia, vulnera*. Mox *dissidia* pro *dissidia* recte iam Schoemannus restituit. Eadem §. extrema tamen dubitari potest fueritne olim *immortalib.* i. e. *immortalibus* pro *immortali* scriptum, quod cum Orellio ac Schoemann toleravi. Cap. 18. §. 46. *forma alia pro alia forma* e plurimorum librorum testimonio recepi et §. 48. *pulcherrima est* pro *pulcherrima sit* de Madvigii conjectura ad Ciceronis libros *de finibus* p. 448. proposita auctore etiam Schoemann scripsi. Cap. 19. §. 49. in dubia librorum auctoritate viderat et tractat scribere malui quam videbit et tractet. Eadem §. in verbis his: *quam infinita simillimarum imaginum species ex innumerabilibus individuis existat et ad nos affluat*, quod vulgo legebatur *ad deos affluat*, ad hunc locum ineptum est. Quam ob rem alii alia proposuerunt, Schoemannus nuper *a deo affluat* scripsit de Manutii sententia. Ego de Lambini conjectura edidi *ad nos*, quoniam in multis libris *ad eos* scriptum est, ut unius litterae mutatione nostra scriptura nascatur. Eodem modo infra cap. 26. §. 74. pro *inter nos* in Cod. D. scriptum est *inter eos*, correctum ab altera manu. Vide Moseri et Creuzeri edit. p. 118. b. Cap. 19 extr. §. 51. recte iam Schoemannus Orellii errorem, qui *tum in maximis pro quum in maximis* scripsit, corredit. Cap. 20. §. 54. et *figurae pro atque figurae plurimorum et optimorum librorum auctoritate ductus* scripsi. Paulo post §. 55 extr. recte iam Madvigi l. c. p. 571. viderat illud fere libris flagitantibus et postulante Latinitate et ante *coniectores* esse omitendum, quod miror ab Orellio et Schoemann potuisse servari. Eodem §. cap. 56. male Schoemannus auctore Heindorfio *quidem post mihi addidit*. Particula libri meliores omnes carent. Cap. 21. §. 58. non notandum, sed prorsus expellendum glossema fuit e verbis his: *Saepe enim de L. Crasso familiari illo tuo videor audisse*, praesertim *cum in libris melioribus ipsis verba L. Crasso non haberentur*. Paulo post uberioris *id e melioribus libris* scribendum fuit pro

*id uberiorius*, itemque de re obscura atque difficili pro eo, quod Orellius et Schoemannus scripserunt: de re obscura atque difficilima, quod iam per se ipsum inconcinnum est. Cap. 22. §. 60. e plurimorum et optimorum librorum auctoritate reponendum putavi: *Quia quanto diutius considero, inquit, tanto etc.* pro vulgato: *Quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto etc.*, quod discindit male sententiam et inventum est ab librariis iis, qui inquit ab initio enunciati noluerunt longius removeri. Cap. 23. §. 62. libris obsecutus et argumentum esse pro esse argumentum et tibi notae pro notae tibi edidi. §. autem 63. in verbis *quam in principio libri sui sic posuisset*, Pronomen *sui*, quod neque librorum auctoritate magno opere confirmatur neque vim ullam eo loco habet, omisi. Paulo post in versu Lucilii a plerisque aut ante Neptuni filius in dubitationem vocatum est, tamen veritus sum librorum auctoritatem immutare, quum intelligi certe posset aut eo loco positum. Mox §. 64. hoc est pro est hoc necessario erat ex optimorum librorum consensu scribendum. §. 65. hunc locum: *Quae primum nullae sunt etc. lacunosum esse non inscite existimavit Schoemannus el. Academic. post. lib. I. cap. 7. §. 27.* quae primum nullae sunt: nihil est enim in rerum natura minimum, quod dividi nequeat: deinde, ut sint, moveri per inane non possunt, si quidem id dicis inane, quod vacet corpore: corporibus autem omnis obsidetur locus. §. 68. recte Schoemannus ex librīs, in quibus est: id natum aliquando sit, quod est natum e scriptura aliquandost, scripsit id natum aliquando est, quem ego secutus sum. Eadem §. extrema scripsi tamquam sanguinem pro vulgato quasi sanguinem ex librīs tantum non omnibus auctore etiam Davisio. Conf. infra cap. 25. §. 71. Cap. 25. §. 70. diunctionibus scripsi pro disjunctionibus, quod in librīs optimis est deunctionibus. Paulo post e librīs scripsi alterum utrum verum esse pro vulgato alterutrum verum esse. Eodem modo paulo post alterum utrum restitui. Deinde scripsi ex optimorum librūm consensu: quo quid dici potuit obtusius? pro vulgato quo quid dici potest obtusius? Tum Zenon pro Zeno e librīs restitui et Nihil horum nisi calde ex plurimorum librūm consensu, in quibus est valde pro callide scriptum, restitui. Sic sententia nascitur ad h. l. maxime accommodata. De verbi *caldus* significacione dixi in *Lexico Latin. ling. s. v.* vol. 1. 736. a. Cap. 26. §. 71. e librīs optimis et plurimis recepi in ceris pro in cereis, quod etiam ad ipsam sententiam optime congruit, modo ne Praepositionem in repeatas in sequenti Ablativo fictilibus figuris. §. 72. de conjectura mea, ut puto, necessaria scripsi: quod ei non praedicant tamen facile equidem crederem, sicuti mali aedificii domino glorianti se architectum non habuisse, pro vulgato: quod et non praedicant etc. Pronomen *ei* propter comparationem, quae sequitur, ab ipsa sententia totius loci requiritur. Paulo post item de conjectura mea scripsi: *Nihil enim ei olet ex Academia, nihil ex Lyceo etc. pro vulgato: Nihil enim olet etc.* In librīs enim plurimis et optimis non olet simpliciter scriptum est, sed floret, ut facile appa-

reat antiquitus *EIOLET* in *FLORET* esse commutatum. In iis autem librīs, in quibus enim olet simpliciter habetur, appareat ei post ēi compendium esse oblitteratum. Etiam istuc, quod scripsi §. 73. pro vulgato istud, ex optimis et plurimis librīs adsumptum est. Cap. 27. §. 75. dicemus igitur pro vulgato dicemus ergo ex librūm optimorum con-

sensu restitui. Confusa compendia *g* et *g* inter se sunt. Postea §. 77. Omnino quis tam caecus etc. scripsi de Davisii conjectura, quod in plerisque librīs *omnium* eo loco legitur. Orellius nuper et Schoemannus auctore Heindorfio e paucioribus librīs *Elenin* quis etc. ediderunt. Eadem §. ex optimorum librūm consensu *homine pulcrius nihil videatur* scripsi pro vulgato *homine nihil pulcrius videatur*. In his Schoemannus videbatur pro videatur scripsit. Paulo post ex optimorum librūm testimonio scripsi et *quam sui sit lena natura* pro vulgato *et quasi sui sit lena natura*, quibus in verbis quasi ne suo quidem loco esset collocatum: quam facile autem quasi ex *quā sui nasci* potuerit appearat. Cap. 28. §. 79. fortasse visust etiam contra libros recipere debbam. Paulo post *Huic deo pulchrior ex librīs* scripsi. Orellius scripsit: *Huic ille deo pulchrior*, Schoemannus *Huic pulchrior deo*. Cap. 29. §. 81. scripsi de conjectura mea in *Nov. annal. philol. et paedag. vol. LXXI. p. 203.* proposita: *Nobis fortasse sic occurrit, ut dicis: a parvis enim Iovem, Iunonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos ea facie novimus, pro vulgato: Nobis fortasse sic occurrit, ut dicis: Iovem, Iunonem — ea facie novimus* in quo et Asyndeton post dicis offendit nec librūm auctoritas servatur, in quibus eo loco corrupta verba *apparuisse* leguntur vulgo ovissa, in quibus latere *apparuisse* facile intelligitur. Eodem modo apud Ciceronem de *legibus* lib. II. cap. 4. §. 9. *a parvis enim in apparuisse enim, apparuisse uīm, apparuisse mi corruptum est.* §. 82. scripsi e librīs *spoliata pro expoliata et Argia pro Argiva*. *Argia* a Graecorum *Aoysla* etiam in *Disputationibus Tuscul.* lib. I. cap. 47. §. 113. tutandum fuit. Paulo post miror Schoemannum recepisse *alia nobis* post verba *alia Lanuinis*, quae verba aperte e *διττογαρίᾳ* in paucos librīs illata sunt. Cap. 30. §. 83. quum in librīs tantum non omnibus librīs illata sunt. *Et quidem laudamus* non simpliciter scriptum esset, ut vulgo edunt: *Et quidem laudamus* *Athenis Vulcanum etc., sed Et quidem laudamus esse Athenis Vulcanum etc.*, appareat verum non esse, quod vulgo legitur. Suspicio ex compendio sc. natum esse esse et scripsi dubitans: *Et quidem laudamus [scilicet] Athenis etc.* Paulo post esse deos pro deos esse ex librīs bonis recepi. §. 85. Nec satis Latine dicitur *humano visu ea sententia neque uisu eo loco in librīs est, quapropter lacunae signa*

eo loco feci, quum suspicarē post *humano excidisse m*, id est, modo. Tum *tali aliquo*, id est, *eius modi aliquo toleravi*, etsi *alio aliquo*, quod nuper etiam Schoemannus recepit, non longe a librūm vestigiis recedit. Deinde *numerantes*, quod in librīs est, retinui, quod si reti-

nebimus, ita explicandum erit, ut sit: Novi ego Epicureis omnia sigilla in numero esse, id est, numerari pro dis. Quamquam conjectura *venerantes*, si comparas cap. 27. §. 77., multum quo se commendet habet. Mox cap. 31. improbo quod Schoemannus fecerat scripsit pro fecerit contra omnes libros. Ibidem §. 86. scripsi dicat aliquid iste pro vulgato aliquid dicat iste. Schoemannus nuper e paucis libris esse pro iste edidit. §. 88. de verbis: *Quae sunt tantaes animi angustiae?* Ut, si etc. conferas Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 531. Eadem §. extrema auctore Schoemannu scripsi: *Et tu quidem — argumenta sententiae conclusisti; pro vulgato argumenti sententiam conclusisti.* Conferas etiam Madvigium l. c. p. 66. Cap. 32. §. 91. putamus in terras scripsi, id quod occupavit iam Schoemannus, pro vulgato in terras putamus. Contra collocationem verborum consensu librorum optimorum maxime commendatam *ut essemus similes deorum* pro vulgato *ut deorum similes essemus*, ante me a Davisio accepit Orellius, neglexit Schoemannus. Cap. 33. §. 93. scripsi e libris optimis et plurimis Aristotelem vexaril contumeliosissime pro vulgato contumeliosissime Aristotelem vexaverit. In verborum collocazione idem fecit Schoemannus. Eadem §. extrema non ante nihil in libris omissum ego quoque restituendum putavi et cursivis, quas dicunt, litteris meo more significavi non in libris non esse, quod contra ubi verba, quae sunt in libris, in suspicionem adduco, rectis litteris, non inclinati intra uncos uti soleo. Cap. 34. §. eadem e librorum optimorum et plurimorum indicio *Chrysippam* pro *Chesippum* restitui, quam scripturam optime iam tutatus est Creuzeru p. 156. Non Zenone modo, qui faceret, verum etiam Cicerone, qui repeteret, iocum illum, qui est in Chesippi nomine, indignum esse existimo. §. 94. ex optimis et plurimis libris restitui *eandem hominum esse* pro vulgato *eandem esse hominum*. Eodem cap. §. 96. impr. eadem quod Schoemannus scripsit: *Ratio, inquis, docuit, ex aperto glossemate pro librorum auctoritate Ratio docuit, quae per se recte intelligi potest.* Nec magis probo, quod idem vir doctissimus scripsit paulo post in verbis his: *Ad similitudinem enim deo proprius accedebat humana virtus quam figura, pro eo, quod in libris est deo, potius dei.* Non sine idonea causa hoc loco Cicero vocem *ad similitudinem* per se stare voluit, ut ea ipsa notio magis efferreretur, proinde quasi nostrorum Ciceronum more modoque dicas: *quod ad similitudinem ipsam attinet, deo proprius accedebat humana virtus quam figura.* Cap. 36. §. 100. falso Schoemannus nuper in verbis his: *Qui etiam si aberrant a conjectura, omisit a Praepositionem.* Etiam in oratione *Philippica XII.* cap. 9. §. 23. recte legitur: *attendite num aberret a conjectura suspicio periculi met.* Conjectura est tum verus ille finis, quo tendimus. Etiam in Ciceronis *ad Atticum* lib. XIV. cap. 22. §. 1. Cratander a adiungi voluit, etiam si ibi alio quodam modo simplex Ablativus ferri potest. Paulo post scripsit Schoemannus contra libros meliores: *Et barbati quidem Iovis et galeatae Minervae etc., ut et vulgo omissum ante galeatae*

adderet. Recte iam Orellius iudicavit ipsam sententiam, quae inest in illis nominibus, Asyndeton commendare. Particula autem etiam eo fit suspecta, quod, quum plurimi libri et optimi nullam habeant, pauciores partim et *galeatae*, partim *galeataeque* legunt, ut glossema apertum esse videatur. §. 101. tribuunt auctore etiam Schoemannu pro *tribuant* e libris restitui. Cap. 37. §. 103. cur *igne nasci* potius ex libris plurimis et optimis scriperim quam *igni*, ut vulgo legitur, ii recte iudicabunt qui didicerunt quid discriminis inter istas formas intercedat. Paulo post idonea causa non erat quam ob rem *porro* pro *postremo* contra libros scriberetur a novissimis editoribus. In his veteres non vereri solebant id, quod modo dixerant, repetere, id quod etiam in eius modi Particulis aliis facile agnoscitur. Cap. 38. §. 105. nec *habent ullam* e libris scripsi pro vulgato *nec ullam habent*. Eodem cap. §. 107. scripsi ex optimorum et plurimorum librorum auctoritate: *Fac imagines esse, quibus pulsuntur animi, species dumtaxat obiicitur quaedam, non etiam cur ea beata sit, cur aeterna,* quibus in verbis facile appareat *ἄντο τὸν νοῦν* quid sit verbi intelligentium in extrema enunciatione. De verbis non etiam conferas Ciceronis locum nuper a me demum emendatum *ad Atticum* lib. IV. ep. 5. §. 2. *Dices eatus te suasisse, qua facerem, non etiam ut scriberem.* Ibidem *nec ea forma* a Lambino est. In libris legitur *nec ex forma.* Cap. 39. §. 109. non solum libri plurimi et optimi, verum etiam concinnitas orationis paene flagitavit, ut omissio et ante in aqua scriberem: *Isto modo, quoniam homines mortales sunt, sint aliqui immortales et, quoniam nascuntur in terra, nascantur in aqua.* Cap. 40. §. 111. quoniam in libris non legitur *earum Epicuri vocum*, sed *earundem* (vel *eadem*) *Epicuri vocum*, recte C. Lachmannus ad Lucretium vol. II. p. 220. vidit scribendum esse: *quos pudeat quarundam Epicuri vocum*, quam emendationem miror fugisse Schoemannum. Id olim scriptum fuit *carundam*, unde *earundem* et *eadem* et quae sunt eius modi manaverunt. §. 112. revocavi quod in libris tantum non omnibus legitur: *Ac poëtae quidem nectar ambrosiam epulas comparant.* Multo deterius est, quod Schoemannus antetulit: *nectar ambrosiamque epulas.* *epulas* recte iam explicavit Orellius. §. 113. miror scripturam falsam hanc: *Nam Philo etiam noster etc.*, etiam ab Orellio et Schoemannu esse toleratam. In libris optimis ac plurimis est: *Nam enim Philo noster etc.* Apparet compendia Particularum enim et etiam inter se esse confusa. Scripsi igitur id, quod sententia ipsa postulat: *Nam etiam Philo noster etc.* Cap. 41. §. 114. atomorum incursione scripsi e libris optimis et plurimis pro *incursione atomorum.* Cap. 42. §. 119. de versibus, qui adferuntur a Cicerone, conferri nunc poterit O. Ribbeckius in *Tragic. Latin. reliqu.* p. 205 et p. 208. Cap. 43. §. 120. Schoemannus nuper contra libros Coniunctivum *soleant* pro Indicativo *solent* posuit, quem ego nullo modo potui improbare. Cap. 44. §. 122. retinui cum caeteris criticis Praesens in verbis his: *quem diligimus, etsi illud, quod in bonis libris*

*est diligemus*, per se improbari non potest. Eodem cap. §. 123. scripsi auctore Ernestio cum Schoemanno et Wesenbergio in *Emendat. Tusculan.* II. p. V., *ut homunculi similem deum fingeret pro vulgato homunculus similem*, quod etsi in plurimis libris est, tamen appareat in continua scriptione *homunculus similem* facile potuisse ex altero nasci. Paulo post cum Schoemanno malui: *nihil gratificantem, omnino nihil curantem* scribere quam cum Orellio: *nihil gratificantem omnino, nihil curantem*, neque anteferenda erat ab Orellio collocatio verborum *nulla potest esse ei*, quae est in libris paene omnibus, *nulla esse potest*. Heindorfius in his quod saepe dictum est non satis recte semper dici voluit.

Lib. II. cap. I. §. 3. in verbis his: *Geram tibi morem etc.*, nolui auctore Heindorfio cum Schoemanno *igitur* post *geram* interponere e paucis libris, quum libri paene omnes eam vocem omitterent, quae certe necessaria hic non est. Dein cap. 2. §. 4. in versu Ennii scripsi illud, quod O. Ribbeckius et Io. Vahlenus receperunt: *Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes Iovem*, e vestigiis librorum Apuleii *de mundo* cap. 33. p. 363. Oudend. Vide omnino Fr. Ritschelium in *Museo Rhenan.* a. MDCCCL. p. 556 sqq. Nam apud Ciceronem libri non *sublimen*, sed *sublime* exhibent. Dein §. 5. de Lambini conjectura a Madvigio in *Opusc. Acad. alt.* p. 265. adn. commendata scripsi: *Qui enim est hoc illo evidentius?* pro vulgato: *Quid enim est etc.* Idem ante me fecit Schoemannus. Paulo post, quod nihil videatur esse causae quo minus *inveterare* transitive dicatur, *inveterare*, quod est in libris, retineo pro eo, quod vulgo scripserunt *inveterari*. §. autem 6. recte vidit Madvigi ad Ciceronis libros *de finibus* p. 804. et Particulam, quae in libris habetur ante vocem *praesentiam*, esse servandam, quam vulgo nunc deleverunt. Cap. 3. §. 7. pro eo, quod Orellius cum aliis edidit *quae futura sunt*, in libris nihil aliud est nisi *quae sint vel quae sunt*. Schoemannus nuper ea verba delevit, ego uncis circumdedi. Cap. eodem §. 9. scripsi cum Schoemanno *nulla, quum viri vocantur*, pro vulgato *nulli viri vocantur*. De re ipsa conferas Gellii *Noct. Att.* lib. XV. cap. 27. §. 3. Macrobi *Saturnal.* lib. I. cap. 16. Sabidium ap. Schol. Veron. ad Vergilii *Aen.* lib. X. v. 241. Cap. 4. §. 10. scripsi *ego primus rogator* pro vulgato *primus rogatorum*. Nam quum librorum auctoritas prope par sit, illud mihi anteferendum videtur, quod sententiam maxime perspicue declarat. De re conferas Ciceronis lib. *de divinatione* I. cap. 17. §. 33. lib. II. cap. 35. §. 74. Valerii Maximi lib. I. cap. 1. §. 3. Leve est quod §. 11. e *provincia* scripsi cum libris pro *ex provincia*, dubium autem utrum paulo post verba *hortos Scipionis* retinenda an corrigenda sint. Schoemannus nuper edidit *in hortis Scipionis* de Ernestii conjectura. Libri plerique habent *hortos Scipionis*, pauciores in *hortos Scipionis*. Cap. 5. §. 14. malui ego e libris optimis et plurimis scribere: *quas Graeci cometas, nostri cincinnatas vocant*, quam in his verbis vocem *crinitas* cum paucioribus libris servare. Nam

etsi posteriore tempore certum est vulgo cometas ab Latinis stellas crinitas vocatas esse, qua de re vide quae attulit Davisius ad h. l., tamen dubitari poterit quo nomine Ciceronis tempore appellarentur, et *cincinnatas* eas stellas dictas esse satis demonstrat Scholiasta ad *Iuvenalis sat.* VI. v. 207. Paulo post §. 15. scripsit nuper Schoemannus de Ernestii conjectura *acquabilitatem motus conversionem[que] caeli* pro vulgato *acquibilitatem motus, conversionem caeli.* Cap. 6. §. 16. servavi id, quod est in libris paene omnibus, quo illa confiduntur. Schoemannus nuper Lambino auctore et Heindorfo a ante quo addendum censuit. Paulo post restituí e libris *esse potest* pro Heindorfii *potest esse* et e librorum optimorum consensu scripsi: *In eo enim solo est ratio pro vulgato In eo enim solo ratio est.* Sic enim etiam vox *solo* magis effertur atque exstat. §. autem 17. *tantum ergo ornatum mundi* cum Schoemanno e libris plurimis et optimis restitui. Nam quod vulgo pro *ergo* legitur *vero*, nihil aliud de-

° °

monstrat nisi hoc, compendia *g* et *u* olim hic inter se esse confusa. Cap. 7. §. 20. *reprehensoris convicia* est de Davisii conjectura scriptum. Vulgo legebatur *reprehensoris vita*, quod videtur ortum esse e compendio *vitia*. Cap. 9. §. 23. ex libris optimis et plurimis restitui *quae alantur et quae crescent* pro vulgato *quae alantur et crescent*. Videtur etiam ipsa sententia repetitionem Pronominis relativi commendare. Dein §. 24. scripsi: *quin is nocte et die concequatur*. Nam quod vulgo legitur *die et nocte* ab iis profectum esse videtur, qui noluerunt noctem diei anteponi, quod hoc loco rectissime fit, quoniā cena capta primum nox, tum dies sequitur. §. 25. scripsi id, quod consensus librorum optimorum et plurimorum flagitavit, *et id maxime fieri temporibus hibernis*. Vulgo legebatur *et id maxime hibernis fieri temporibus*. Mox nunc omnes Indicativos *continet — fit — continet partim e libris restituerunt, ubi olim legebantur Coniunctivi continetur — sit — continueat.* Cap. 11. §. 29. quod scripsi *Ita pro vulgato Itaque e libris bonis adsumptum est.* Tum §. 30.. ubi in libris habentur haec verba: *Atque etiam mundi ille servor purior, perlucidior mobiliorque multo ob easque causas etc.*, malui post *multo* potius *est* inserere quam post *Atque*, ubi nunc Orellius et Schoemannus eam Particulam posuerunt. Quod si *multost* scriptum erat, facile obliterari Verbum substantivum potuit, quod eo loco ap-tissimum locum mihi videtur habere. Cap. 12. §. 32. *duos pro duo e libris* scripsi et §. 34. *hoc homini amplius e libris tantum non omnibus* cum Davisio et Schoemanno edidi pro vulgato *homini hoc amplius*. Cap. 13. §. 36. rursus repudiavi cum libris Heindorfianam rationem *aliter potest esse* et restitui *potest aliter esse*. Eo capite extremo §. 37. quod legitur in multis et bonis libris *quo pro cui*, declarat olim *qui pro cui ibi scriptum fuisse in libris*. Eadem §. cap. 14. restitui *quos terra gignit* cum libris pro vulgato *quos terra gignat*. Saepe numero enim ubi res tantum modo describitur Indi-

catius in eius modi locis ponitur, ut in *Disputationum Tuscul.* lib. I. cap. 1. §. 1. *quae philosophia dicitur*, vide *quae grammatici ad illum locum adnotaverunt*. Paulo post §. 38. per mihi mirum videtur, quod recepta post *neque ex uno aut altero libro enim* Particula nuper Orellius et Schoemannus scripserunt: *Sed mundus quoniam omnia complexus est, neque enim est quidquam, quod non sit in eo.*) perfectus undique est. Nam putidus sane explicaretur hoc *quoniam omnia complexus est* per verba separata haec: *neque enim est quidquam, quod non sit in eo.* Quanto elegantius et ad sententiam ipsam et ad externam verborum coniunctionem est illud, quod habetur in libris tantum non omnibus: *Sed mundus, quoniam omnia complexus est neque est quidquam quod non sit in eo, perfectus undique est.* Deinde eculeo pro equulo e libris bonis itemque hanc verborum collocationem nihil mundo perfectius pro vulgato mundo nihil perfectius restitui. Cap. 15. §. 40. totum locum sic constitui: *Nam solis et candor illustrior est quam ullius ignis, quippe qui immenso mundo tam longe lateque colluceat, et is eius tactus est etc.* Ac primum quidem et *candor* edidi propterea, quod in libris plerisque legitur *calor et candor*, in aliis *ardor et candor*, vel *ardor et calor*, quae corruptelae vix potuerant oriri, si simpliciter *solis candor* legeretur in libris, et autem si scriptum erat ante *candor* facile potuerunt librarii suspicari aliud nomen excidisse, refertur vero et ad verba, quae sequuntur: *et is eius tactus est, quasi scriptor voluerit pergere et tactus is etc.* Deinde in ante *immenso* cum libris tantum non omnibus omisi. *immenso mundo* non est simpliciter *in mundo immenso*, sed quum mundus immensus sit. Paulo post §. 42. id feci. quod ratio ipsa suadebat, ut e multis et bonis libris reponerem *animantia pro animalia et aetherium pro aethereum*. Cap. autem 16. §. 43. *aetheriam partem mundi* e consensu optimorum librorum revocavi pro vulgato *aetheream mundi partem*. §. 44. rursus Heindorfianam rationem reiciens e libris restitui: *quae enim potest maior esse?* pro eo, quod Orellius et Schoemannus scripserunt: *Quae enim potest esse maior?* Eadem §. extrema esse vulgo nuper ante existimem adiectum cum libris expunxi. Cap. 17. §. 45. edidi e libris plurimis et optimis, ut iam Davisius fecit, quo *nihil excellentius fieri potest*. Vulgo nunc legitur: *quo nihil fieri excellentius potest*. Dein §. 47. scripsi e librorum meliorum consensu *rationis mundum esse compotem* pro vulgato *rationis compotem esse mundum*. Cap. 18. §. 47. scripsi pro vulgato: *quumque duae formae praestantes sint ex auctoritate Nonii, qui p. 432, 19. ea verba adfert: quumque duae formae praestantissimae sint.* Quae autem deinceps sequuntur verba: *a medioque tantum absit extremum quantum idem a summo, in his extrema verba quantum idem a summo in optimis libris omissa sunt, quapropter uneis inclusi. Caetera fortasse hanc sententiam habuerunt: a medioque ubique tantumdem absit extremum.* Sed quis talia praestare potest? §. 48. miror Schoemannum in vulgata scriptura ne admonitu quidem Madvigii, cuius

couferas *Opusc. Acad. alt.* p. 163. an Particulum ante ne hoc quidem expunxisse, quam plurimi et optimi libri uno consensu omittunt. Eadem §. extrema male Heindorfio auctore Orellius et Schoemannus scripserunt *ut alia sit figura*. Libri tuerunt hanc verborum collocactionem *ut sit alia figura*. Cap. 19. §. 49. *tenet principatum e libris paene omnibus restituendum* putavi auctore etiam Orellio pro *obtinet principatum*, quod falso revocavit Schoemannus. Cap. eodem §. 50., ubi vulgo legebatur: *quae tum est aquilonaris, tum australis, quum vix dubitari posset quin in cod. archetypo scriptum fuerit quae tum est aquilenta aut australis — in ea enim lectione plerique libri consentiunt —, recepi conjecturam iam olim in quibusdam libris temptatam: quae tum est aquilonia aut australis.* *aquilonaris* certe alias apud M. Tullium non legitur. Cap. 20. §. 51. recepi Particulam autem ante *subsequuntur*, quae in multis libris habetur. Omitti eam posse quis negat? Sed tamen eodem iure, quo supra *rursus* ante *aperiuntur* positum est, poterat hic quoque Particula interponi, quae singulorum membrorum inter se responsionem adiuvaret. Paulo post §. 52. *delitiscendo pro delitescendo ex ed. Victoriana* recepi. Id enim non videtur in illam editionem pervenisse sine librorum auctoritate, vide quae scripsi in prooemio Part. II. vol. II. p. V. Cap. 21. §. 54. non credo recte egisse Schoemannum nuper, quod pro vulgato *non possum* Heindorfio auctore ex libris paucis nec optimis *non possumus* scripsit. Saepe numero enim etiam a prima persona universa nascitur sententia, neque ideo, quia deinceps Numerus pluralis habetur, iam hoc loco ille reponendus erat. Cap. 22. §. 57. in librorum auctoritate prope pari *ita naturam definit quam naturam ita definit* malui scribere. Paulo post §. 58. necessaria erat Madvigii (ad Ciceronis de finibus libros p. 656.) *correctio quaeque pro quaeque*, quam recepi cum Schoemannio. Cap. autem 23. §. 59. in verbis his *ut casus aut ictus extimescant optimorum ac plurimorum librorum auctoritate* delevi *aut* Particulam vulgo ante *casus* positam et scripsi e libris bonis *defatigatione* pro vulgato *defatigatione*. Paulo post §. 60. *a deo natum* cum Schoemannio restitui pro eo, quod e cod. Red. receperat Heindorfio auctore Orellius. Dein §. 61. *ea ipsa vis* scripsi pro *ea ipsa* cum libris plurimis et optimis. Pauciores libri *vis* omissunt, singuli eius loco *res* ponunt. Mihi videtur Cicero a prima notione rei paulum recessisse et pro re, in qua *vis* inest, vim posuisse: id, quod paene necesse fuit. Neque enim *res ipsa* appellatur deus. Mox recte iam Schoemannus *Fides consecrata* restituit pro eo, quod sine auctoritate Heindorfio auctore scripserat, *Spes consecrata*. Cap. 24. §. 62. malui propter constantem fere Ciceronis consuetudinem *Semeia natum* scribere quam *Semele natum*. Libri Davisii et Moseri idem tueri videntur. Ibid. §. 63. e librorum vestigiis credo recte eruisse iam veteres criticos hanc scripturam *opplevit scilicet exsectum*, quo aperte dicit quod fuisse videtur in cod. archetypo *opplevit*. Id enim olim fuisse credo *opplevit*. Alii hinc fieri voluerunt:

*opplevit esse exsectum etc.* Deinde vix est operaे precium me com-  
memorare a me scriptum esse caelestem enim altissimam aetheriamque  
naturam pro vulgato caelestem enim, altissimam aethereamque natu-  
ram. Vide etiam quae supra dixi ad cap. 15. §. 42. Cap. 25. §. 65  
de Eunii loco vide quae supra dixi ad cap. 2. §. 4. p. XII. Leve est;  
quod posui cap. 26. §. 66. ex optimorum librorum consensu effemina-  
verunt pro effeminarunt, gravius illud, quod postea pro interpolatione  
aperta e Maffaei libro usque adhuc propagata: *Is rapuit Proserpi-  
nam, quod Graecorum nomen est: ea enim est etc.* e caeteris libris  
scripti: *Cui Proserpinam, quod Graecorum nomen est, [nuptam di-  
cunt]: ea enim est etc.*, quibus in verbis incertum tamen supplemen-  
tum est *nuptam dicunt* e cod. Regio ductum. Cap. 27. §. 68. *apud  
nostros librorum auctoritate recte iam Schoemannus restituit pro apud  
nos.* Sed eodem iure §. 69. restituendum etiam erat *qua nocte natus  
Alexander esset* pro eo, quod Heindorfio auctore non satis caute  
Orellius et Schoemannus propagaverunt: *qua nocte natus esset Alexander.* Cap. 28. §. 70. in verbis his: *nec vero, ut fabulae ferunt,  
di bellis proelisque caruerunt, Nomen di non erat delendum ab Orellio  
ac Schoemannio, quod et librorum optimorum consensu confirmatur  
nec sua vi hoc loco caret.* Paulo post *duos* cum libris bonis scripsi  
liberi ediderunt pro eo, quod omnium paene librorum consensu con-  
firmatur, *sibi sui liberi*, quod recte Davisius tutatus est etiam Nonii  
auctoritate. Paulo post in verbis his *ex relegendo, ut elegantes ex  
eligendo, tamquam etc.* libri optimi et plurimi *ut ante elegantes ex  
omittunt.* Hinc scripsi: *ex 'relegendo' [elegantes ex 'eligendo'], tam-  
quam etc.* Credo enim verba *elegantes ex 'relegendo'* e glossemate  
sensu scripsi. Vulgo legunt *locus et*. Cap. 30. §. 75. librorum scri-  
pturam *eam esse generatam* restitui. Vulgo de conjectura scriptum  
libris scriptum est. Pro eo posuerat Orellius *Tertius locus est.* §. 77. scri-  
psi e libris melioribus omnibus: *Ab eo igitur mundum necesse est regi  
ex optimorum librorum vestigiis restitui pro vulgato hae.* Cap. 31.  
§. 79. *humano in genere recte iam Schoemannus e libris melioribus  
scripsit pro vulgato in genere humano.* Ibid. §. 79. scripsi *in terram  
terras nisi a superis.* §. 80. librorum auctoritas potius *Nihil autem  
est quam Nihil est autem flagitat.* Paulo post sine idonea librorum  
auctoritate Heindorfius *eum vulgo ante deorum positum ante admini-  
strari posuit, quem Schoemannus sequi non debebat.* Cap. 32. §. 81  
recte iam Schoemannus *geri pro regi*, quod Orellius vulgavit, cum  
libris optimis restituit. Paulo post quod scriptum habet Priscianus  
lib. IX. p. 848. *volumus pro volumus*, si re vera fuit in libris anti-  
quioribus, non differt nisi *scriptione a volumus*. Deinde non recte

auctore Heindorfio Orellius et Schoemannus esse censem ediderunt pro  
librorum auctoritate in hoc loco aptissima censem esse, nec postes  
sui similia pro similia sui eodem auctore debebant edere. Etiam cap. 33.  
§. 84. cum libris melioribus anteponendam putavi hanc verborum  
collocationem genera sint pro vulgata sint genera. Paulo post Schoemannus  
iam recte e libris inde aqua scripsit pro vulgato *ex aere aqua*.  
Postea ego sursus deorsus scripsi pro vulgato sursum deorsum. §. 85.  
ego librorum paene omnium scripturam *Aut igitur nihil est pro ea, quam  
Orellius et Schoemannus vulgaverunt Aut nihil igitur est revocavi.*  
Cap. 34. §. 87. e libris tantum non omnibus *Si igitur pro si ergo  
reposui.* Ibid. aut, *quum solarium cum libris edidi.* Vulgo nulla  
paene librorum auctoritate et *quum solarium* scripserunt. Cap. 35.  
§. 89. recte in versibus Accii Wessenbergius in *Emendat. M. Tullii  
Ciceronis Tuscul. II. p. V. undanti*, quod antiquitus *undantei* scriptum  
fuisse testantur libri, qui habent *undantes*, tutatus est. In ultimo  
autem versu *quum Ciceronis libri exhiberent eruit aut quid simile,*  
Prisciani, qui eumdem locum citavit, *de metris Terent.* p. 243. Lindem.  
*vomit*, de C. Lachmanni conjectura ad Lucretium proposita vol. II.  
p. 346. nuper scripsi O. Ribbeckius in *Tragic. Latin. reliqu.* p. 159.  
*erigit.* Mihi aptius et ad ipsam sententiam et ad librorum scripturam  
*euehit* visum est, quod reposui. Vulgo *eruit* legitur, quod cum Orellio  
Schoemannus retinuit. Paulo post *Sic aut inciti atque alacres rostris  
perfremunt Delphini* cum O. Ribbeckio scripsi. In libris fere *sicut  
inciti* legitur. Alii alia proposuerunt, vide Ribbeckium l. c. Cap. 36.  
§. 91. fortasse verum est *animabili*, quod nuper etiam Schoemannus  
recepit. Sed ego tamen auctoritate Probi ad Vergilii *Eclat. VI. v. 31.*  
cum Orellio *animali* recepi. Cap. 37. §. 95. *quum magnitudinem pro  
eo, quod miror ab Orellio et Schoemannio servatum esse, tum magni-  
tudinem etc.* ex optimorum Moseri librorum A. B. C. D. constanti  
testimonia restitui. Paulo post auctore etiam Orellio *quae quum vide-  
rent* retinui, pro quo nuper Schoemannus e paucis libris restituit  
*haec quum viderent.* Cap. 38. §. 97. *admirabili cum celeritate pro  
cum admirabili celeritate et excellenti pro excellente optimorum libro-  
rum auctoritate iam restituit Schoemannus.* Cap. 39. §. 98. recte  
Orellius cum libris paene omnibus *in media sede mundi* edidit, quem  
Schoemannus sequi debebat nec revocare *in media mundi sede.* §. 100.  
*cludit* Victorio, Lambino (*claudit*), Ernestio auctoribus scripsi pro  
vulgato *eludit*, et paulo post §. 101. *Exin pro Exinde* e libris multis ac  
bonis reposui. Cap. 40. §. 103. *lucis mutationes* Davisius auctore ex  
plurimis et optimis libris restitui pro *mutationes lucis.* §. 104. *ad-  
mirabilis esse* recte iam Schoemannus restituit pro *esse admirabilis.*  
Ibid. *ex notarum figurarum similitudine*, quod est in libris plerisque,  
revocavi, quod quam ob rem mutaretur causa nulla erat. Davisius  
pro *notarum* scribi voluit *nota*, Schoemannus nuper edidit *notata.*  
*ex notarum figurarum similitudine* significat id, quod nostri Cicerones  
dicunt: *propter similitudinem cum notis figuris.* Cap. 41. §. 105. *arctoe*  
cic. IV. 2. b

e consuetudine Ciceronis scripsi pro ἄρχοι. Is enim non facile Graeca verba infert in orationem suam. Formam autem *arctoe* propter summam similitudinem antiquarum formarum Latinarum facile ascitam esse ab Latinis in Graecis nominibus non est quod dicam. Cap. 42. §. 107. falso de conjectura *tum ante verba in primis suppletum* est. Significatio vocis *in primis* facile illo fulcro potest carere. Paulo post *aspicienda* scripsi e librorum optimorum consensu, id quod iam Orellius commendaverat. Vulgo *suspicienda* legitur. Paulo post *Obstipum caput ac tereti cervice reflexum* e librorum vestigiis satis certis restitui. Idem fecerat Orellius et pro *ac* scribens. Schoemannus scripsit: *Obstipunque caput tereti cervice reflexum* sine idonea librorum auctoritate, in quibus paene omnibus *que* non est et *a tereti vel simile* quid habetur. §. 108. ex optimorum librorum auctoritate, in quibus uno consensu *partim* legitur, quamquam paulo post *una*, *partim admiscetur in unam* scripsi. Idem Lambinus *partem admiscetur in unam* scribens praeivit. Accusativus *partim* in carmine a Cicerone adolescentulo scriptum facile obtineri poterit. §. 109. *Septentriones autem auctore etiam Davisio e libris satis multis restitui* et §. 110. *cuius [pedibus] subiecta fertur de Davisii sententia edidi* pro vulgato *cui subiecta fertur*. Nam et in libris plerisque *cuius*, non *cui* legitur et ex Arati loco v. 96. coniici potest olim hic *pedibus* propter οὐοτέλευτον excidisse. Cap. 43. §. 111. quum in libris esset aut *Andromeda aufugiens* aut *Andromeda haud fugiens* vel *haufugiens*, malui ego scribere *Andromeda*, *heu*, *fugiens* quam auctore Schoemannus edere *Andromede fugiens*, quod non solum propter formam *Andromede* veri simile non est esse a Cicerone profectum, verum etiam propterea, quoniam in libris eo loco *haud* vel *au* vel *haū* habetur, quod debet tamen aliquo fundamento niti. Id potest, etiam fuisse *ah*, conf. Propertii lib. I. carm. 9. v. 30. Cap. 44. §. 112. dubitari vix potest quin e libris melioribus, qui *Cuius pro At* habent, collatis etiam Arateis v. 27., ubi *huius eius* loco in multis libris est, legendum sit: *Cuius propter laevum genus omni ex parte locatas Parvas Vergilias tenui cum luce videbis*, quod fecit Schoemannus. Ego tamen, quia hoc loco verba *omni ex parte locatas Parvas* in libris non sunt, ea verba uncis circundedi. Mox edidi cum Schoemannus *positu leviter conversa videtur pro eo*, quod vulgo legitur *positu et leviter convexa videtur*, quibus in verbis multi libri et omittunt, alii autem *conneixa pro convexa* scriptum exhibent. Deinde in libris prope omnibus pro *proxima* scriptum est *proximat*. Id antiquitus fuit *proximast*. Hinc ego *proxima est* edidi. Falso Heindorfius, Orellius, Schoemannus *proxima* omissio Verbo substantivo scripserunt. Dein §. 113. librorum optimorum consensu *Hic pro Hinc* edidi et paulo post *plexum pro flexum* auctore etiam Orellio retinui. Schoemannus nuper *flexum*, quod sententia postulare videtur, edidit. Tum *pinnis pro pennis* e libris scripsi. §. 114. malui cum libris tantum non omnibus *defesso* retinere quam *defecto* e levibus librorum indicis scribere cum Schoe-

manno Denique §. 115. optimorum librorum auctoritate *cursantibus* pro vulgato *cursantibus* edidi, et Walkeri coniecturam librorum bonorum auctoritate confirmatam *Aut vero aliqua natura recepi*. Orellius scripsit *aut vero alia que*, Schoemannus: *An vero alia que*. Cap. 45. §. 117. ego *quea aetheria dicitur* ex optimorum librorum consensu scripsi pro vulgato *qui aether dicitur*, quod omni auctoritate caret. Libri enim aut hoc, quod ego posui habent, aut *quea aetherea dicitur* aut etiam *quea aethera dicitur*. Eadem §. cap. 46. *leve est*, quod *nisu e libris optimis scripsi pro nisu* et §. 118. *nec remearet pro neque remearet* et §. 119. *oreretur e bonis libris pro oriretur*. Cap. 47. §. 120. ex optimis et plurimis libris est, quod ego scripsi: *dant iis, quea sustinentur et e terra sucum trahunt, pro vulgato: dant iis, quea sustinent, et ex terra succum trahunt*. Paulo post *atque se ita retinui pro eo*, quod auctore Heindorfio nuper scriptum erat *atque ita se*. Tum autem *brassicisque* ab Orellio iam tamquam suppositionem uncis circumclusum prorsus delevi. Inde enim, quod in libris fide dignis legitur, *a caulis brassicis per Asyndeton luce clarius est* e glosmate alterum nomen adiectum esse. Recte *brassicisque* etiam Schoemannus delevit. Deinde §. 121. *permaneat e librorum optimorum consensu pro vulgato permaneant*, auctoribus Madvigio ad Ciceronis libros *de finibus* p. 692., Wesenbergio in *Emendat. M. Tullii Ciceronis Disp. Tusc.* III. p. 10., Schoemannus recepi. §. 122 extr. post contingent minorem interpunctionem feci auctore Madvigio l. c. p. 808. §. 123. *manus etiam data est elephanto* ex optimorum librorum indicis pro vulgato *Manus etiam data elephantis* restitui. Sed quum *est* admodum incertum sit, quod ego ante *elephanto* inserui, quia eo loco, si scriptum fuit ē facile obliterari poterat, scribi etiam potest: *manus etiam data elephanto est*. Fieri enim potuit ut, si olim *phantost* scriptum fuerit, id non in *elephanto est* solveretur, sed in *elephantis* commutaretur. Etiam *habebat*, quod deinceps necessario scribendum erat, in bonis libris habetur. Tum *ut ex opinato* propter librorum auctoritatem scripsi pro vulgato, *ex opinato*. §. 124. non ausus sum pro *anatum* scribere *anitum*, quod e codice Vindobonensi saeculi x. protulit Lachmannus ad Lucretium vol. II. p. 16., etsi in duabus Moseri libris *anetum* habetur, non *anatum*. Cap. 49. §. 124. *id quod ipsa invaderet* nullo modo immutandum censeo, quamquam nuper Schoemannus auctore Heindorfio in *quod ipsa invaderet* de Walkeri coniectura scripsit. §. 115. auctore etiam Orellio e libris melioribus scripsi *quem efficiunt grues*. Falso Schoemannus repetivit *quem grues efficiunt*. Eadem §. extr. in verbis *In eius locum succedit ex iis, quea acquierunt* nuper Schoemannus *una ante succedit* interposuit. Ego in vulgato acquiesco propterea, quia una illa notio suppleri potest. Tum §. 126. *delitiscant ex optimis libris* recepi pro *delitescant*. Vide quae dixi ad cap. 20. §. 52. Cap. 50. primum e libris melioribus saeculis pro saeculis recepi, tum autem nolui *purgatu* scribere auctore Schoemannus pro *purgatione*. Nam quod in libris

meliорibus omnibus scriptum est *purgante*, satis ostendit *purgatione* in libris compendio scriptum fuisse. §. 127. falso nuper Moserus et Orellius scripserant *defendant* pro *defendat*, quod idem in optimis libris est. Ego *defendat* restitui iisdem auctoribus quibus supra cap. 47. §. 121. in simili causa usus sum. Cap. 51. §. 128. verborum collocationem antiquitus traditam et optimorum librorum auctoritate confirmatam *ad perpetuam conservationem earum generis*, etiam ad ipsam sententiam sustinendam paene necessariam servavi, quam nuper auctore Heindorfo Schoemannus ita mutavit, ut *generis earum ederet*. Cap. 52. §. 130. *Accedit etiam*, quod est in libris optimis, non mutandum censeo. Nobbio auctore Schoemannus nuper *Accedit autem* edidit codicium auctoritate nulla. Paulo post *etiam post hominum delendum censeo*. Deinde e librorum meliorum consensu scripsi *quot annos pro vulgato quotannis*. Nam quod commemoraverunt Priscianum lib. XVIII. p. 1188. et p. 1193., nihil id aliud ostendit nisi usitatus *quotannis* fuisse. Ut *quot annos*, sic *quot dies usurpavit Appuleius Metamorphos.* lib. XI. p. 254. Cap. 53. §. 131. optimorum librorum consensu, etiam sententia ipsa flagitante, *tam multa ad vescendum, tam varia, tam iucunda* pro eo, quod vulgabatur *tam m. ad v., tam v. tamque iucunda* scripsi. §. autem 132. nullo modo probare possum, quod Schoemannus nuper pro *artes*, quod omnes libri tuerunt, *dotes* edidit. Cicero in his libris, quos celeriter admodum confecit, interdum ipse non id scripsit, quod fortasse scripsisset, si denuo hos libros pertractasset. Sed tamen iam Moserus rectissime exposuit quem ad modum Cicero h. l. artes ad ipsam naturam rettulisse videretur. Erant enim in ipsa rerum natura initia quasi et scintillae, ut ita dicam, illarum positiae. §. 133. *sin quaeret*, quod in libris est, retinui. Fortasse ἀνανόλογον hic agnoscendum. Deinde in verbis *quae praestet omnibus Coniunctivum ex optimis libris recepi pro Indicativo praestat auctore etiam Madvigio ad Ciceronis libros de finibus p. 92. et Schoemannus.* Cap. 54. §. 134. scripsit nuper Schoemannus: *Dentibus autem in ore constructis mandatur ab his atque extenuatur etc.* Minus etiam haec verborum collocatio mihi placet quam illa, quae est in libris: *atque ab his etc.* §. 136. scripsi ego id, quod paene necessarium esse existimo, *animam, eam quae ducta est spiritu etc.* pro vulgato: *animam eam, quae ducta sit spiritu.* Sed illud, quod paulo post Heindorfo auctore Orellius et Schoemannus e libris paucis scripserunt *tegitur quasi quodam operculo* pro vulgato *tegitur quodam quasi operculo*, non potui probare. Deinde *extrinsecus spiritum ducant* scripsi pro vulgato e. sp. adducant. Libri enim meliores constanter simplex verbum tuerunt. Paulo post etsi mihi quoque *recepit et accepit* aptius scribi videtur quam *recipit et accipit*, hoc tamen propter auctoritatem librorum, quia per se falsum non est, retinui. Cap. 55. §. 137. in verbis his: *Atque inde aliae . . . pertinentes sunt, lacunae signa posui.* Schoemannus nuper *aliae alio* scribi voluit. Eadem §. scripsi: *cibus — confectus iam concocatusque, id, quod suasit etiam Madvigi ad Ciceronis libros de finibus*

p. 254., pro vulgato *cibus — confectus iam coctusque.* Nam quum ipsa consuetudo Latini sermonis id requirere videtur tum librorum auctoritas, in quibus omnibus non *coctus*, sed *coactus* legitur, ut in Cod. archetype *coctus* vel etiam *coctus* fuisse videatur. §. 138. *quem ventriculum cordis appellant* e libris quamvis paucis edidi cum Schoemannus pro vulgato *quam ventriculum etc.* Paene necesse est sic scribi properea, quod statim hoc ipsum genus obtinetur in verbis: *cui similis alter adiunctus est etc.*, ut appareat non *partem*, sed *ventriculum* iam primarium visum esse scriptori. Paulo post falso in editione mea §. 138 extr. *corpore toto* scriptum est. Eo enim loco in libris *toto corpore* legitur. Mutatio mea pertinebat ad §. 139., ubi e librorum consensu optimorum scribendum iam est *eorumque implicationem corpore toto pertinentem.* Cap. 56. §. 140. primum *a dis* e libris plurimi et optimis pro vulgato *a deo* edidi, tum scripsi: *quae — constituit, auctore Victorio et Orellio.* *quae i. e. providentia naturae aut natura providens.* In libris est *qui — constituit.* Pro eo nuper auctore Heindorfo Schoemannus *qui — constituerunt* edidit. §. 141. *in Praepositionem, quae est in libris prope omnibus ante sublime minime delendam putavi, quamquam illud saepe sine Praepositione dicitur sublime ferri.* Quid enim impedit quo minus adiiciatur? Eadem §. extrema, quum esset librorum auctoritas prope par, tamen malui *naribusque* potius cum Orellio quam cum Schoemannus *et naribus* edere. Elegantius mihi videtur esse sensum oculorum magis effiri hoc loco quam narium. Cap. 57. §. 142. *ad claudendas pupillas* errore in editione mea scriptum est. Ego volui *pupulas* ibi scribi. Cap. 58. §. 146. *canorum fuscum* restitui, quod recte interpretatus est Schoemannus pro eo, quod Orellius restituerat de conjectura *candidum fuscum.* Paulo post malui corruptelam relinquere in verbis *gustandi et parte tangendi* quam incertam et dubiam conjecturam reponere. Cap. 59. §. 147. nuper pro omnium librorum auctoritate, quam ego retinui, *quam vim habeat, qualis sit,* Schoemannus de Moseri conjectura minime necessaria edidit *quam vim habeat qualisque sit.* §. 149. *atque sonos de Davisii* conjectura est. Libri *quae sonos* habent. Paulo post et ante *ad dentes* cum libris bonis omisi. Cap. 60. §. 151. post *vetustati minorem* interpunctionem posui et postea *calfaciendum* e librorum consensu pro *calefaciendum* scripsi. Cap. 62. §. 155. *circumitus* e libris scripsi pro *circutus* idemque aliis locis in simili causa feci. Cap. 63. §. 157. ex librorum consensu edidi *qui illis uti possent* pro vulgato *qui illis uti possunt.* Coniunctivus Imperfecti pertinet ad illud tempus, ubi *fides et tibiae* dicuntur esse factae: quod deinceps immutata oratione dicitur *qui utuntur* nihil impedit quo minus ante aliter idem dicatur. Postea *diximus* cum libris retinui pro dici, quod Orellius et Schoemannus receperunt. §. 158. *et esse post comparatas sine idonea causa a Schoemannio receptum delevi et Particulam et post ubertas cum optimis libris expunxi.* Asyndeton *tanta ubertas varietas pomorum* optime ferri potest. Id deletum voluerunt

librarii qui partim *ubertas et varietas* scripserunt, partim *ubertas varietasque*, ut appareat in cod. archetypo nullam fuisse coniunctio nem. Deinde *potuissent* cum libris paene omnibus retinui pro eo, quod nuper editum erat possent. Cap. 64. §. 161. dubitavi *eliciamus pro eligamus*, quod per se sententiam bonam habet, recipere, quia omni librorum auctoritate illud vocabulum hoc loco videtur carere. Cap. 65. §. 163. nulla correctio eorum verborum, quae in libris sunt, mihi satis fecit, itaque reliqui verba, ut in libris sunt scripta, haec: *multae saepe res hominum sententia atque utilitate partae*. Postea *debebunt* cum Schoemanno restitui pro *debebant*, quod Orellius re ceperat. Cap. 66. §. 164. *ob has causas* auctore Davisio e libris plurimis scripsi pro *ob eas causas*. §. 166, et *Duellum* e libris restitui pro *Duillium aut Duillium et patrum memoria pro patrum vero memoria*. Fortasse *patrumque memoria*, quod Lambinus scribi voluit, verum est.

Lib. III. cap. 1. §. 2. *Praebebo igitur me tibi etc.* edidi omissio Pronomine *ego*, quod neque ad sententiam necessarium est et ex con-

i o

fusione compendiorum *g* et *g* natum esse videtur. Ibid. §. 3. scripsi auctore etiam Schoemann: *Sic mehercule, inquit, Vellei*, pro vul gato: *Si mehercule, inquit, Vellei*. Paulo post recte iam Orellius repudiavit Heindorfii rationem, qui *inquit* post *mihi* interposuit in verbis his: *Quia mihi videtur Epicurus vester etc.*, quo verbo propterea minime opus est, quia et ex Particula *quia* hic contineri responsonem appetat et ipsius personae descripicio nascitur ex voce *Epicurus vester*. Non est autem *inquit* nisi in duabus libris interpolatis. Ibid. §. 5. *etsi* in uno libro *ducet*, quod recepit Schoemannus, pro *ducit* inventum est, iamen Praesens mihi optime locum habere posse videtur. Cap. 2. §. eadem non recte fecerunt Orellius et Schoemannus, quod in verborum collocatione non sunt secuti Davisium recte reponentem *dicentem de religione pro vulgato de religione dicentem*. Davisii ratio optimorum librorum consensu comprobatur. Cap. 3. §. 6. *Quadruperta*, quod in uno altero libro sese ostendit, scripsi pro *Quadrupartita*. Nam talia citius obliterata quam illata ab librariis sunt. Ibid. §. 7. recte hunc ordinem restituit Orellius: *rudem me et integrum discipulum accipe*, qui est in libris prope omnibus. Elegantior non est, quae videtur, altera verborum collocaatio, quam secutus Schoemannus est: *rudem me discipulum et integrum accipe*. Paulo post §. 8. *inquit*, quod Schoemannus rursus omisit, tutatus sum, quod est in libris tantum nou omnibus. Eo capite extremo malui cum libris edere: *cur te duobus contuear oculis et non altero contuear*, quam contra libros alterum contuear omittere. Nam quod in paucis libris eius loco scriptum est *tantum*, mihi videtur e glossemate natum. Re petitio autem eiusdem verbi mihi nihil molestiae habere videtur. Cap. 4. §. 9. cum Schoemannus *quam tu velles* falso mutatum ab Orellio auctore Ernestio in *quam tu veli*. restitui et e libris prope omni bus paulo post *sat erat* pro *satis era* edidi. De verbis §. 10. *Aspice*

*hoc sublimen candens etc.* conf. quae dixi ad lib. 2. cap. 2. §. 4. Cap. 5. §. 11. restituvi *videmus pro vidimus*, quod ex paucis libris Heindorfio auctore receperat Orellius. Recte iam Schoemannus adsimilavit lib. II. cap. 2. §. 6. quae leguntur: *praesentiam saepe divi suam declarant*. Cap. 5. §. 13. propter librorum auctoritatem a *Postumio* pro ab *A. Postumio* edidi. Sic etiam *Vatinio* sine *Praenomine* dicitur, et ante §. 11. iidem homines sine *Praenominibus* appellantur. Cap. 6. §. 14. collocatio verborum *divini isti commendatur libris multis*, iis etiam, in quibus *divinis isti* legitur. Id auctore Schoemannus recepi. Orellius *isti divini* servavit. Ibid. §. 15. quum propter librorum auctoritatem tum ob ipsam sententiam malui *Consilium illud imperatorum*, quod miror toleratum esse ab Orellio ac Schoemannu. Leve est, sed tamen in loco non prorsus contemnendum, quod *audivisse* paulo post malui scribere quam *audisse*. Cap. 8. §. 20. quum libri meliores fere in scriptura *quo conspirarent*, non dubitavi reponere *quo nihil in rerum natura melius esset* pro vulgato *quod nihil etc.* Causae enim ratio constat et indicatur iam ipso Coniunctivo. Cap. 9. §. 22. non recte fecerunt Orellius et Schoemannus, quod eos secuti sunt, qui *quod ratione utitur, melius est etc.* ediderunt. Nam et auctoritas librorum et totius sententiae concinnitas postulat, ut omnia exaequentur hoc loco et legatur: *Quod ratione utitur, id melius est quam id, quod ratione non utitur*. De *dixi*, quod legitur §. 23., vide quae dixi in prooemio part. III. vol. II. p. XIV et XXXVI. §. eadem librorum auctoritate ductus sum, ut *tubicinem* potius quam *tibicinem* ederem. Paulo post recte iam Schoemannus *ne cur animantem quidem esse* restituit pro eo, quod Orellius retinuerat *nec cur etc.* Non recte autem cum Orellio servavit hanc verborum collocationem *nihil nobis salutarius pro ea*, quam et libri et sententia ipsa commendat *nihil salutarius nobis*. Cap. 10. §. 24. recte illi existimaverunt, qui hunc versum Ennii esse dixerunt: *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda*. Apparet igitur aut *Libyamque*, quod est in codd. Moseri A. B. C., aut *Libuamque* olim scriptum fuisse. Ego tamen propterea nihil mutavi, quoniam nescimus num M. Tullius ipse Ennii rationem scribendi semper expre serit. Cap. 12. §. 29. *ferundam* scripsi pro *ferendam*, quod in libris plerisque nou *ferendam*, sed *fruendam* legitur, quod videtur transpositis litteris ex *ferundam* natum esse. §. 30. miror Orellium et Schoemannum *aereum* retinuisse pro *aeneum* auctore Heindorfio et contra auctoritatem optimorum et plurimorum librorum et contra Ciceronis consuetudinem loquendi. Ille enim saepe Adiectivum *aeneus* usurpavit, *aereus* numquam. Cap. 13. §. 33. *aeternum est* e libris prope omnibus restitui pro vulgato *est aeternum*. §. 34. e pau corum librorum vestigiis auctore Heindorfio nuper Schoemannus scripsit: *etenim necesse est, ea ipsa, quae sentiuntur, ut frigus, ut calor, ut voluptas, ut dolor, ut cetera — interimant*. Ego caeteros fere libros secutus edidi: *etenim ea ipsa, quae sentiuntur, ut frigus,*

calor, ut voluptas, dolor, ut caetera — interinunt. Paulo post *aeternum est* scripsi cum libris pro *est aeternum*. Eadem §. cap. 14. *aut concretum est* (nempe *animans*) *ex pluribus naturis* scripsi, ut legitur in libris. Cicero propterea ipsum *animans pro natura animantis* posuisse videtur, quod sequitur *ex pluribus naturis*. Res autem et ratio denique eadem est. Dein de optimorum librorum auctoritate scripsi cum Orellio: *in suum quaeque locum*. Falso Schoemannus propagavit *suum quaeque in locum*. §. 35. retinui ego vulgatam scripturam hanc omnem *vim esse ignem*. Heindorfio auctore et Mosero nuper Schoemannus *igneam* scripsit pro *ignem*. §. 37. *orbi* scripsi pro *orbe* e libris tribus Moseri minime malis. *orbi* pro *orbe* a Cicerone aliquotiens esse dictum et grammatici testantur et libri antiqui. Cap. 15. §. 39. scripsi *Alabandum Alabandi, Tenedii Tenem*. *Ἀλαβάρδοι* Herodoto lib. VII. cap. 195. dicuntur cives Alabandenses et numero singulari Alabandus civis Alabandensis Vitruvio lib. III. cap. 2. §. 6. Schn. Orellius scripsit: *Alabandum Alabandi, Tenedi Tenem*, Schoemannus: *Alabandus Alabandi, Tenedii Tenem*. De verbis cap. 16. §. 40. *sublimen candens* etc. vide quae dixi ad lib. II. cap. 2. §. 4. Paulo post *rerum inaninarum pro rerum inanimatarum* scripsi auctore Madvigio ad Ciceronis libros *de finibus* p. 341. e libris bonis. Falso Orellius et Schoemannus illud retinuerant. §. 41. cum Schoemannus malui fuerint, quod in libris optimis habetur, retinere quam auctore Heindorfio cum Orellio fuerunt edere. §. 42. *Lysithoë* est e Creuzeri conjectura ab Orellio et Schoemannus recte repositum. In libris *Lisyto* vel quae sunt similia leguntur. Paulo post ex optimorum librorum indicio, in quibus legitur *Quartus Iovis est Asteriae*, malui scribere *Quartus Iovis est et Asteriae*, quam aut cum Orellio *Quartus Iovis et Asteriae* omisso Verbo substantivo aut cum Schoemannus *Quartus est Iovis et Asteriae*. Tum e libris optimis rescripsi *Alcmena* pro *Alcumena*. Cap. 17. §. 43. recte Davisius, ut multa multis locis, e libris scripsit: *ne Nymphae deae quidem igitur*. Etiam optimi Moseri libri hoc idem habent, a quibus Orellius et Schoemannus non debent desciscere, qui scripserunt: *ne Nymphae quidem deae igitur*. Sed Particulae *quidem igitur* aptius inter se coniungendae erant. Paulo post *deum, non deos*, optimi libri post *Neptunum* habent. Mihi haec vox e glossemate nata esse videtur. Mox *Pyriphlegethon* recte iam Schoemannus e libris restituit pro vulgato *Phlegethon*. §. 44. recte mihi *id ante negari*, quod auctore Heindorfio receperat Orellius, Schoemannus delevisse videtur, quem debebam sequi. Libri enim meliores fere omittunt. Paulo post recte idem *Qui si est deus* scripsit cum libris optimis et plurimis, quem secutus sum. Orellius Heindorfio auctore *Qui si deus est* non recte scripserat. Cap. 18. §. 45. *Theseus, qui Neptuni recte cum libris optimis obtinuerat* Orellius. Schoemannus male *Theseus Neptuni* restituit. Tum *iure civili pro in iure civili* de Walkeri conjectura est confirmata libris duobus. §. 46 extrema malui *sceletis* optimorum librorum auctoritate restituere quam cum Orellio et

Schoemannus *scelerum* scribere, quod illatum est ab iis, qui post *facinorum* numerum singularem ferendum esse non putaverunt. §. 47. cum Orellio *Nascio* scripsi pro *Natio*. Nam illud etsi in paucis libris est, vix mihi videtur ab librariis inferri potuisse, contra facile *Nascio* in *Natio* commutari potuit. Mox cap. 19. multi libri *accipimus* pro *aceppimus* offerunt. Ego alterum cum Orellio et Schoemannus retinui. §. 49. *erit deus et Trophonius* scripsi cum Davisio e libris bonis. Caeteri fere *deus erit et Trophonius* ediderunt. §. 50. cum Schoemannus *Leontidum* edidi. Libri fere *Leonaticum* habent. Cap. 20. §. 51. edidi, ut est in libris optimis scriptum: *Est enim pulcher: † et ob eam causam, quia speciem habeat admirabilem, Thaumante dicitur esse nata.*, quibus in verbis plerumque contra libros *natus* vel *esse natus* scriptum est. Fortasse scripserat M. Tullius: *Est enim pulcherrima (Arci species) et ob eam causam — dicitur esse nata*. In his ipsis verbis libri omnes habent *habeat*, Schoemannus de Ernestii conjectura scripsit *habet*. Paulo post *coloratis* de Davisii conjectura est, quam recepit etiam Schoemannus, pro *coloratus*, quod retinuit Orellius. §. 51. *consuerunt* scripsi e libris bonis pro *consueverunt*. §. 52. ego *Anionem* reposui pro vulgato *Almonem*. Altera notissimi fluvii forma videtur fraudi fuisse librariis. Cap. 21. §. 53. recte Madvigius ad Ciceronis libros *de finibus* p. 591. viderat e librorum vestigiis restituendum esse *Alco et Melampus et Tmolus*, quod miror neglectum esse a Schoemannus, item Madvigius l. c. recte paulo post scribendum esse videt e libris *Ialysi, Camiri, Lindi* per Asyndeton. Cap. 22. §. 55. *nominabantur* est in libris plerisque, *nominantur* nuper Schoemannus e paucis libris reposuit. §. 56. falso Schoemannus nuper in *Aegyptum profugisse* de Ernestii conjectura posuit. Alterum, quod est in libris, etiam ad sententiam aptissimum. Cap. 23. §. 57. libri partim *ex Vulcano natum*, partim *e Vulcano n.*, partim *a Vulcano n.* Hinc ego scripsi *Vulcano natum*. Ibid. falso nuper Orellius et Schoemannus ediderunt: *quem Arcades Nōuiov appellant*. Unice verum illud esse, quod in libris habetur: *quem Arcades Nomionem appellant*, significavi ad Ciceronis lib. *de oratore* I. cap. 59. §. 251. in prooemo Part. I. vol. II. p. VIII. Vide etiam Lexicon Latinum meum vol. I. p. 889. b. §. 60. recte mihi Orellius edidisse visus est: *Atque haec quidem et eius modi etc.* Schoemannus scripsit *Atque haec quidem aliaque eius modi sine auctoritate*. Cap. 24. §. 63. falso mihi Schoemannus nuper Ernestii conjecturam *appellantur* pro eo, quod in libris est, *appellantur* propagavisse videtur. Cap. 25. §. 64. recte iam Schoemannus *quod sentiam et quod tibi adsentiar pro quid s. et quid t. a.* restituit. Eodem cap. §. 65. Ennii poëtae verba ita constitui, ut visum est O. Ribbeckio in Tragic. Latin. reliqu. p. 39. et I. Vahlen in Enn. poës. reliqu. p. 129., nisi quod illi *quam ob rem?* Ciceronis orationi attribnere videntur, quam ego vocem Ennio continuavi. Vulgo post coniuentes illos duos versus Ennii *Niobe parumne legebatur*. Corruptum *Niobe* delevit Schoemannus. Cap. 26. §. 66.

*traversa pro transversa e libris restitui auctore Io. Vahlen l. c., tum mi pro mihi, ut O. Ribbeckius et Io. Vahlenus scripserunt, edidi. Cap. 27. §. 68. verba ex Atreo Accii ita constitui, ut constituit O. Ribbeckius l. c. p. 137., nisi quod *coquinari* pro *coquinari* scripsi. Vulgo haec ita legebantur: *Quod in re summa esse periculum arbitror, Matres coquinari regum, regiam Contaminari stirpem, admisceri genus.* Paulo post pro vulgato *Addo*, quod ego retinui, scripsit O. Ribbeckius l. c.: *Adde.* In verbis sequentibus, ubi vulgo legebatur: *Quem clam Thyestem clepere esse ausum e regia,* ego ex optimorum librorum auctoritate reposui: *Quendam Thyestem clepere ausum e regia.* O. Ribbeckius l. c. scripsit: *Quendam Thyestem clepere esse ausum e regia.* §. 69. scripsi ego et saepissime pro vulgato et saepe. In libris paene omnibus non saepe, sed semper legitur. Quam ob rem compendium hic olim fuisse eius modi putavi, quale est *sepime*, ut id esset *saepissime*, sed haberetur pro semper. Postea *pestifera* est cum Schoemann scripsi pro *pestifera* sit. Quod in multis libris *pestifera sunt aut sint* legitur, testimonio est olim hic *pestiferast* scriptum fuisse idque habitum pro *pestifera* st. §. 70. *est largita* e libris restitui pro vulgato *largita* est. Cap. 28. *nocere Deianira* elibris scripsi pro vulgato *Deianira nocere.* §. 71. per mihi mirum videtur, quod Orellius et Schoemannus auctore Heindorfio verbum *scelus* post *facinus aut* interposuerunt e libris paucis nec dignis fide, quod aperte ab iis librariis depositum est, qui *aut suscipitur* recte ita dici ignorabant, ut responderet verbis *aut — perficitur.* Tum *est homini pro homini est* e librorum optimorum consensu recepi. Cap. 29. §. 73. scripsi: *Quem neque quo pacto fallam neque ut inde auferam pro eo,* quod Orellius et Schoemannus ediderunt: *quem neque quo pacto fallam neque (nec) quid inde auferam.* Nam etsi in paucis libris *ut inde* scriptum est, tamen etiam ii libri, qui multi habent eo loco *undescriptum*, eam scripturam confirmare videntur. Paulo post *praestrinxit* ex optimis et plurimis libris, ut par erat in hac formula, restitui. Cap. 30. §. 74. *Id se* pro vulgato *At se* restitui. In libris enim multis *Ad se* scriptum est. Schoemannus scripsit *At id se* sine idonea librorum auctoritate. Paulo post *Tolossani* ex optimorum librorum auctoritate scripsi pro vulgato *Tolosani.* Cap. 30. §. 75. *ratio nocendi pro nocendi ratio* est ex optimis et plurimis libris a me restitutum. Cap. 32. §. 79. librorum auctoritas satis idonea non erat, ut Orellius scriberet *totum locum.* Qua re ego auctore etiam Schoemannus *locum totum* restitui. De §. 81. *Dies deficiat, si velim etc.* conferas nunc etiam Wesenbergium in *Emendat. Tuscul.* III. p. 32. Cap. 34. §. 83. nuper Schoemannus e librorum paucorum indicis auctore Heindorfio scripsit: *qui temporibus illis praedo in Pamphylia felix habebatur,* ego veritus sum imitari eius exemplum et retinui, quod Orellius ediderat. Paulo post falso Orellius pro verbis *bene planeque* contra libros *bene plane* scribi voluit. Ibid. scripsi *quum id esse [aptum] ad omne anni tempus diceret.* Nam *aptum* sane multum habet, quo*

se defendat. Orellius nuper id verbum delevit, retinuit Schoemannus. §. 84. nuper Madvigi ad Ciceronis libros *de finibus* p. 461. scribi voluit: *in quibus quem more veteris Graeciae etc.* Ego retinui *quod pro quem.* Paulo post *et coronas* e libris cum Schoemannus scripsi pro vulgato *coronasque.* Tum *ferunt haec, quae* cum Orellio scripsi. Falso *ferunt haec omnia, quae* e libris paucis scripsit Schoemannus. Denique *quidque extrema* hac §. restitui e libris pro *quodque.* Cap. 35. malui cum Orellio corrupta verba retinere quam cum Schoemannus edere: *mortuus et impunitus rogo illatus est.* Cap. 36. §. 86. *acceptam deo* e libris prope omnibus restitui pro vulgato *deo acceptam.* §. 87. *tum dis gratias agimus* e libris optimis ac plurimis pro vulgato *quam diis gratias agimus.* Postea *optimum et maximum* e libris satis multis restitui pro vulgato *optimum et maximum* propterea, quia hic non tam ipsa formula spectatur, sed vis ac sententia illorum verborum, quae magis exstant singula interposita Coniunctione et. Cap. 38. §. 90. optimorum librorum auctoritate *civitas ulla* scripsi pro *ulla civitas*, nec *internacioni*, quod a me scriptum est, pro *internacioni* optimorum librorum auctoritate caret. Paulo post recte auctore Daviso scripsit Orellius: *Portenta enim ab utrisque et flagitia dicuntur.* Falso Schoemannus restituit contra optimorum librorum testimonium: *Portenta enim et flagitia ab utrisque dicuntur.* Cap. 39. §. 93. falso mihi ex paucis libris Heindorfio auctore Orellius et Schoemannus scripsisse videntur: *Quod si has etiam contemnit.* Ego in iis verbis *Futurum contemnet* restitui. Paulo post *dispartiri* pro *dispartiri* ex libris bonis recepi. Haec fere erant quae hoc loco de singularis locis librorum, qui sunt *de natura deorum*, exponerem. Quae si cui copiosius disputata videbantur, is me hoc Schoemannus auctorati dedisse existimet, a cuius editione quum tot locis recessisset, nolui id sine causa esse factum videri. In reliquis libris, qui hoc volumine continentur, nec tam multa mutavi et in iis ipsis significan- dis, quae mutavi, brevior ero.

Et in libris quidem *de divinatione* ea potissimum, in quibus ab Orellii editione recessi, quam potero brevissime adnotabo. Lib. I. cap. 1. §. 1. ego scripsi: *Magnifica quidem] magnifica quaedam* Orellius. §. 2. *tamque barbaram]* atque *barbaram* Or. Cap. 2. §. 4. *Balarici]* *Balearici* Or. Cap. 6. §. 11. *possim]* *possimus* Or. §. 12. *quam observatis]* *tum observatis* Or. Cap. 7. *et [in] significatione]* *et + in significatione* Or. Cap. 8. §. 14. *canit]* *ciet* Or. Cap. 9. §. 15. *mentientia]* *ementientia* Or. Ibid. scripsi *in bestiis et ranunculis*, ad quod proxime accedit cod. Pith. ap. Moser. *in retiis et ranunculis.* Orellius scripsit *mira vis in ranunculis.* §. 16. *Ne hoc quidem]* *Nec hoc quidem* Or. Cap. 11. §. 17. *in secundo consulatus]* *in secundo\* de Consulatu* Or. Ibid. *petissi]* *petessit* Or. §. 18. *petissens]* *petessens* Or. Cap. 13. §. 22. *de versu In que Academia umbrisera nitidoque Lyceo* vide Lachmann. ad Lucret. vol. II. p. 150. Cap. 14. §. 24. verba Pacuvii cum libris ita recepi

in Ciceronis orationem, ut scriberem: *projecti sunt ab Ilio, ut p. o. fectione laeti piscium lasciviam intuerentur*, ut ait Pacuvius, *'nec tuendi satietas capere posset'*? Orellius haec ita descriperat: *projecti sunt ab Ilio, Ut profectione laeti piscium lasciviam intuerentur*, ut ait Pacuvius, *'nec tuendi capere posset satietas'*? Cap. 15. §. 27. *tetrarchia, regno] tetrarchia et regno* Or. Ibid. *Necesse enim est] Necesse est enim* Or. Cap. 16. §. 26. *tum avibus] tunc avibus* Or. §. 29. .... *inter se] Inter se* Or. Conf. O. Ribbeckii *Tragic. Latin. reliq.* p. 210. Ibid. *subscriberet] subscriptis* Or. Ibid. *reliqui vulgatam hanc scripturam: sicut caetera auspicia, ut omina, ut signa, sed quum permulti libri hoc habeant: sicut et c. a., ut in omina, ut signa vel ut in signa videtur olim fuisse: sicuti (i. e. sicuti) caetera auspicia, uti omina, uti signa.* Cap. 17. §. 30. *leniter] leviter* Or. Ibid. *deflagrasset] deflagravisset* Or. §. 31. *recuperasset] recuperavisset* Or. Ibid. *quae erat reliqua, in regiones distributa] quae erat reliqua in regione distributa* Or. §. 32. *discisam] discissam* Or. Cap. 18. §. 34. *oracula] oracula* Or. Ibid. *posse credo divinitus] credo posse divinitus* Or. §. 36. *se maturam] se \*maturum* Or. Cap. 19. *Babylonem et eos] \*Babylonios, eos* Or. Ibid. *et motibus stellarum cursus persequuntur] et motus stellarum cursusque persequuntur* Or. Cap. 20. §. 40. *de verbis: Narrat enim et apud Ennium Vestalis illa etc., vide Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 803.* Ibid. *Eccita] Excita* Or. Ibid. *Talia tum memorat] Talia commemorat* Or. Vide quae dixi in Nov. annal. philol. et paedagog. vol. LXXI. p. 203. Ibid. *Eurudica prognata] Eurydica prognata* Or. §. 41. *ferendae] gerendae* Or. Cap. 21. §. 42. *quia ... mater] Quia mater* Or. Vide Ribbeck. *Tragic. Latin. reliq.* p. 201. Ibid. *postilla] post illa* Or. Cap. 22. §. 44. *Visust in somnis pastor] Visumst in somnis pastorem* Or. Vide Ribbeck. l. c. p. 239. Cap. 24. §. 48. *minarique] minitarique* Or. Ibid. *si id fecisset] si fecisset* Or. §. 49. *Hoc item] Hoc idem* Or. Ibid. *imperasse] imperavisse* Or. Cap. 25. §. 54. *in Arium pagum] in Ariopagum* Or. Cap. 26. §. 55. *illum non esse ausum] illum non ausum* Or. §. 56. *quaesturam non petenti] quaesturam petenti* Or. *non ego addidi propter ipsam sententiam. Sed ex codicem corruptelis etiam aliud, ut quiescenti, hic ponit posse* appareat. Cap. 30. §. 62. *Nam Carneades pro vulgato Namque Carneades ex libris videtur reponendum.* Ibid. *Pythagoriis] Pythagoris* Or. Vide Madvigium in Opusc. Acad. pr. p. 512. §. 63. *Nam et id ipsum] Nam [et] id ipsum* Or. Cap. 31. §. 65. *visa es] visa est* Or. De toto hoc loco v. Ribbeck. l. c. p. 17 sq. Ibid. *illa tua] tua* Or. Ibid. *virginalis modestia] virginali modestia* Or. Ibid. *optumarum] optumatum* Or. *Namque Apollo] Neque me Apollo* Or. Ibid. *Virgines aequales vero] Virgines vero aequales* Or. Ibid. *Men] Med.* Or. §. 67. *humano iam, non Cassandra] humano, iam non Cassandra* Or. Ibid. *Adveniet, fera] Advenit et fera*

Or. Cap. 32. §. 70. *dixeram arte] arte dixeram* Or. Cap. 33. §. 72. *de verbis: in quo haruspices — numerentur conf. Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 251.* Ibid. *Sullae] Sisennae* Or. §. 73. *apium] apum* Or. Cap. 34. §. 75. *et in Lysandri — statua] et Lysandri — statuae* Or. §. 76. *legatique [vas] illud] legati- que illud* Or. Cap. 36. §. 78. *illi Phrygi] illi Phrygio* Or. §. 79. *retusa] retusa* Or. Ibid. *dispari] disparili* Or. *Hoc natum est ex scriptura, quae etiam nunc in cod. Augustano habetur, dispara- haspiratione.* Cap. 37. §. 81. *ut viderentur] ut et viderentur* Or. §. 82. *futura sint] futura sunt* Or. Cap. 39. §. 84. *in interpu- gnis verbis secutus sum Madvigium, cuius vide Opusc. Acad. alt. p. 164.* Item de verbis §. 86. *Ut, si magnetem — neges conferas eumdem ad Ciceronis libros de finibus p. 531.* §. 87. *Quid vero hoc turpius] Quid vero? hoc turpius* Or. §. 88. *eique] iique* Or. Cap. 42. §. 93. *conceptu [et satu], portentorum] conceptu et satu, porten- torum* Or. Cap. 43. §. 95. *certamen [et discrimen] salutis] certa- men et discrimen salutis* Or. Ibid. *sine auspiciis [dum habent auspicia]. Externa] sine auspiciis [domi habent. Auspicia]* externa Or. Cap. 44. §. 100. *profugisse] perfugisse* Or. Cap. 48. §. 102. *in dilectu] in delectu* Or. Cap. 46. §. 103. *'Accipio omen' inquit 'mea filia'] Accipio, inquit, mea filia, omen* Or. Cap. 47. §. 106. *Subigit] Subigit* Or. Illud praecepit C. Lachmannus ad Lucretium vol. II. p. 35. Cap. 48. §. 107. *tum cupientes] concu- pientes* Or. Ibid. *servat genus] servans genus* Or. Ibid. *Roman Remorante] Romanne Remamve* Or. Ibid. *Omnibus] Omnis* Or. §. 108. *quattor] quatuor* Or. Ibid. *stabilita] stabilitaque* Or. Cap. 49. §. 109. *digressa] degressa* Or. §. 110. *disiunguntque] di- iunguntque* Or. §. 111. *de verbis: Nam et natura futura pree- sentiunt etc. conf. Madvigius ad Ciceronis libros de finibus p. 802.* Cap. 50. §. 112. *Ne Pherecydes quidem] Neque Pherecydes qui- dem* Or. Ibid. *terrae motus] terrae motum* Or. §. 114. *de verbis: Ergo et ii, quoran etc. conf. Madvigium l. c. p. 801.* De Enni ver- sibus conf. O. Ribbeckum *Tragic. Latin. reliq.* p. 19. et Io. Vahlen Enn. poës. reliqu. p. 101. *iudicabit] iudicavit* Or. Cap. 52. §. 118. *inscientia] inscitia* Or. Ibid. *tum ipsum, quem] tum, ipsam quem* Or. Conf. Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 256. §. 119. *Qua ille rei novitate [non est] percussus] Qua ille rei novitate percussus* Or. Cap. 53. §. 120. *omne animal] animal omne* Or. §. 121. *ut armis] ut + armis* Or. Ibid. *quise tradet ita quieti, pree- parato animo] qui se tradet quieti preeparato animo* Or. Cap. 54. §. 122. *quae ipsi videbantur] quae sibi videbantur* Or. Cap. 55. §. 125. *causae causa] causa causae* Or. §. 126. *de verbis: ita fit, ut et observatione etc. vide Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 801.* Cap. 57. §. 129. *ipsi liberi] ipsi \*libere* Or. Vide Alanum ad h. l. §. 130. *obscurior quasi caliginosa] obscurior et quasi caliginosa* Or. §. 131. *Nam istis, qui linguam etc. Sic*

vulgo legitur, Ribbeckius l. c. p. 71. nuper scripsit: *Nam isti qui lingua etc., quod non accipio. Mox idem vir doctissimus p. 72. scribit: Indidemque eadem quae oriuntur, de integro aequae eodem occidunt, quo ego uti nolui.* Cap. 48. §. 132. recte videt O. Ribbeckius l. c. p. 44., quem secutus est Io. Vahlenus l. c. p. 136., verba ea, in quibus Orellius aliquis Ennianae poësis fragmenta invenerant: *Non habeo denique nauci Marsum augurem — non interpretes somniorum, esse Ciceronis orationem.* Ibid. *drachumam — drachumam — drachmam — drachmam Or.*

Lib. II. cap. I. §. 3. *Quibus rebus editis] Quibus libris editis Or. §. 4. quum subtilitate] tum subtilitate Or. Ibid. in eundem librorum numerum] in eundem numerum Or. Cap. 2. §. 5. Equidem ex his etiam] Evidentia etiam ex iis Or. §. 6. casus gravis] gravis casus Or. Ibid. porro ita] ita porro Or. Cap. 3. §. 9. aut num nescio qui divinus] \*ut nescio qui divinus Or. Cap. 4. §. 11. de verbis: Quo modo autem mentientem etc. conferas Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 183., quem ego in interpungendo hoc loco secutus sum. Cap. 5. §. 12. *Est quidem] Est quidam Or. Cap. 6. §. 17. qui siderum [cursus et] motus] qui siderum cursus et motus Or. Ibid. Ea praedicunt enim] Ea enim praedicunt Or. Cap. 8. §. 21. Trasumenum] Trasimenum Or. Ibid. Certe non potuit de Pearci conjectura est. Libri habent Certe potuit. Paulo post de verbis: quod certe vobis ita dicendum est, vide Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 169. Sed postea minime sequi potui eundem Madvigium, qui in Opusc. Acad. alt. p. 230. fuit pro fuisse scribendum praecepit. Sed res longioris disputationis est, quam ut hic explicari omnino possit. Ibid. *divinatio ista] ista divinatio Or. Cap. 9. §. 23. in curia Pompeia] in curia Pompeiana Or. Cap. 10. §. 25. Si [enim] nihil] Si \*autem nihil Or. Ibid. Quod sorte paratum est] Quod fore paratum est Or. Cap. 11. §. 26. de distinctione artificiosum — naturale conf. Madvigium l. c. p. 810. Cap. 12. §. 28. ab haruspicibus] haruspicibus Or. §. 29. naturale tale quod declarare possit] naturale quo declarari possit Or. Cap. 13. p. 30. Huncine] Huncine Or. Ibid. veri simile, si omnium quum pecudum] veri simile, si omnium pecudum Or. §. 31. vidisset ex puto] ex puto vidisset Or. Ibid. quum factus est motus] quum factus esset motus Or. Illud repouendum esse videt Madvigius l. c. p. 537. Cap. 14. §. 34. *Qua ex contagione] Qua ex cognatione.* Illud ego conjectura mea e librorum vestigiis reponendum vidi. Cap. 15. §. 36. *inventum iri] inventurum Or. Cap. 16. §. 37. atque obitus] atque \*ortus.* Ibid. *potius credendum] credendum potius Or. Cap. 19. §. 44. qui frigidi sint] qui frigidi sunt Or. Cap. 21. §. 47. de verbis: Et tu scilicet navis etc. conf. Madvigium l. c. p. 618. Cap. 23. §. 50. obstipuisset] obstupuisset Or. §. 55. abdidit] abdiderit Or. Cap. 24. §. 52. unum in locum] uno in loco Or. Cap. 26.****

§. 56. *nisi quum vicerunt] nisi quum vicerint Or. Illud reponendum esse videt Madvigius l. c. p. 690. §. 37. modicato] mitificato Or. Cap. 27. §. 58. sanguinis similis] sanguini similis Or. Cap. 28. §. 60. portentuosa] portentosa Or. Cap. 31. §. 66. aliqua] aliquam Or. §. 67. totum locum ita intelligo, ut intellexit Madvigius l. c. p. 51., quamquam non in singulis membris interpretationem eius imitatus sum. Cap. 32. §. 69. quum eum nemo norat] quando eum nemo norat Or. Cap. 33. §. 70. *ius augurum] ius augurium Or. Cap. 35. §. 73. casu comma post liberum ex editione mea excidit. De loco conferas Madvigium in Opusc. Acad. alt. p. 122. Ibid. ex ore cecidit] ex eius ore cecidit Or. Cap. 37. §. 79. hostem et hospitem] et hostem et hospitem Or. Ibid. adseculae] asseclae Or. Cap. 38. §. 80. Atti Navii] Attii Navii Or. Cap. 41. §. 86. ubi Fortunae nunc est aedes] ubi Fortunae nunc sita est aedes Or. Cap. 42. §. 89. quum tempore anni tempestatum atque caeli] quum \*temporum anni tempestatumque caeli Or. Conf. de hoc loco Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 8. Cap. 45. §. 94. quod certe non pertinet est de Schützii conjectura probata Madvigio. In libris est quod non certe pertinet. Ibid. si haec non vis] si hoc non vis Or. Cap. 46. §. 97. qui id aut] qui aut Or. Cap. 47. §. 97. haec requiro] hoc requiro. §. 98. valeat id necesse est etiam in rebus inanimis. Sic fortasse Cicero ipse scripsit ratiocinationem non satis plene exponens. Sed fieri tamen etiam potuit, ut Cicero aliquid eius modi scriberet: valeat id necesse non in hominibus solum, verum etiam in bestiis, et, si in bestiis valet, valeat id necesse est etiam in rebus inanimis, ut propter similitudinem verborum quaedam exciderint. Cap. 48. §. 100. haec me Peripateticorum] ac me Peripateticorum Or. Cap. 49. §. 102. quae futura sint] quae futura sunt Or. Ibid. nobis vias] vias nobis Or. Cap. 52. §. 108. existimandus est] existimandus sit Or. Cap. 56. §. 115. Sancte Apollo] O sancte Apollo Or. Conf. etiam Ribbeckium l. c. p. 201 sq. Ibid. ad sortes referenda sit] referenda sit ad sortes Or. Cap. 58. §. 119. et ipsum esse] et \*id ipsum esse Or. Fortasse fuit id ipsum esse. Cap. 59. §. 123. et sine medico] et [si] sine medico Or. Cap. 60. §. 124. in promptu fuerint] in promptu [fuerint] Or. Cap. 64. §. 133. domiportam] domi-portam Or. §. 133. Astici] Attici Or. Ibid. nisi si aperte] nisi aperte Or. Conf. Ribbeck. l. c. p. 63. Cap. 65. §. 134. Respondit] Respondet Or. Cap. 66. §. 135. pro emisisse malim scribi emissos esse. §. 136. Balearici] Balearici Or. Cap. 67. §. 139. desertusque animus] desertusque est animus Or. Cap. 68. §. 141. Sed, utrum est] Sed, utrum sit Or. Conf. Madvigium im Opusc. Acad. pr. p. 481. Cap. 69. §. 142. de verbis: Etenim — ex divisione hoc secundum est — quae etc. conf. Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 8.**

In libro de fato eorum, quae ego mutavi, haec potissimum hic indicanda putavi. Cap. 1. §. 2. nostra fere] fere nostra Or. Cap. 2.

XXXII  
§. 4. futurum est] futurum sit Or. Conf. Madvigium ad Ciceronis libros de finibus p. 752. Cap. 3. §. 5. Sunt quidem absurdæ] Sunt quidem, inquam, absurdæ Or. Ibid. ex hocine] ex hocne Or. Ibid. Quid autem magnum, et naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsus? — quamquam — pereundum — ne hercule Icadii quidem] Quid autem magnum est, naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsus? Quamquam — pereundum. Ne hercule Icadii quidem Or. Cap. 4. §. 7. quidem primum] primum quidem Or. §. 8. Disiunge] Diungo Or. Cap. 5. §. 9. propensiores sunt] propensiores sint Or. si ita res se] si res ita se Or. Cap. 7. §. 13. dicuntur] dicuntur Or. Cap. 9. §. 17. anquiritur] inquiritur Or. §. 19. quod ita accidisset] quod ita ecedisset Or. Cap. 10. §. 21. Hic primum [si] mihi libeat] Hic primum \* mihi libeat Or. §. 22. minimo: id appellat ἐλάχιστον: quam] minimo. Id appellant ἐλάχιστον. Quam Or. Conf. Madvigium l. c. p. 42. Ibid. declinare sine causa] declinare [eum] sine causu Or. Cap. 11. §. 23. doceret] \* docerent Or. §. 24. moveri dicimus] dicimus moveri Or. §. 26. Eius enim rei] Eius rei enim Or. Cap. 12. §. 29. alterum utrum] alterutrum Or. Cap. 13. tamen teneas sententiam] tamen sententiam teneas Or. §. 30. illo die Socrates eo die Socrates Or. Ibid. At si ita fatum est] At si ita fatum sit Or. Conf. Madvigium l. c. p. 448. Cap. 14. §. 33. quo minus futura] quanto minus futura Or. Conf. etiam Madvigium l. c. p. 110. Mox pro Ergo nec de Oedipode potuisse Apollinem praedicere etc. malim scribi: Ergo ne de Oedipo quidem potuisse Apollinem praedicere etc. Cap. 15. §. 35. navis incendi] navis inchoanda Or. Illud incendi ex libris reponi iam Guilielmus voluit. Cap. 17. §. 39. qui necessitate motus animos liberatos volunt] qui necessitate motus \* animorum liberatos volunt Or. Illud defendit Alanus. Sed facile tamen animos, i. e. animorum, in animos commutari potuit. Cap. 19. §. 43. quid adferri poterit] quid afferrri potest Or. §. 45. antecesserint, non sit] antecesserint, [ita ut] non sit Or. Ibid. ab iis fatum abesse: alteri volunt a rebus fatum omne relegari.] ab his fatum abesse Or. omissis reliquis, quae auctore cod. Harleiano, qui habet fatum omne relegari, Alanus addidit.

In librorum *de re publica* fragmentis, ut iam ante significavi, maxime secutus sum Fr. Osanni editionem, et quum pro re nata multa in his libris mutari a me non potuerint, per pauca hic adnotanda videntur. Ac primum quidem commemoro me propterea paginas cod. Vaticani in margine adnotasse, ut de ratione operae in his libris positae iudicium nostrum melius constaret et, si quando diceretur omis-sus esse certus paginarum numerus, quid spatii eae paginae olim complevissent, intelligi posset. Praeterea in hoc libro antiquorem scribendi rationem multis in locis obtinui, quoniam in uno libro ser-vata sunt fragmenta itaque certius de singulis verbis iudicium est. De singulis locis haec habeo quae hic dicam.

Lib. I. cap. 2. §. 2. scripsi quin ab his pro vulgato quod non ab his de Krarupii coniectura Orellio, Madvigio, Osanno probata. In cod. Vat. quod om. non legitur. Ibid. §. 3. expertes sunt de Osanni coniectura scripsi. Vulgo et in cod. Vat. legitur expertes sint. Paulo post ad hanc voluptatem, quod in Cod. Vat. est, auctore Osanno restitui. Vulgo ad hanc voluntatem legebatur. Cap. 7. §. 12. edid- de Moseri coniectura: *Haec pluribus a me verbis dicta sunt*, pro eo, quod in cod. Vat. est: *Haec plurimis a me verbis dicta sunt*. Cap. 10. §. 15. consequi posset de Lehneri coniectura scripsi pro consequi possit, quod in cod. Vat. est. Conf. Fr. Osannum p. 41. Cap. 11. §. 17. de coniectura mea scripsi: *qui est nobis huius sermonis auctor*. In cod. Vat. est *qui est nobis laetus sermonis auctor*. Vulgo *laudatus pro laetus* legitur de Steinackeri coniectura, non admodum probabili. Melius Franckius coniecerat totius. Quam facile autem *LAVTVS* et *HVIVS* inter se confundi potuerint appareat. Cap. 12. §. 18. uno aut altero scripsi pro eo, quod in cod. Vat. est *uno an altero*. Facile enim *an ex aut oriri* potuit. Minus probo quod Osannus edidit *uno atque altero*. Cap. 13. §. 20. *in qua primum excelles ipse* edidi. *excello*, quod in cod. Vat. est, ineptum sane ad h. l. videtur. Facilius autem *excelles* ab *excelleo* cum *excello* confundi potuisse videtur quam *excellis*. Cap. 16. §. 25. *lunae oppositu* de Beieri sententia nunc recte receptum est. In cod. Vat. *oppositum* legitur. Cap. 17. §. 28. quae verba uncis inclusi: *de qua modo dicebatur*, in cod. post *agere* videretur leguntur. Mihi, ut Osanno, de glossemate suspecta sunt. Cap. 18. §. 30. *quaesit pro quid sit*, quod in cod. Vat. est, de Heinrichii coniectura scripsi. Vide nunc etiam lo. Vahlen *ENN. POËS. reliqu.* p. 123. Cap. 19. §. 31. *molientibus* de Moseri coniectura edidi auctore etiam Osanno. In cod. Vat. *moventibus* legitur. Cap. 25. §. 39. quod in cod. Vat. habetur: *ut ne in omnium quidem rerum affluen.....*, vulgo ita supplerunt, *ut scriberent affluentia*. Veri simile est sic scripsisse M. Tullium. Sed quis praestare quae sunt eius modi potest? Potest enim olim etiam sic scriptum fuisse: *ut ne in omnium quidem rerum adfluentibus copiis etc.* Conf. lib. de officiis I. cap. 43. §. 153. *Quod si contigerit ea vita sapienti, ut in omnium rerum adfluentibus copiis etc.* Cap. 26. §. 41. *institutio pro instituta* de Steinackeri coniectura posui. Recepit nuper ipse A. Mainiis hanc correctionem. §. 42. de Osanni ratione scripsi et aliud ut alio possit esse *praestantius*. In cod. *ut omissum* est. Cap. 27. §. 43. *quam habet*, quod in cod. Vat. legitur, auctore Ottone apud Osannum restitui. Vulgo *quam habeat* legitur. Cap. 28. §. 44. *facile*, quod in cod. Vat. est, non mutavi, vulgo in *facili* conversum. Videatur tamen hoc olim *FACILEI* fuisse. Cap. 29. §. 45. *recte* nuper sentio pro *censeo*, quod Orellius cum Mosero receperat, restitutum est. Cap. 31. §. 47. de verbis: *sed ea dant magis, quae, etiam si nolint, danda sint*, conf. Madviginis ad Ciceronis libros de finibus p. 302. Cap. 34. §. 53. *iniquissima est* edidi de Madvigii auctoritate,

quem vide l. c. p. 448. In cod. Vat. est *iniquissima sit*. Alii *iniquissima fit* scripserunt. Cap. 36. §. 56. scripsi *omnes docti indoctique consentiunt Osanni auctoritate*. In cod. Vat. a pr. manu *doctique expoliri pro docti indoctique legitur*, ab altera manu *docti indoctique expoliri*. Ibid. ut ait *Homerus de Heinrichii correctione est*. In cod. Vat. legitur *ut ait totum Olympum Homerus*. Osannus nuper *Homerus prorsus expunxit*. Cap. 38. p. 60. scripsi de conjectura mea: *seditionem quandam animi esse ducebat*. Quod in cod. Vat. a pr. manu legitur *ab animo reducebat*, tum autem ita mutatum est, ut expuncto *ab superponeretur mi et ve*, facile intelligitur compendium in cod. fuisse aliquo casu obscuratum. *vere propter ipsam sententiam improbandum est in simplici hac definitione*. Cap. 39. §. 62. de Heinrichii sententia *item in re publica* scripsi pro eo, quod in cod. Vat. est, *idem in re publica*. Cap. 41. §. 64. *pectoru dura* de Steinackeri sententia scriptum est. In cod. Vat. a pr. manu est *diu*, ab altera *dia*. Cap. 42. §. 65. *iniustus esse coepit* de Moseri conjectura est. In cod. Vat. est *cooperit*. Conf. Madvigium l. p. 691. Item paulo post *attulit* recepi pro *Atulerit*, quod in cod. Vat. est. In eo capite extremo codicis *scriptura cave autem putas servata auctore Osanno interpunctionem ita mutavi*, ut cum capite, quod proxime sequitur, coniungerem orationem. Cap. autem 43. §. 66. *hausit pro hauserit*, quod in cod. Vat. est, scripsi. Vide Madvigium l. c. p. 691. §. 67. facile adduci quis possit, ut *ecferunt pro ferunt* olim scriptum fuisse existimet. Cap. 44. §. 68. scripsi de Moseri suspicione *ab iis autem aut principes etc.* In cod. Vat. est *pro autem aut a pr. manu aut ab altera autem scriptum*. Saepe autem post *autem excidit aut et illud contra ante aut*. Cap. 45. §. 69. *e tribus* de Heinrichii conjectura est. In cod. *e* omittitur. Cap. 46. §. 70. *si potero* scripsi auctore etiam Osanno et Nonio, qui habet hunc locum p. 244, 21., in cod. Vat. est *si potuero*. Denique cap. 47. §. 71. *tunc vero*, quod in cod. Vat. a prima manu est, revocavi. Vulgo *tum vero* scriptum est, ut est ab altera manu in illo codice scriptum.

Lib. II. cap. 4. §. 7. *excursant pro vulgato excurrunt* scripsi auctore Osanno et Krarupio. In cod. Vat. a prima manu legitur *ex currant*. §. 9. scripsi *ego quod ubique genitum est. genitum* in cod. Vat. ab altera manu est, a prima *gentium*. Illud recte iam defendit Krarupius. Post cap. 5. §. 10. *ulla in parte* Krarupio auctore et Osanno scripsi. Vulgo *alia in parte* legebatur. In cod. *ulla* est, sed fortasse emendatum *alia*. Cap. 14. §. 26. *in quibus*, quod est in cod. Vat. a pr. manu, restitui auctore Ottone. Vulgo *quibus*, quod est ab altera manu in illo codice, ediderunt. Cap. 21. §. 37. *in loco dubio Servius Sulpicius*, quod in cod. Vat. scriptum est, relinquere quam *Servius Tullius* corrigere malui. Paulo post pro *Tarquinensi* legitur in cod. Vat. *Tarquinense*, quod videtur fuisse *Tarquinensei*. Cap. 23. §. 42. *proprium est de Osanni conjectura scripsi pro vulgato proprium sit*. Cap. 31. §. 54. *de verbis ut, quod proditum memoria*

*est etc. conf. Madvigium in Opusc. Acad. alt. p. 110 sq. adn. Cap. 41. p. 68. in fragm. 8. obteritur de L. Bindandi conjectura scripsi pro vulgato operitur.*

Lib. III. cap. 3. §. 6. *Sin altera est utra* scripsi pro vulgato *Sin alterutra sit de Madvigii sententia ad Ciceronis libros de finibus p. 448. proposita*. In cod. Vat. legitur *Sin aliter sit utra*. Ad cap. 13. hic adnoto me auctore censore Lipsiensi praeeuntibus A. Maio et Fr. Osanno, quae vulgo capite decimo tertio legerentur, capite decimo quarto describenda curasse, quae autem capite decimo quarto haberentur, decimo tertio. Sic enim horum verborum ratio constat. Cap. 16. §. 26. *in ea causa* scripsi pro *in hac causa*. Illud est in cod. Vat. a pr. manu, hoc ab altera.

Lib. IV. cap. 4. §. 4. vix est quod hodie commemorem *pallius interiectis* esse veram cod. Vaticani scripturam ab A. Maio secundis curis inventam. Cap. 9. §. 9. quae leguntur, ad ea adnoto similia haberi in *Disputat. Tuscul.* lib. III. cap. 2. §. 3. Cap. 10. §. 11. de conjectura mea scripsi *violari versibus et exagitari in scaena*. Vulgo legitur: *violari versibus et eos agi in scena*. Cap. 12. §. 14. *interpunctionem post ενδρινειν τέττην delevi et interrogationis signum post διορίζονταν posui*.

In lib. V. cap. 8. quod vulgo legebatur n. 11. fragmentum: *Quod non modo — contingit*, auctore Osanno omisi, quod est petitum e *Disputat. Tuscul.* lib. V. cap. 6. §. 15., ut nullo modo huc pertineat.

In lib. VI. cap. 12. §. 12. *excitetis, parumper audite caetera*, auctore potissimum Osanno edidi, sed paulo post eius iudicium probare non potui, et scripsi *ad tutandam rem publicam pro ad tutandum rem publicam*, quoniam mihi de Ciceronis consuetudine loquendi in hac quidem formula dubitari plane non posse videtur. Haec habui quae de his libris dicerem. De libris autem, qui sunt *de legibus*, in quibus emendandis diligentissime nuper versatus est Feldhuegelius, quem ego potissimum secutus sum, quamquam in iis quoque non nulla novata a me sunt, nihil hic dicam, quia et uberior est ista disputatio et alio loco de emendatione illorum librorum, quae mea sit sententia, exponere constitui.

Scripsi Lipsiae d. VI. mens. Mai. a. MDCCCLV.

Reinholdus Klotz.

M. TULLII CICERONIS  
DE NATURA DEORUM  
AD M. BRUTUM  
LIBER PRIMUS.

Partis quartae volumine secundo continentur:

Prooemium editoris . . . . .	p. III sqq.
M. Tullii Ciceronis de natura deorum libri tres . . . .	p. 1—126
Eiusdem de divinatione libri duo . . . . .	p. 127—221
Eiusdem de fato libri quae manserunt . . . . .	p. 222—240
Eiusdem de re publica librorum sex quae manserunt . .	p. 241—340
Eiusdem de legibus libri tres . . . . .	p. 341—404

A R G U M E N T U M.

In his libris, in quibus Cicero sibi omnem fere veterum philosorum *de natura deorum* doctrinam explicandam sumpsit, hanc auctor rationem secutus est, ut, quae Epicurei de natura deorum docuissent, ea C. Velleio, ei qui anno u. c. 664. tribunatum obtinuit et clari illius oratoris L. Licinii Crassi familiaris fuisse dicitur lib. *de oratore* III. cap. 21. §. 78., exponenda traderet, quum ipse Phaedrum Athenensem, qui librum *περὶ θεῶν* scripserat, in hac parte conscribenda, ut videtur, sequeretur, ea autem, quae Stoici de natura deorum praecepissent, ut Q. Lucilio Balbo, quem eundem etiam in Hortensio loquentem induxerat, explicanda daret, ipse, ut videtur, in hac parte componenda Posidonii Rhodii libros *περὶ θεῶν* secutus. Contra hos ita disputantem fecit C. Aurelium Cottam, oratorem non ignobilem, eum qui natus anno u. c. 630., anno autem 663., quum tribunatum peteret, post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu et lege Varia reus maiestatis factus et e civitate electus in Graecia in exsilio vixit, anno autem 672. cum L. Sulla rediit et cum L. Octavio consul fuit anno u. c. 679., ut is, quae Academicci de natura deorum docuissent, enarraret: in quorum praeceptis tradendis Cicero ipse, ut videtur, Clitomachi Karthaginiensis libros secutus est. Hos tres homines apud C. Cottam feriis Latinis annum inter u. c. 676 et annum 679. inter se de natura deorum colloquentes facit, ipso audiente, qui paullo ante in Graecia studio philosophiae operam dederat. Scribebat autem hos libros, ut colligi potest ex epist. *ad Atticum* lib. XIII. ep. 39. §. 2., ubi petit ut ille sibi mittat libros Phaedri *περὶ θεῶν*, aestate anni u. c. 709., absolvit certe ante Idus Maias anni u. c. 710., ut intelligitur ex lib. I. cap. 4. §. 7. In hoc autem libro primo *de natura deorum*, quos misit ad M. Brutum, quem scimus in Graeca philosophia cognoscenda multum temporis opera deque posuisse

et ipsum librum *de virtute* composuisse in ipso prooemio ad M. Bruntum scripto M. Tullius de summa difficultate et obscuritate gravissimae huius quaestionis de natura deorum disserit, de qua tam variae tamque discrepantes philosophorum sint sententiae, quas deinceps paucis enarrat, cap. 1 et 2. §. 1—5. Tum Cicero, quoniam et amici benevole eum admonuerant et invidi inimice vituperaverant, quod philosophiam Graecam Latinis litteris traduceret, et universum philosophiae studium defendit et breviter rationem reddit quam ob rem ipse Academicorum disciplinam potissimum secutus sit, quorum de gravissimis rebus dubitanter loquendi ratio ad hanc ipsam quaestionem maximo opere pertinere videatur, de qua quum difficilem per se sit iudicium, tum tantae doctissimorum hominum dissensiones, cap. 3—6. §. 5—14. Dein de disputatione inter C. Aurelium Cottam et C. Velleium et Q. Lucilium Balbum se audiente instituta refert, in qua quae a principibus illis trium disciplinarum disputata sint se dieit his libris exponere constituisse, cap. 6 et 7. §. 15—17. Et in hoc quidem primo libro initium disputandi facit C. Velleius et a reprehensione quidem Platonicae et Stoicae rationis, quarum illa mundum a deo tamquam opifice atque aedificatore profectum continebat, altera πρόνοιαν, id est, providentiam inducebat, a qua mundus effectus esset et administraretur, utraque autem mundum animo et sensibus praeditum, rotundum, ardentem volubilemque faciebat, cap. 8—10. §. 18—23. Reliquorum deinde omnium philosophorum inde a Thalete de deo sententiis breviter commemoratis et reprehensis, cap. 10—15. §. 24—41., ad ipsam Epicuream de dis rationem explicandam accedit, quam unam veram esse existimat. Solum enim Epicurum vidisse, primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset natura et sine doctrina anticipationem quamdam deorum, quam ipse appellat προληψιν, sine qua non intelligi quidquam nec quaeri nec disputari posse: id ex eo intelligi, quod omnium hominum in eo sit mira consensio, ut deos esse statuant, eamque anticipationem sive praenotionem deorum habeant, ut eos beatos et immortales putent: ex quo consequi, ut nihil negotii nec ipsi habeant nec aliis exhibeant neque ira neque gratia teneantur, quia, quae talia sint, imbecilla sint omnia. Id si ita sit, pie colendos esse deos propter praestantem naturam, nullo autem modo timendos, quo uno dicit omnem superstitionem everti, cap. 16 et 17. §. 42—45. Sed ad hanc opinionem confirmam dam anquirere animum et formam et vitam et actionem mentis atque agitationem in deo, et figuram quidem nullam posse aliam esse nisi humanam, primum quod natura speciem aliam deorum non habeamus, deinde quod humana forma sit pulcherrima, tertio quod in alia nulla figura domicilium mentis esse possit. Neque tamen eam speciem corpus esse, sed quasi corpus, eamque non sensu, sed mente cerni, nec soliditate nec ad numerum, sed imaginibus similitudine et transitione perceptis. Vitam autem deorum esse beatissimam et omnibus bonis adfluentem: nihil enim agere, sua virtute et sapientia gaudere et

habere exploratum fore se semper in maximis voluptatibus, cap. 18—20. §. 46—56. His expositis contra disputat Cotta, non ut aliquid ipse decernat, sed ut Epicurea dissolvat, neque quod neget esse deos, sed quod rationem, quae adseratur, firmam non putet. Nam argumentum, quod ab omnium hominum consensu petatur, quum leve per se tum etiam falsum esse, cap. 21—23. §. 57—64. Sed deos esse concedi posse: illud doceri se velle, unde sint, ubi sint, quae sint, ad quae omnia atomis abuti Epicureos, quas negat primo ulla esse, quod nullus sit corporibus vacuus locus, deinde, si sint, effici ut aeterni di non sint et interire possint, quo constituto beatitudinem deorum tolli. Ad hanc reprehensionem vitandam quasi corpus et quasi sanguinem excogitata esse, quae quid sint neminem posse intelligere, cap. 23—26. §. 65—74. Quibus autem rationibus humana forma dis adsumatur, eas nullam vim habere. Nam quod omnes fere homines praeter Aegyptios et paucas fere alias gentes, eam formam dis cogitatione adstringant, id non a natura esse profectum, sed aut consilio humano aut superstitioni a pictoribus, poëtis, artificibus confirmatae deberi: neque ex eo, quod hominibus nihil homine pulcrius esse videatur, consequi re vera nihil esse homine pulcrius: non enim dubium esse quin etiam bovi nihil bove, cani nihil cane pulcrius videatur. Denique incertum illud esse, quod nusquam nisi in figura humana ratio atque etiam beatitudo locum habere videatur. Neque enim, quod in nulla alia figura rationem viderimus, propterea in nulla esse posse. Quod sensus non doceat, rationem docere. Nam si nullum dis negotium, quod membra corporis humani requirat, nihil membris opus esse, cap. 27—37. §. 75—102. Iam in caeteris etiam quaestionibus, de domicilio, de vita, de beatitudine deorum laborare Epicuream rationem: nullam in dis soliditatem esse nec ad numerum permanere illos dicere, sed imaginum similitudine et transitione percipi. Iam si nulla deorum sit soliditas et eminentia, nihil interesse utrum deo ante hippocentauro disputetur, meritoque deos ad eas conformatioes referri, qui motus inanes appellantur. Quod si imaginibus deorum pulsentur animi, quamquam tota res nugatoria sit, tamen species dumtaxat obici animis, non vero cur eae beatae sint aut aeternae, etsi vel maxime continenter ferantur. Nam illam λογοτύπιαν, id est, aequilibritatem Epicuri, qua, qui natura mortalis sit, ut is etiam mortalis sit effici putet, perabsurdam esse, quod ea sumpta eodem modo colligi possit, quia homines in terra nascantur, etiam in aqua nasci et huius modi absurdia plura. Beatus vero quum sine virtute nemo esse possit, nulla autem sine actione virtus, ne deos quidem illos otiosos beatos esse posse, quos neque voluptate corporis uti posse, in qua summum bonum Epicurus ponat, neque una doloris vacuitate aut adsidua felicitatis suae cogitatione beatos effici posse, et quum semper pulsentur incursione atomorum et imagines ex ipsis semper effluant, non posse non interitum timere, id quod beatitudini prorsus contrarium esse videatur, cap. 37—41. §. 103—114.

Quoniam vero otiosos deos introducant Epicurei, nullam rerum humarum curam habentes, nihil iuvantes homines, omnem sanctitatem deorum et hominum adversus eos pietatem, quamquam verbis illi ponant, re tamen tollere, cap. 41—44. §. 115—124.

I. 1. Quum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et perobscura quaestio est de natura deorum, quae et ad agnitionem animi pulcherrima est et ad moderrandam religionem necessaria. De qua tam variae sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat causam, id est, principium philosophiae esse inscientiam prudenterque Academicos a rebus incertis adsensionem cohibusse. Quid est enim temeritate foedius aut quid tam temerarium tamque indignum sapientis gravitate atque constantia quam aut falsum sentire aut quod non satis explorare perceptum sit et cognitum sine ulla dubitatione defendere? 2. Velut in hac quaestione plerique, quod maxime veri simile est et quo omnes duce natura vehimur, deos esse dixerunt, dubitare se Protagoras, nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit enumerare sententias. Nam et de figuris deorum et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur, deque his summa philosophorum dissensione certatur: quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent an contra ab iis et a principio omnia facta et constituta sint et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, in primis magna dissensio est, eaque nisi dijudicatur, in summo errore necesse est homines atque in maximarum rerum ignoratione versari. II. 3. Sunt enim philosophi et fuerunt qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurementem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas, quae sanctitas, quae religio? Haec enim omnia pure atque caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertisuntur ab iis et si est aliquid a dis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem di nec possunt nos iuvare nec volunt

nec omnino curant nec quid agamus animadvertisunt nec est quod ab iis ad hominum vitam permanare possit, quid est quod ullos dis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem ficta simulationis, sicut reliquae virtutes, item pietas inesse non potest, cum qua simul sanctitatem et religionem tolli necesse est, quibus sublatis perturbatio vitae sequitur et magna confusio. 4. Atque haud scio an pietate adversus deos sublata fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur. Sunt autem alii philosophi et ii quidem magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant, neque vero id solum, sed etiam ab iisdem hominum vitae consuli et provideri: nam et fruges et reliqua, quae terra pariat, et tempestates ac temporum varietates caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a dis immortalibus tribui generi humano putant, multaque, quae dicentur in his libris, colligunt, quae talia sunt, ut ea ipsa di immortales ad usum hominum fabricati paene videantur. Contra quos Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non cordes ad veri investigandi cupiditatem. 5. Res enim nulla est, de qua tanto opere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant. Quorum opiniones quum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit. III. Qua quidem in causa et benevolos obiurgatores placare et invidos vituperatores confutare possumus, ut alteros reprehendisse poeniteat, alteri didicisse se gaudeant. Nam qui admonent amice docendi sunt, qui inimice insectantur repellendi. 6. Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos complures brevi tempore edidimus, variumque sermonem partim admirantium unde hoc philosophandi nobis subito studium exstitisset, partim quid quaque de re certi haberemus scire cupientium. Multis etiam sensi mirabile videri eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet et quasi noctem quamdam rebus offunderet, desertaeque disciplinae et iam pridem relictae patrocinium necopinatum a nobis esse susceptum. Nos

autem nec subito coepimus philosophari nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumsimus, et, quem minime videbamur, tum maxime philosophabamur, quod et orationes declarant resertae philosophorum sententiis et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. 7. Et si omnia philosophiae pracepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit. IV. Sin autem quis requirit quae causa nos impulerit ut haec tam sero litteris mandaremus, nihil est quod expedire tam facile possimus. Nam quum otio langueremus et is esset rei publicae status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset, primum ipsius rei publicae causa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis res tam graves tamque claras Latinis etiam litteris contineri. 8. Eoque me minus instituti mei poenitet, quod facile sentio quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commoverim. Complures enim Graecis institutionibus eruditae ea, quae dicerant, cum civibus suis communicare non poterant, quo illa, quae a Graecis accepissent, Latine dici posse diffidarent. Quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur. 9. Hortata etiam est, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo fortunae magna et gravi commota iniuria, cuius si maiorem aliquam levationem reperiire potuissem, non ad hanc potissimum configuisse. Ea vero ipsa nulla ratione melius frui potui, quam si me non modo ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedisset. Omnes autem eius partes atque omnia membra tum facilime noscuntur, quum totae quaestiones scribendo explicantur. Est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nixa et omnes inter se aptae colligataeque videantur. V. 10. Qui autem requirunt quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt quam necesse est. Non enim tam auctores in disputando quam rationis momenta

quaerenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, si quid adfirmarent in disputando, quum ex iis quaereretur, qua re ita esset, respondere solitos: *Ipse dixit.* ‘*Ipse*’ autem erat Pythagoras. Tantum opinio praeiudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. 11. Qui autem admittantur nos hanc potissimum disciplinam secutos, his quatuor Academicis libris satis responsum videtur. Nec vero desertarum reliatarumque rerum patrocinium suscepimus. Non enim hominum interitu sententiae quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant, ut haec in philosophia ratio contra omnia disserendi nullamque rem aperte iudicandi profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade usque ad nostram viguit aetatem: quam nunc propemodum orbam esse in ipsa Graecia intelligo. Quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum arbitror contingisse. Nam si singulas disciplinas percipere magnum est, quanto maius omnes? quod facere iis necesse est, quibus propositum est veri reperiendi causa et contra omnes philosophos et pro omnibus dicere. 12. Cuius rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse pae me fero. Nec tamen fieri potest ut, qui hac ratione philosophentur, ii nihil habeant quod sequantur. Dietum est omnino hac de re alio loco diligentius, sed, quia nimis indociles quidam tardique sunt, admoneri viidentur saepius. Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa iudicandi et adsentendi nota. Ex quo exstitit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum quemdam haberent insignem et illustrem, iis sapientis vita regeretur.

VI. 13. Sed iam, ut omni me invidia liberem, ponam in medio sententias philosophorum de natura deorum. Quo quidem loco convocandi omnes videntur qui quae sit earum vera

iudicent. Tum demum mihi procax Academia videbitur, si aut consenserint omnes aut erit inventus aliquis qui quid verum sit invenerit. Itaque mihi libet exclamare, ut in Synephebis:

*Proh deum, popularium omnium, omnium adolescentiarum  
Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro atque imploro fidem,  
non levissima de re, ut queritur ille in civitate fieri faci-  
nora capitalia,*

*.... ab amico amante argentum accipere meretrice nevolt.*

14. sed ut adsint, cognoscant, animadvertant quid de religione, pietate, sanctitate, caerimonii, fide, iure iurando, quid de templis, delubris sacrificiisque solemnibus, quid de ipsis auspiciis, quibus nos praesumus, existimandum sit. Haec enim omnia ad hanc de dis immortalibus quaestionem referenda sunt. Profecto eos ipsos, qui se aliquid cert habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio. 15. Quod quum saepe alias tum maxime animadverti, quum apud C. Cottam familiarem meum accurate sane et diligenter de dis immortalibus disputatum est. Nam quum feriis Latinis ad eum ipsius rogatu arcessituque venisse, offendi eum sedentem in exhedra et cum C. Velleio senatore disputantem, ad quem tum Epicurei primas ex nostris hominibus deferebant. Aderat etiam Q. Lucilius Balbus, qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur. Tum, ut me Cotta vidi: Peropportune, inquit, venis. Oritur enim mihi magna de re alteratio cum Velleio, cui pro tuo studio non est alienum te interesse. VII. 16. Atqui mihi quoque videor, inquam, venisse, ut dicis, opportune. Tres enim trium disciplinarum principes convenerunt. M. Piso si adesset, nullius philosophiae, earum quidem, quae in honore sunt, vacaret locus. Tum Cotta: Si, inquit, liber Antiochi nostri, qui ab eo nuper ad hunc Balbum missus est, vera loquitur, nihil est quod Pisonem familiarem tuum desideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis re concinere videntur, verbis discrepare: quo de libro, Balbe, velim scire quid sentias. Egone? inquit ille. Miror Antiochum, hominem in primis acutum, non vidisse

interesse plurimum inter Stoicos, qui honesta a commodis non nomine, sed genere toto disiungerent, et Peripateticos, qui honesta commiserent cum commodis, ut ea inter se magnitudine et quasi gradibus, non genere different. Haec enim est non verborum parva, sed rerum permagna dissensio. 17. Verum hoc alias: nunc quod coepimus, si videtur. Mihi vero, inquit Cotta, videtur. Sed, ut hic, qui intervenit — me intuens —, ne ignoret quae res agatur, de natura agebamus deorum, quae quum mihi videretur per obscura, ut semper videri solet, Epicuri ex Velleio sciscitabat sententiam. Quam ob rem, inquit, Vellei, nisi modestum est, repeate quae coeperas. Repetam vero, quamquam non mihi, sed tibi hic venit adiutor. Ambo enim, inquit adridens, ab eodem Philone nihil scire didicistis. Tum ego: Quid didicerimus Cotta viderit, tu autem nolo existimes me adiutorem huic venisse, sed auditorem et quidem aequum, libero iudicio, nulla eius modi astrictum necessitate, ut mihi, velim nolim, sit certa quaedam tuenda sententia.

VIII. 18. Tum Velleius fidenter sane, ut solent isti, nihil tam verens quam ne dubitare aliqua de re videretur, tamquam modo ex deorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset: Audite, inquit, non futilis commenticiasque sententias, non opificem aedificatoremque mundi, Platonis de Timaeo deum, nec anum fatidicam, Stoicorum pronoeam, quam Latine licet *providentiam* dicere, neque vero mundum ipsum animo et sensibus praeditum, rotundum, ardentem, volubilem deum, portenta et miracula non disserentium philosophorum, sed somniantium. 19. Quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a deo atque aedificari mundum facit? Quae molitio, quae ferramenta, qui vectes, quae machinae, qui ministri tanti muneris fuerunt? Quem ad modum autem obediere et parere voluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt? Unde vero ortae illae quinque formae, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus? Longum est ad omnia, quae talia sunt, ut optata magis quam inventa videantur. 20. Sed illa palmaris, quod, qui non modo natum mundum intro-

duxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum. Hunc censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam, id est, naturae rationem, qui quidquam quod ortum sit putet aeternum esse posse? quae est enim coagmentatio non dissolubilis aut quid est cuius principium aliquod sit, nihil sit extremum? Pronoea vero si vestra est, Lucili, eadem requiro, quae paulo ante, ministros, machinas, omnem totius operis designationem atque apparatum: sin alia est, cur mortalem fecerit mundum, non, quem ad modum Platonicus deus, sempiternum. IX. 21. Ab utroque autem sciscitor cur mundi aedificatores repente extirrint, innumerabilia saecula dormierint. Non enim, si mundus nullus erat, saecula non erant. Saecula nunc dico non ea, quae dierum noctiumque numero annuis cursibus conficiuntur: nam fateor ea sine mundi conversione effici non potuisse: sed fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla circumscriptio temporum metiebatur, spatio tamen qualis ea fuerit intelligi non potest: quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus aliquod, nullum quum tempus esset. 22. Isto igitur tam immenso spatio quaero, Balbe, cur Pronoea vestra cessaverit. Laboremne fugiebat? At iste nec attingit deum nec erat ullus, quem omnes naturae numini divino, caelum, ignes, terrae, maria parerent. Quid autem erat quod concupiseret deus mundum signis et luminibus tamquam aedilis ornare? Si, ut deus ipse melius habitaret, antea videlicet tempore infinito in tenebris tamquam in gurgustio habitaverat. Post autem varietatene eum delectari putamus, qua caelum et terras exornatas videmus? Quae ista potest esse oblectatio deo? quae si esset, non ea tam diu carere potuisset. 23. An haec, ut fere dicitis, hominum causa a deo constituta sunt? Sapientumne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitus. An stultorum? At primum causa non fuit cur de improbis bene mereretur: deinde quid est adsecutus, quem omnes stulti sint sine dubio miserrimi, maxime quod stulti sunt — miserius enim stultitia quid possumus dicere? —: deinde, quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vi-

tare venientia possint nec ferre praesentia. X. Qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo viderunt animi natura intelligentis in quam figuram cadere posset: de quo dicam equidem paullo post. 24. Nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem immortalē et eundem beatum rotundum esse velint, quod ea forma neget ullam esse pulchriorem Plato. At mihi vel cylindri vel quadrati vel coni vel pyramidis videtur esse formosior. Quae vero vita tribuitur isti rotundo deo? Nempe ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit: in qua non video ubinam mens constans et vita beata possit insistere. Quodque in nostro corpore, si minima ex parte + significetur, modestum sit, cur hoc idem non habeatur molestum in deo? Terra enim profecto, quoniam mundi pars est, pars est etiam dei. Atqui terrae maximas regiones inhabitabiles atque incultas videmus, quod pars earum appulsa solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaque longinquo solis abscessu: quae, si mundus est deus, quoniam mundi partes sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt.

25. Atque haec quidem vestra, Lucili. Qualia vero alia sint ab ultimo repetam superiorum. Thales enim Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Si di possunt esse sine sensu et mente, cur aquae [mentem, mentem autem aquae] adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore? Anaximandri autem opinic est nativos esse deos longis intervallis orientes occidentesque, eosque innumerabiles esse mundos. Sed nos deum nisi sempiternum intelligere qui possumus? 26. Post Anaximenes aera deum statuit eumque digni esseque immensum et infinitum et semper in motu, quasi aut aer sine ulla forma deus esse possit, quem praesertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie deceat esse, aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur. XI. Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit: in quo non vidit neque motum

sensui iunctum et continentem in infinito ullum esse posse, neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret. Deinde si mentem istam quasi animal aliquod voluit esse, erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. Quid autem interius mente? Cingatur igitur corpore externo. 27. Quod quoniam non placet, aperta simplexque mens nulla re adiuncta qua sentire possit fugere intelligentiae nostrae vim et notionem videtur. Crotoniates autem Alcmaeo, qui soli et lunae reliquisque sideribus animoque praeterea divinitatem dedit, non sensit sese mortalibus rebus immortalitatem dare. Nam Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione humanorum animorum discripi et lacerari deum et, quum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum dei partem esse miseram: quod fieri non potest. 28. Cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset deus? Quo modo porro deus iste, si nihil esset nisi animus, aut intixus aut infusus esset in mundo? Tum Xenophanes, qui mente adiuncta omne praeterea, quod esset infinitum, deum voluit esse, de ipsa mente item reprehenditur, ut caeteri, de infinite autem vehementius, in qua nihil neque sentiens neque coniunctum potest esse. Nam Parmenides quidem convicium quiddam coronae simile efficit — stephanen appellat —, continentem ardorem lucis orbem, qui cingat caelum, quem appellat deum, in quo neque figuram divinam neque sensum quisquam suspicari potest, multaque eiusdem modi monstra, quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem caeteraque generis eiusdem ad deum revocet, quae vel morbo vel somno vel obliuione vel vetustate delentur, eademque de sideribus, quae reprehensa iam in alio in hoc omittantur. XII. 29. Empedocles autem multa alia peccans in deorum opinione turpissime labitur. Quattuor enim naturas, ex quibus omnia constare censem, divinas esse vult, quas et nasci et extingui perspicuum est et sensu omni carere. Nec vero Protagoras, qui sese negat omnino deis habere quod liqueat, sint, non sint qualesve sint, quidquam videtur de natura deorum suspicari. Quid? Democri-

tus, qui tum imagines earumque circuitus in deorum numero refert, tum illam naturam, quae imagines fundat ac mittat, tum scientiam intelligentiamque nostram, nonne in maximo errore versatur? Quum idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neget esse quidquam sempiternum, nonne deum omnino ita tollit, ut nullam opinionem eius reliquam faciat? Quid? aér, quo Diogenes Apolloniates utilit deo, quem sensum habere potest aut quam formam dei? 30. Iam de Platonis inconstantia longum est dicere qui in Timaeo patrem huius mundi nominari neget posse: in Legum autem libris quid sit omnino deus anquiri oportere non censeat. Quod vero sine corpore ullo deum vult esse, ut Graeci dicunt, *άσωματον*, id quale esse possit intelligi non potest: careat enim sensu necesse est, careat etiam prudentia, careat voluptate; quae omnia una cum deorum notione comprehendimus. Idem et in Timaeo dicit et in Legibus et mundum deum esse et caelum et astra et terram et animos et eos, quos maiorum institutis accepimus, quae et per se sunt falsa perspicue et inter se vehementer repugnantia. 31. Atque etiam Xenophon paucioribus verbis eadem fere peccat. Facit enim in iis, quae a Socrate dicta rettulit, Socratem disputantem formam dei quaeri non oportere, eumdemque et solem et animum deum dicere, et modo unum, tum autem plures deos: quae sunt iisdem in erratis fere quibus ea, quae de Platone vidimus. XIII. 32. Atque etiam Antisthenes in eo libro, qui ‘Physicus’ inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicens tollit vim et naturam deorum. Nec multo secus Speusippus Platonem avunculum subsequens et vim quamdam dicens, qua omnia regantur, eamque animalem, evellere ex animis conatur cognitionem deorum: 33. Aristotelesque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone non dissentiens. Modo enim menti tribuit omnem divinitatem, modo mundum ipsum deum dicit esse, modo alium quemdam praeficit mundo eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam mundi motum regat atque tueatur, tum caeli ardorem deum dicit esse, non intelligens caelum mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit deum. Quo modo autem caeli di-

vinus ille sensus in celeritate tanta conservari potest? ubi deinde illi tot di, si numeramus etiam caelum deum? Quum autem sine corpore idem vult esse deum, omni illum sensu privat, etiam prudentia. Quo porro modo mundum movere carens corpore aut quo modo semper se movens esse quietus et beatus potest? 34. Nec vero eius condiscipulus Xenocrates in hoc genere prudentior, cuius in libris, qui sunt de natura deorum, nulla species divina describitur. Deos enim octo esse dicit: quinque eos, qui in stellis vagis nominantur, unum, qui ex omnibus sideribus, quae infixae caelo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus deus: septimum Solem adiungit, octavamque Lunam, qui quo sensu beati esse possint intelligi non potest. Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros, et tum .... modo mundum, tum mentem divinam esse putat, errantibus etiam stellis divinitatem tribuit sensuque deum privat et eius formam mutabilem esse vult, eodemque in libro rursus terram et caelum refert in deos. 35. Nec vero Theophrasti inconstantia ferenda est: modo enim menti divinum tribuit principatum, modo caelo, tum autem signis sideribusque caelestibus. Nec audiendus eius auditor Strato, is qui physicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura sitam esse censem, quae causas cognendi, augendi, minuendi habeat, sed careat omni sensu et figura. XIV. 36. Zeno autem, ut iam ad vestros, Balbe, veniam, naturalem legem divinam esse censem eamque vim obtinere recta imperantem prohibentemque contraria. Quam legem quo modo efficiat animantem intelligere non possumus. Deum autem animantem certe volumus esse. Atque hic idem alio loco aethera deum dicit, si intelligi potest nihil sentiens deus, qui numquam nobis occurrit neque in precibus neque in optatis neque in votis. Aliis autem libris rationem quamdam per omnium naturam rerum pertinentem vi divina esse affectam putat. Idem astris hoc idem tribuit, tum annis, mensibus annorumque mutationibus. Quum vero Hesiodi theogoniam [id est, originem deorum] interpretatur, tollit omnino usitatas perceptasque cognitiones deorum. Neque enim Iovem neque Iunonem neque Vestam neque

quemquam, qui ita appellatur, in deorum habet numero, sed rebus inanimis atque mutis per quamdam significacionem haec docet tributa nomina. 37. Cuius discipuli Aristonis non minus magno in errore sententia est, qui neque formam dei intelligi posse censeat neque in dis sensum esse dicat dubitetque omnino deus animans necne sit. Cleanthes autem, qui Zenonem audivit una cum eo, quem proxime nominavi, tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo tribuit hoc nomen, tum ultimum et altissimum atque undique circumfusum et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nomineatur, certissimum deum iudicat. Idemque quasi delirans in iis libris, quos scripsit contra voluptatem, tum fingit formam quamdam et speciem deorum, tum divinitatem omnem tribuit astris, tum nihil ratione censem esse divinius. Ita fit ut deus ille, quem mente noscimus atque in animi notione tamquam in vestigio volumus reponere, nusquam prorsus appareat.

XV. 38. At Persaeus, eiusdem Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, ipsasque res utiles et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas, ut ne hoc quidem diceret illa inventa esse deorum, sed ipsa divina. Quo quid absurdius quam aut res sordidas atque deformes deorum honore adficere aut homines iam morte deletos reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu? 39. Iam vero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vafermissimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum deorum atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare possimus, quum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere. Ait enim vim divinam in ratione esse positam et universae naturae animo atque mente, ipsumque mundum deum dicit esse et eius animi fusionem universam, tum eius ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem, tum fatalem vim ipsam et necessitatem rerum futurarum, ignem praeterea et eum, quem ante dixi, aethera, tum ea, quae natura fluenter atque manarent, ut et aquam

et terram et aëra: solem, lunam, sidera universitatemque rerum, qua omnia continerentur, atque etiam homines eos, qui immortalitatem essent consecuti. 40. Idemque disputat aethera esse eum, quem homines Iovem appellarent, quique aér per maria manaret, eum esse Neptunum, terraque eam esse, quae Ceres diceretur, similique ratione persequitur vocabula reliquorum deorum. Idemque etiam legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit, Iovem dicit esse eamdemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem, quorum nihil tale est, ut in eo vis divina inesse videatur. 41. Et haec quidem in primo libro de natura deorum, in secundo autem vult Orphei, Musaei, Hesiodi Homerique fabellas accommodare ad ea, quae ipse primo libro de immortalibus dixerit, ut etiam veterissimi poëtae, qui haec ne suspiciati quidem sunt, Stoici fuisse videantur. Quem Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerva, partum Iovis ortumque virginis ad physiologiam traducens diiungit a fabula.

XVI. 42. Exposui fere non philosophorum iudicia, sed delirantium somnia. Nec enim multo absurdiora sunt ea, quae poëtarum vocibus fusa ipsa suavitate nocuerunt, qui et ira inflammatos et libidine furentes induxerunt deos, feceruntque ut eorum bella, proelia, pugnas, vulnera videmus, odia praeterea, discidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus mortalesque ex immortali procreatos. 43. Cum poëtarum autem errore coniungere licet portenta magorum Aegyptiorumque in eodem genere dementiam, tum etiam vulgi opiniones, quae in maxima inconstantia veritatis ignorantie versantur. Ea qui consideret quam inconsulte atque temere dicantur, venerari Epicurum et in eorum ipsum numero, de quibus haec quaestio est, habere debeat. Solus enim vidit primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quae est enim gens aut quod genus hominum quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum? quam appellat *πρόληψις*

Epicurus, id est, antecepit animo rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi quidquam nec quaeri nec disputari potest. Cuius rationis vim atque utilitatem ex illo caelesti Epicuri de regula et iudicio volumine accepimus. XVII. 44. Quod igitur fundamentum huius quaestionis est, id paeclare iactum videtis. Quum enim non instituto aliquo aut more aut lege sit opinio constituta maneaturque ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est esse deos, quoniam insitas eorum vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur deos confitendum est. Quod quoniam fere constat inter omnes non philosophos solum, sed etiam indoctos, fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive praenotionem deorum — sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipse *πρόληψις* appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat —: 45. hanc igitur habemus, ut deos beatos et immortales putemus. Quae enim nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aeternos et beatos haberemus. Quod si ita est, vere exposita illa sententia est ab Epicuro, ‘quod beatum aeternumque sit, id nec habere ipsum negotii quidquam nec exhibere alteri: itaque neque ira neque gratia teneri, quod quae talia essent imbecilla essent omnia.’ Si nihil aliud quaereremus nisi ut deos pie coleremus et ut superstitione liberaremur, satis erat dictum: nam et praestans deorum natura hominum pietate coleretur, quum et aeterna esset et beatissima: habet enim venerationem iustum quidquid excellit: et metus omnis a vi atque ira deorum pulsus esset. Intelligitur enim a beata immortalique natura et iram et gratiam segregari, quibus remotis nullos a superis impendere metus. Sed ad hanc confirmandam opinionem anquirit animus et formam et vitam et actionem mentis atque agitationem in deo.

XVIII. 46. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim ratio docet. Nam a natura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam nisi humanam deorum. Quae enim forma alia occurrit umquam aut vigilanti

cuiquam aut dormienti? Sed, ne omnia revocentur ad pri-  
mas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. 47. Nam quum  
praestantissimam naturam, vel quia beata est vel quia semi-  
piterna, convenire videatur eamdem esse pulcherrimam,  
quae compositio membrorum, quae conformatio lineamen-  
torum, quae figura, quae species humana potest esse pul-  
cherrima? Vos quidem, Lucili, soletis — nam Cotta meus  
modo hoc, modo illud —, quum artificium effingitis fabri-  
camque divinam, quam sint omnia in hominis figura non  
modo ad usum, verum etiam ad venustatem apta describere.  
48. Quod si omnium animantium formam vincit hominis  
figura, deus autem animans est, ea figura profecto est quae  
pulcherrima est omnium, quoniamque deos beatissimos esse  
constat, beatus autem esse sine virtute nemo potest nec  
virtus sine ratione constare nec ratio usquam inesse nisi in  
hominis figura, hominis esse specie deos confitentum est.  
49. Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus, nec  
habet sanguinem, sed quasi sanguinem. XIX. Haec quam-  
quam et inventa sunt acutius et dicta subtilius ab Epicuro,  
quam ut quis ea possit agnoscere, tamen fretus intelli-  
gentia vestra dissero brevius quam causa desiderat. Epi-  
curus autem, qui res occultas et penitus abditas non modo  
viderat animo, sed etiam sic tractat, ut manu, docet eam  
esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu, sed  
mente cernatur, nec soliditate quadam nec ad numerum, ut  
ea, quae ille propter firmitatem στρογγύλα appellat, sed  
imaginibus similitudine et transitione perceptis: quum in-  
finita simillimarum imaginum species ex innumerabilibus in-  
dividualiis existat et ad nos adfluat, tum maximis voluptati-  
bus in eas imagines mentem intentam infixamque nostram  
intelligentiam capere, quae sit et beata natura et aeterna.  
50. Summa vero vis infinitatis et magna ac diligentis con-  
templatione dignissima est, in qua intelligi necesse est eam  
esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant.  
Hanc λογοτεχνίαν appellat Epicurus, id est, aequabilem tri-  
butionem. Ex hac igitur illud efficitur, si mortalium tanta  
multitudo sit, esse immortalium non minorem et, si quae  
interimant innumerabilia sint, etiam ea, quae conservent

infinita esse debere. Et querere a nobis, Balbe, soletis  
quae vita deorum sit quaeque ab iis degatur aetas. 51. Ea  
videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis adfluentius  
cogitari potest. Nihil enim agit, nullis occupationibus est  
implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia et virtute  
gaudet, habet exploratum fore se semper quum in maximis  
tum in aeternis voluptatibus. XX. 52. Hunc deum rite  
beatum dixerimus, vestrum vero laboriosissimum. Sive  
enim ipse mundus deus est, quid potest esse minus quietum  
quam nullo puncto temporis intermisso versari circum axem  
caeli admirabili celeritate? Nisi quietum autem nihil beatum  
est, sive in ipso mundo deus inest aliquis qui regat, qui  
gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, re-  
rum vicissitudines ordinesque conservet, terras et maria  
contemplans hominum commoda vitasque tueatur, ne ille  
est implicatus molestis negotiis et operosis! 53. Nos autem  
beatam vitam in animi securitate et in omnium vacatione  
munerum ponimus. Docuit enim nos idem qui caetera,  
natura effectum esse mundum: nihil opus fuisse fabrica-  
tamque eam rem esse facilem, quam vos effici negatis sine  
divina posse sollertia, ut innumerabiles natura mundos ef-  
fectura sit, efficiat, efficerit. Quod quia quem ad modum  
natura efficere sine aliqua mente possit non videtis, ut tra-  
gici poëtae, quum explicare argumenti exitum non potestis,  
confugitis ad deum: 54. cuius operam profecto non desi-  
deraretis, si immensam et interminatam in omnes partes  
magnitudinem regionum videretis, in quam se iniciens ani-  
mus et intendens ita late longeque peregrinatur, ut nullam  
tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere. In hac  
igitur immensitate latitudinem, longitudinem, altitudinem  
infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quae interiecto  
inani cohaerescunt tamen inter se et aliae alias apprehen-  
dentes continuantur: ex quo efficiuntur eae rerum formae  
et figurae, quas vos effici posse sine follibus et incudibus  
non putatis. Itaque imposuistis in celicibus nostris semi-  
ternum dominum quem dies et noctes timeremus. Quis  
enim non timeat omnia providentem et cogitantem et anim  
advententem et omnia ad se pertinere putantem curio-

sum et plenum negotii deum? 55. Hinc vobis exstitit pri-  
mum illa fatalis necessitas, quam εἰμαρκένην dicitis, ut,  
quidquid accidat, id ex aeterna veritate causarumque con-  
tinuatione fluxisse dicatis. Quanti autem haec philosophia  
aestimanda est, cui tamquam aniculis et iis quidem indoctis  
fato fieri videantur omnia? Sequitur μαντικὴ vestra, quae  
Latine divinatio dicitur, qua tanta imbueremur superstitione,  
si vos audire vellemus, ut haruspices, augures, harioli,  
vates, coniectores nobis essent colendi. 56. His terroribus  
ab Epicuro soluti et in libertatem vindicati nec metuimus  
eos, quos intelligimus nec sibi fingere ullam molestiam nec  
alteri querere, et pie sancteque colimus naturam excellen-  
tem atque praestantem. Sed elatus studio vereor ne lon-  
gior fuerim. Erat autem difficile rem tantam tamque piae  
claram incohataam relinquere. Quamquam non tam dicendi  
ratio mihi habenda fuit quam audiendi.

XXI. 57. Tum Cotta comiter, ut solebat: Atqui, inquit,  
Vellei, nisi tu aliquid dixisses, nihil sane ex me quidem  
audire potuisses. Mihi enim non tam facile in mentem ve-  
nire solet qua re verum sit aliquid quam qua re falsum.  
Idque quum saepe tum, quum te audirem paullo ante, con-  
tigit. Roges me quallem deorum naturam esse ducam, nihil  
fortasse respondeam. Quaeras putemne talēm esse, qualis  
modo a te sit exposita, nihil dicam mihi videri minus. Sed  
ante quam aggrediar ad ea, quae a te disputata sunt,  
de te ipso dicam quid sentiam. 58. Saepe enim de fa-  
miliari illo tuo videor audisse, quum te togatis omnibus  
sine dubio anteferret et paucos tecum Epicureos e Graecia  
compararet, sed, quod ab eo te mirifice diligi intelligebam,  
arbitrabor illum propter benevolentiam uberiorius id dicere.  
Ego autem, etsi vereor laudare praesentem, iudico tamen  
de re obscura atque difficili a te dictum esse dilucide,  
neque sententiis solum copiose, sed verbis etiam ornatus  
quam solent vestri. 59. Zenonem, quem Philo noster cory-  
phaeum appellare Epicureorum solebat, quum Athenis  
essem, audiebam frequenter et quidem ipso auctore Philone  
credo, ut facilius iudicarem quam illa bene refellerentur,  
quum a principe Epicureorum accepisset quēm ad modum

dicerentur. Non igitur ille, ut plerique, sed isto modo, ut  
tu, distinete, graviter, ornate. Sed quod in illo mihi usu  
saepe venit, idem modo, quum te audirem, accidebat, ut  
moleste ferrem tantum ingenium — bona venia me audies —  
in tam leves, ne dicam in tam ineptas, sententias incidisse.  
60. Nec ego nunc ipse aliquid adferam melius. Ut enim  
modo dixi, omnibus fere in rebus et maxime in physicis  
quid non sit citius quam quid sit dixerim. XXII. Roges me  
quid aut quale sit deus, auctore utar Simonide, de quo  
quum quaevisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi  
sibi unum diem postulavit. Quum idem ex eo postridie  
quaereret, biduum petivit. Quum saepius duplicaret nume-  
rum dierum admiransque Hiero requireret cur ita faceret:  
Quia quanto diutius considero, inquit, tanto mihi res videtur  
obscurior. Sed Simonidem arbitror — non enim poëta so-  
lum suavis, verum etiam caeteroqui doctus sapiensque  
traditur —, quia multa venirent in mentem acuta atque subti-  
lia, dubitantem quid eorum esset verissimum, desperasse  
omnem veritatem. 61. Epicurus vero tuus — nam cum  
illo malo disserere quam tecum — quid dicit, quod non modo  
philosophia dignum esset, sed mediocri prudentia?

Quaeritur primum in ea quaestione, quae est de natura  
deorum, sintne di necne sint. Difficile est negare. Credo,  
si in contione quaeratur, sed in huius modi sermone et in  
consensu facillimum. Itaque ego ipse pontifex, qui caeri-  
monias religionesque publicas sanctissime tuendas arbitror,  
is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi non  
opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim. Multa  
enim occurunt quae conturbent, ut interdum nulli esse vi-  
deantur. 62. Sed vide quam tecum agam liberaliter: quae  
communia sunt vobis cum caeteris philosophis, non attin-  
gam, ut hoc ipsum: placet enim omnibus fere mihi ipsi  
in primis deos esse. Itaque non pugno. Rationem tamen  
eam, quae a te adfertur, non satis firmam puto. XXIII. Quod  
enim omnium gentium generumque hominibus ita videretur,  
id satis magnum argumentum esse dixisti cur esse deos con-  
fiteremur. Quod quum leve per se tum etiam falsum est.  
Primum enim unde tibi notae sunt opinione nationum?

Evidem arbitror multas esse gentes sic immanitate effera-  
tas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. 63. Quid? Dia-  
goras, ἀθεος qui dictus est, posteaque Theodorus nonne  
aperte deorum naturam sustulerunt? Nam Abderites qui-  
dem Protagoras, cuius a te modo mentio facta est, sophistes temporibus illis vel maximus, quum in principio libri  
sic posuisset: 'De divis, neque ut sint neque ut non sint,  
habeo dicere', Atheniensium iussu urbe atque agro est ex-  
terminatus librique eius in contione combusti. Ex quo equi-  
dem existimo tardiores ad hanc sententiam profitendam  
multos esse factos, quippe quum poenam ne dubitatio qui-  
dem effugere potuisset. Quid de sacrilegis, quid de impiis  
periurisque dicemus?

*Tubulus si Lucius umquam,  
Si Lupus aut Carbo aut Neptuni filius,*

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam periurus aut tam  
impurus fuisse? 64. Non est igitur tam explorata ista ratio  
ad id, quod vultis, confirmandum quam videtur. Sed quia  
commune hoc est argumentum aliorum etiam philosophorum,  
omittam hoc tempore: ad vestra propria venire malo.

65. Concedo esse deos: doce me igitur unde sint, ubi  
sint, quales sint corpore, animo, vita. Haec enim scire de-  
sidero. Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia.  
Hinc quocumque in solum venit, ut dicitur, effingis atque  
efficis. Quae primum nullae sunt. Nihil est enim quod  
vacet corpore, corporibus autem omnis obsidetur locus: ita  
nullum inane, nihil esse individuum potest. XXIV. 66. Haec  
ego nunc physicorum oracula fundo, vera an falsa nescio,  
sed veri tamen similiora quam vestra. Ista enim flagitia  
Democriti, sive etiam ante Leucippi, esse corpuscula quae  
dam laevia, alia aspera, rotunda alia, partim autem angu-  
lata, curvata quaedam et quasi adunca: ex his effectum esse  
caelum atque terram nulla cogente natura, sed concursu  
quodam fortuito. Hanc tu opinionem, C. Vellei, usque ad  
hanc aetatem perduxisti, priusque te quis de omni vitae  
statu quam de ista auctoritate deiecerit. Ante enim iudi-  
casti Epicureum te esse oportere quam ista cognovisti. Ita

necessere fuit aut haec flagitia concipere animo aut susceptae  
philosophiae nomen amittere. 67. Quid enim mereas ut  
Epicureus esse desinas? Nihil equidem, inquis, ut rationem  
vitae beatae veritatemque deseram. Ista igitur est veritas?  
Nam de vita beata nihil repugno: quam tu ne in deo quidem  
esse censes, nisi plane otio langueat. Sed ubi est veritas? In  
mundis, credo, innumerabilibus omnibus minimis temporum  
punctis aliis nascentibus, aliis cadentibus. An in individuis  
corpusculis tam praeclera opera nulla moderante natura, nulla  
ratione fингentibus? Sed oblitus liberalitatis meae, qua tecum  
paullo ante uti coeporam, plura complector. Concedam igitur  
ex individuis constare omnia. Quid ad rem? deorum  
enim natura quaeritur. 68. Sint sane ex atomis: non igitur  
aeterni. Quod enim ex atomis, id natum aliquando est. Si  
natum, nulli di ante quam nati: et si ortus est deorum, in-  
teritus sit necessere est, ut tu paullo ante de Platonis mundo  
disputabas. Ubi igitur illud vestrum beatum et aeternum,  
quibus duobus verbis significatis deum? quod quum efficere  
vultis, in dumeta correptis. Ita enim dicebas, non corpus  
esse in deo, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed tam-  
quam sanguinem.

XXV. 69. Hoc persaepe facitis, ut, quum aliquid non  
veri simile dicatis et effugere reprehensionem velitis, ad-  
feratis aliquid quod omnino ne fieri quidem possit, ut satius  
fuerit illud ipsum, de quo ambigebatur, concedere quam tam  
impudenter resistere. Velut Epicurus, quum videret, si  
atomii ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil  
fore in nostra potestate quod esset earum motus certus et  
necessarius, invenit quo modo necessitatem effugeret, quod  
videlicet Democritum fugerat. Ait atomum, quum pondere  
et gravitate directo deorsus feratur, declinare paullulum.  
70. Hoc dicere turpius est quam illud, quod vult, non posse  
defendere. Idem facit contra dialecticos: a quibus quum  
traditum sit in omnibus dijunctionibus, in quibus 'aut etiam  
aut non' poneretur, alterum utrum verum esse, pertinuit  
ne, si concessum esset huius modi aliquid: 'Aut vivet eras  
aut non vivet Epicurus', alterum utrum fieret necessarium,  
totum hoc 'aut etiam aut non' negavit esse necessarium:

quo quid dici potuit obtusius? Urgebat Arcesilas Zenonem, quum ipse falsa omnia diceret, quae sensibus videbantur, Zenon autem non nulla visa esse falsa, non omnia. Timuit Epicurus ne, si unum visum esset falsum, nullum esset verum: omnes sensus veri nuncios dixit esse. Nihil horum nisi calde. Graviorem enim plagam accipiebat, ut leviorem repelleret. 71. Idem facit in natura deorum. Dum individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus et dissipatio consequatur, negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem. XXVI. Mirabile videtur, quod non rideat haruspex, quum haruspicem viderit: hoc mirabilius, quod vos inter vos risum tenere possitis. Non est corpus, sed quasi corpus. Hoc intelligerem quale esset, si id in ceris fingeretur aut fictilibus figuris. In deo quid sit quasi corpus aut quasi sanguis intelligere non possum. Ne tu quidem, Vellei, sed non vis fateri. 72. Ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quae Epicurus oscitans halucinatus est, quum quidem gloriaretur, ut videmus in scriptis, se magistrum habuisse nullum. Quod ei non praedicanti tamen facile eisdem crederem, sicut mali aedificii domino glorianti se architectum non habuisse. Nihil enim ei olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis. Xenocratem audire potuit, quem virum, di immortales! et sunt qui putent audisse: ipse non vult: credo plus nemini. Pamphilum quemdam, Platonis auditorem, ait a se Sami auditum: ibi enim adolescens habitabat cum patre et fratribus, quod in eam pater eius Neocles agripeta venerat: sed quum agellus eum non satis aleret, ut opinor, ludi magister fuit. 73. Sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus: ita metuit ne quid umquam didicisse videatur. In Nausiphane Democriteo tenetur, quem quum a se non neget auditum, vexat tamen omnibus contumeliis. Atqui si haec Democritea non audisset, quid audierat? quid enim in physicis Epicuri non a Democrito? Nam etsi quaedam commutavit, ut quod paullo ante de inclinatione atomorum dixi, tamen pleraque dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum innumerabilitatemque mundorum, eorum ortus, interitus, omnia

tere, quibus naturae ratio continetur. Nunc istuc quasi corpus et quasi sanguinem quid intelligis? 74. Ego enim te scire ista melius quam me non fateor solum, sed etiam faciliter: quum quidem semel dicta sunt, quid est quod Velleius intelligere possit, Cotta non possit? Itaque corpus quid sit, sanguis quid sit intelligo, quasi corpus et quasi sanguis quid sit nullo prorsus modo intelligo. Neque tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos, nec consulto dicis occulte tamquam Heraclitus, sed, quod inter nos licet, ne tu quidem intelligis. XXVII. 75. Illud video pugnare te, species at quaedam sit deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitque pura, levis, perlucida: dicemus igitur idem quod in Venere Coa, corpus illud non est, sed simile corporis, nec ille fusus et candore mixtus rubor sanguis est, sed quaedam sanguinis similitudo: sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse. Fac id, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum: cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta atque formas. 76. Non deest hoc loco copia rationum, quibus docere velitis humanas esse formas deorum: primum, quod ita sit informatum anticipatumque mentibus nostris, ut homini, quum deo cogitet, forma occurrat humana: deinde, quod, quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque esse pulcherrima debeat, nec esse humana ullam pulchriorem. Tertiam rationem adfertis, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse possit. 77. Primum igitur quidque consideremus quale sit. Adipere enim mihi videmini quasi vestro iure rem nullo modo probabilem. Omnino quis tam caecus in contemplandis rebus umquam fuit, ut non videret species istas hominum collatas in deos aut consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitae pravitate converterent, aut superstitione, ut essent simulacra, quae venerantes deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem haec eadem poëtae, pictores, opifices. Erat enim non facile agentes aliquid et molientes deos in aliarum formarum imitatione servare. Accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine pulcherius nihil videatur. Sed tu hoc, physice,

non vides quam blanda conciliatrix et quam sui sit lena natura? An putas ullam esse terra marique belua quae non sui generis belua maxime delectetur? Quod si ita esset, cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus vaccae? An tu aquilam aut leonem aut delphinum ullam anteferre censes figuram suae? quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulcherius quam hominem putaret, eam esse causam eur deos hominum similes putaremus?

XXVIII. 78. Quid censes, si ratio esset in beluis? non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse? At mehercule ego — dicam enim ut sentio —, quamvis amem ipse me, tamen non audeo dicere pulchriorem esse me, quam ille fuerit taurus, qui vexit Europam. Non enim hoc loco de ingenii aut de orationibus nostris, sed de specie figuraque quaeritur. Quod si fingere nobis et iungere formas velimus, qualis ille maritimus Triton pingitur natantibus invehens beluis adiunctis humano corpori, nolis esse. Difficili in loco versor. Est enim vis tanta naturae, ut homo nemo velit nisi hominis similis esse. 79. Et quidem formica formicæ. Sed tamen cuius hominis? Quotus enim quisque formosus est? Athenis quum essem, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur. Video quid adriseris, sed ita tamen se res habet. Deinde nobis, qui concedentibus philosophis antiquis adolescentulis delectamur, etiam vitia saepe iucunda sunt. Naevus in articulo pueri delectat Alcaeum. At est corporis macula naevus. Illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catulus, huius collegae et familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium, in quem etiam illud est eius:

*Constiteram exorientem Auroram forte salutans,  
Quum subito a laeva Roscius exoritur.  
Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra,  
Mortalis visus pulcrior esse deo.*

Huic deo pulcrior: at erat, sicut hodie est, perversissimis oculis. Quid refert, si hoc ipsum salsum illi et venustum videbatur? Redeo ad deos.

XXIX. 80. Ecquos, si non tam strabones, at paetus esse arbitramur? ecquos naevum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones, quae sunt in nobis? An omnia emendata in illis? Detur id vobis. Num etiam est una omnium facies? Nam si plures, aliam esse alia pulchriorem necesse est. Igitur aliquis non pulcherrimus deus. Si una omnium facies est, florere in caelo Academiam necesse est. Si enim nihil inter deum et deum differt, nulla est apud deos cognitio, nulla perceptio. 81. Quid? si etiam, Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis deo cogitantibus speciem nisi hominis occurtere, tamenne ista tam absurdâ defendes? Nobis fortasse sic occurrit, ut dicis: a parvis enim Iovem, Iunonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos ea facile novimus, quæ pictores factoresque voluerunt, neque solum facie, sed etiam ornatu, aetate, vestitu: at non Aegyptii nec Syri nec fere cuncta barbaria: firmiores enim video apud eos opiniones esse de bestiis quibusdam quam apud nos de sanctissimis templis et simulacris deorum. 82. Etenim fana multa sponsata et simulacula deorum de locis sanctissimis ablata video: a nostris: at vero ne fando quidem auditum est crocodilum aut ibim aut felem violatum ab Aegyptio. Quid igitur censes? Apim illum, sanctum Aegyptiorum bovem, nonne deum videri Aegyptiis? Tam hercule quam tibi illam vestram Sospitam, quam tu numquam ne in somnis quidem video nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis Argia nec Romana Iuno. Ergo alia species Iunonis Argivis, alia Lanuvinis. Et quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Hammonis Iovis. XXX. 83. Non pudet igitur physicum, id est, speculatorum venatoremque naturae, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? Isto enim modo dicere licebit Iovem semper barbatum, Apollinem semper imberbum, caelios oculos Minervae, caeruleos esse Neptuni. Et quidem laudamus [scilicet] Athenis Vulcanum, eum quem fecit Alcamenes, in quo stante atque vestito leviter appetet claudicatio non deformis: claudum igitur habebimus deum, quoniam de Vulcano sic accepimus. Age et his vocabulis esse deos

faciamus, quibus a nobis nominantur. 84. At primum quot hominum linguae, tot nomina deorum. Non enim, ut tu Velleius, quocumque veneris, sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania. Deinde nominum non magnus numerus ne in pontificiis quidem nostris, deorum autem innumerabilis. An sine nominibus sunt? Istud quidem ita vobis dicere necesse est. Quid enim attinet, quum una facies sit, plura esse nomina? Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire quod nescires quam ista effutientem nauseare atque ipsum sibi displicere? An tu mei similem putas esse aut tui deum? Profecto non putas. Quid ergo? solem dicam aut lunam aut caelum deum? Ergo etiam beatum? quibus fruentem voluptatibus? Et sapientem? qui potest esse in eius modi trunco sapientia? Haec vestra sunt. 85. Si igitur nec humano . . ., quod docui, nec tali aliquo, quod tibi ita persuasum est, quid dubitas negare deos esse? Non aedes. Sapienter id quidem. Etsi hoc loco non populum metuis, sed ipsos deos. Novi ego Epicureos omnia sigilla numerantes: quamquam video non nullis videri Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse. Itaque in illis selectis eius brevibusque sententiis, quas appellatis *κυρίας δόξας*, haec, ut opinor, prima sententia est: 'Quod beatum et immortale est, id nec habet nec exhibet cuiquam negotium.' XXXI. In hac ita exposita sententia sunt qui existimant, quod ille inscitia plane loquendi fecerit, fecisse consulto: de homine minime vafro male existimant. 86. Dubium est enim utrum dicat aliquid iste beatum et immortale an, si quod sit [id esse immortale]. Non animadvertis hic eum ambigue locutum esse, sed multis anis locis et illum et Metrodorum tam aperte quam paulo ante te. Ille vero deos esse putat nec quemquam vidi qui magis ea, quae timenda esse negaret, timeret, mortem dico et deos. Quibus mediocres homines non ita valde moventur, his ille clamat omnium mortalium mentes esse perterritas. Tot milia latrocinantur morte proposita: alii omnia, quae possunt, fana compilant. Credo, aut illos mortis timor terret aut hos religionis.

87. Sed quoniam non aedes — iam enim cum ipso Epicuro loquar — negare esse deos, quid est quod te impedit aut solem aut mundum aut mentem aliquam sempernam in deorum natura ponere? Numquam vidi, inquis, animam rationis consiliique participem in ulla alia nisi humana figura. Quid? solis numquidnam aut lunae aut quinque errantium siderum simile vidisti? Sol duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum cursus annuos conficit. Huius hanc lustrationem eiusdem incensa radiis menstruō spatio luna complet. Quinque autem stellae eundem orbem tenentes, aliae proprius a terris, aliae remotius, ab eisdem principiis disparibus temporibus eadem spatia conficiunt. Num quid tale, Epicure, vidisti? 88. Ne sit igitur sol, ne luna, ne stellae: quoniam nihil esse potest nisi quod attigimus aut vidimus. Quid? deum ipsum numne vidisti? Cur igitur credis esse? Tollamus ergo omnia, quae aut historia nobis aut ratio nova adfert. Ita fit ut mediterranei mare esse non credant. Quae sunt tantae animi angustiae? Ut, si Seriphi natus essem nec umquam egressus ex insula, in qua lepusculos vulpeculasque saepe vidisses, non crederes leones et panthers esse, quum tibi quales essent dicetur? si vero de elephanto quis diceret, etiam rideri te putas. Et tu quidem, Vellei, non vestro more, sed dialecticorum, quae funditus gens vestra non novit, argumenta sententiae conclusisti: beatos esse deos sumpsisti. Concedimus. Beatum autem sine virtute neminem esse posse.

XXXII. 89. Id quoque damus, et libenter quidem. Virtutem autem sine ratione constare non posse. Conveniat id quoque necesse est. Adiungis, nec rationem esse nisi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc pervenire? sumpsisses tuo iure. Quid autem est istuc gradatim? Nam a beatis ad virtutem, a virtute ad rationem video te venisse gradibus. A ratione ad humanam figuram quo modo accedis? Praecipitare istuc quidem est, non descendere. 90. Nec vero intelligo cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere quam homines deorum. Quaeres quid intersit. Si enim hoc illi simile sit, esse illud huic. Video. Sed hoc

dico, non ab hominibus formae figuram venisse ad deos: di enim semper fuerunt, nati numquam sunt, si quidem aeterni sunt futuri: at homines nati: ante igitur humana forma, quam homines, ea, qua erant forma di immortales. Non ergo illorum humana forma, sed nostra divina dieenda est. Verum hoc quidem, ut voletis: illud quaero, quae fuerit tanta fortuna — nihil enim ratione in rerum natura factum esse vultis —, sed tamen quis iste tantus casus? 91. unde tam felix concursus atomorum, ut repente homines deorum forma nascerentur? Semina deorum decidisse de caelo putamus in terras et sic homines patrum similes exsilitisse? Vellem diceretis: deorum cognitionem agnoscere non invitum. Nihil tale dicitis, sed casu esse factum ut essemus similes deorum. Et nunc argumenta quaerenda sunt quibus hoc refellatur? Utinam tam facile vera invenire possem quam falsa convincere! XXXIII. Etenim enumerasti memoriter et copiose, ut mihi quidem admirari luberet in homine esse Romano tantam scientiam, usque a Thale Milesic de deorum natura philosophorum sententias. 92. Omnesne tibi illi delirare visi sunt, qui sine manibus et pedibus constare deum posse decreverunt? Ne hoc quidem vos movet, considerantes quae sit utilitas quaeque opportunitas in homine membrorum, ut iudicetis membris humanis deos non egere? Quid enim pedibus opus est sine ingressu? quid manibus, si nihil comprehendendum est? quid reliqua descriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum est? Itaque nulla ars imitari sollertia naturae potest. Habebit igitur linguam deus et non loquetur, dentes, palatum, fauces nullum ad usum, quaeque procreationis causa natura corpori adfixit, ea frustra habebit deus, nec externa magis quam interiora, cor, pulmones, iecur, caetera, quae detracta utilitate quid habent venustatis? quando quidem haec esse in deo propter pulcritudinem vultis. 93. Istisne fidentes somniis non modo Epicurus et Metrodorus et Hermarchus contra Pythagoram, Platonem Empedoclemque dixerunt, sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa est? scito illa quidem sermone et Attico sed tamen... Tantum

Epicuri hortus habuit licentiae. Et soletis queri? Zeno quidem etiam litigabat. Quid dicam Albucium? Nam Phaedro nihil elegantius, nihil humanius. Sed stomachabatur senex, si quid asperius dixeram, quum Epicurus Aristotelem vexavit contumeliosissime, Phaedoni Socratico turpissime male dixerit, Metrodori sodalis sui fratrem, Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus considerit, in Democritum ipsum, quem secutus est, fuerit ingratus, Nausiphanem, magistrum suum, a quo [non] nihil didicerat, tam male acceperit. XXXIV. Zeno quidem non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, caeteros, figebat maledictis, sed Socratem ipsum, parentem philosophiae, Latino verbo utens, sourram Atticum fuisse dicebat, Chrysippum numquam nisi Chrysippam vocabat. 94. Tu ipse paullo ante, quum tamquam senatum philosophorum recitares, summos viros despere, delirare, dementes esse dicebas. Quorum si nemo verum vidi de natura deorum, verendum est ne nulla sit omnino. Nam ista, quae vos dicitis, sunt tota commenticia, vix digna lucubratione aniculorum. Non enim sentitis quam multa vobis suscipienda sint, si impetraritis ut concedamus eamdem hominum esse et deorum figuram. Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quae adhibetur homini: ingressus, cursus, accubatio, inclinatio, sessio, comprehensio, ad extremum etiam sermo et oratio. 95. Nam quod et mares deos et feminas esse dicitis, quid sequatur videtis. Evidem mirari satis non possum unde ad istas opiniones vester ille princeps venerit. Sed clamare non desinitis retinendum hoc esse, deus ut beatus immortalisque sit. Quid autem obstat quo minus sit beatus, si non sit bipes? aut ista, sive beatitas sive beatitudo dicenda est — utrumque omnino durum, sed usu mollienda nobis verba sunt —, verum ea, quaecumque est, cur aut in solem illum aut in hunc mundum aut in aliquam mentem aeternam figura membrisque corporis vacuam cadere non potest? 96. Nihil aliud dicas nisi: Numquam vidi solem aut mundum beatum. Quid? mundum praeter hunc umquamne vidisti? Negabis. Cur igitur non sescenta milia esse mundorum, sed innumerabilia ausus es

dicere? Ratio docuit. Ergo hoc te ratio non docebit, quum praestantissima natura quaeratur eaque beata et aeterna, quae sola divina natura sunt, ut immortalitate vincamur ab ea natura, sic animi praestantia vinci atque ut animi, item corporis? Cur igitur, quum caeteris rebus inferiores simus, forma pares sumus? Ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus quam figura. XXXV. 97. An quidquam tam puerile dici potest, ut eudem locum diutius urgueam, quam si ea genera beluarum, quae in rubro mari Indiave gignantur, nulla esse dicamus? Atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quam sunt multa, quae terra, mari, paludibus, fluminibus existunt: quae negemus esse, quia numquam vidimus! Ipsa vero quam nihil ad rem pertinet, quae vos delectat maxime, similitudo! Quid? canis nonne similis lupo? Atque, ut Ennius,

*Simia quam similis turpissima bestia nobis!*

At mores in utroque dispares. Elephanto beluarum nulla prudentior. At figura quae vastior? 98. De bestiis loquor. Quid? inter ipsos homines nonne et simillimis formis dispares mores et moribus simillimis figura dissimilis? Etenim si semel, Vellei, suspicimus genus hoc argumenti, attende quo serpat. Tu enim sumebas nisi in hominis figura rationem inesse non posse: sumet aliis nisi in terrestri, nisi in eo, qui natus sit, nisi in eo, qui adoleverit, nisi in eo, qui didicerit, nisi in eo, qui ex animo constet et corpore caduco et infirmo, postremo nisi in homine atque mortali. Quod si in omnibus his rebus obsistis, quid est quod te una forma conturbet? His enim omnibus, quae proposui, adjunctis in homine rationem esse et mentem videbas. Quibus detractis deum tamen nosse te dicis, modo lineamenta manent. Hoc est non considerare, sed quasi sortiri quid loquare. 99. Nisi forte ne hoc quidem attendis, non modo in homine, sed etiam in arbore quidquid supervacaneum sit aut usum non habeat obstare. Quam molestum est uno digito plus habere! Quid ita? quia nec ad speciem nec ad usum alium quinque desiderant. Tuus autem deus non di-

gito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus, lateribus, alvo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. Si, ut immortalis sit, quid haec ad vitam membra pertinent? quid ipsa facies? Magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur. Haec enim sunt domicilia vitae: oris quidem habitus ad vitae firmitatem nihil pertinet. XXXVI. 100. Et eos vituperabas, qui ex operibus magnificis atque praelaris, quum ipsum mundum, quum eius membra, caelum, terras, maria, quumque horum insignia, solem, lunam stellasque vidissent, quumque temporum maturitates, mutationes vicissitudinesque cognovissent, suspicati essent aliquam excellentem esse praestantemque naturam, quae haec fecisset, moveret, regeret, gubernaret. Qui etiam si aberrant a coniectura, video tamen quid sequantur. Tu quod opus tandem magnum et egregium habes, quod effectum divina mente videatur, ex quo esse deos suspicere? Habebam, inquis, in animo insitam informationem quamdam dei. Et barbati quidem Iovis, galeatae Minervae: num igitur esse tales putas? 101. Quanto melius haec vulgus imperitorum, qui non membra solum hominis deo tribuunt, sed usum etiam membrorum. Dant enim arcum, sagittas, hastam, clipeum, fuscinam, fulmen et si actiones quae sint deorum non vident, nihil agentem tamen deum non queunt cogitare. Ipsi, qui irridentur, Aegyptii nullam beluam nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt: velut ibes maximam vim serpentium conficiunt, quum sint aves excelsae, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Aegypto, quum volucres angues ex vastitate Libyae vento Africo invectas interficiunt atque consumunt, ex quo fit ut illae nec morsu vivae noceant nec odore mortuae. Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere, sed nolo esse longus. Ita concludam, tamen beluas a barbaris propter beneficium consecratas, vestrorum deorum non modo beneficium nullum exstare, sed ne factum quidem omnino. 102. Nihil habet, inquit, negotii. Profecto Epicurus quasi pueri delicati nihil cessatione melius existimat. XXXVII. At ipsi tamen pueri, etiam quum cessant, exercitatione aliqua ludiera delectantur: deum

sic feriatum volumus cessatione torpere, ut, si se commo-  
verit, vereamur ne beatus esse non possit! Haec oratio  
non modo deos spoliat motu et actione divina, sed etiam  
homines inertes efficit, si quidem agens aliquid ne deus  
quidem esse beatus potest.

103. Verum sit sane, ut vultis, deus effigies hominis et  
imago: quod eius est domicilium, quae sedes, qui locus,  
quae deinde actio vitae? quibus rebus, id quod vultis, beatus  
est? Utatur enim suis bonis oportet et fruatur qui beatus  
futurus est. Nam locus quidem iis etiam naturis, quae sine  
animis sunt, suus est cuique proprius, ut terra infimum  
teneat, hanc inundet aqua, superior aëri, ignibus altissima  
ora reddatur. Bestiarum autem terrenae sunt aliae, partim  
aquatiles, aliae quasi ancipites, in utraque sede viventes:  
sunt quaedam etiam quae igne nasci putentur appareantque  
in ardentibus fornacibus saepe volitantes. 104. Quaero igi-  
tur vester deus primum ubi habitet, deinde quae causa eum  
loco moveat, si modo movetur aliquando, postremo, quum  
hoc proprium sit animantium, ut aliquid appetant quod sit  
naturae accommodatum, deus quid appetat, ad quam deni-  
que rem motu mentis ac ratione utatur, postremo quo modo  
beatus sit, quo modo aeternus. Quidquid enim horum at-  
tigeris, ulcus est. Ita male instituta ratio exitum reperire  
non potest. 105. Sic enim dicebas, speciem dei percipi  
cogitatione, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem  
neque eamdem ad numerum permanere eamque esse eius  
visionem, ut similitudine et transitione cernatur neque de-  
ficiat umquam ex infinitis corporibus similium accessio, ex  
eoque fieri ut in haec intenta mens nostra beatam illam na-  
turam et sempiternam putet. XXXVIII. Hoc, per ipsos  
deos, de quibus loquimur, quale tandem est? Nam si tan-  
tum modo ad cogitationem valent nec habent ullam solidita-  
tem nec eminentiam, quid interest utrum de Hippocentauro  
an deo cogitemus? omnem enim talem conformatiōnem  
animi caeteri philosophi motum inanem vocant, vos autem  
adventum in animos et introitum imaginum dicitis. 106. Ut  
igitur, Ti. Gracchum quum videor contionantem in Capitolio  
videre de M. Octavio deferentem sitellam, tum eum motum

animi dico esse inanem, tu autem et Gracchi et Octavii ima-  
gines remanere, quae, in Capitolium quum pervenerint, tum  
ad animum meum referantur, hoc idem fieri in deo, cuius  
crebra facie pellantur animi, ex quo esse beati atque aeterni  
intelligantur. 107. Fac imagines esse, quibus pulsentur  
animi, speciēs dumtaxat obiicitur quaedam, non etiam cur  
ea beata sit, cur aeterna. Quae autem istae imagines vestrae  
aut unde? A Democrito omnino haec licentia. Sed et ille  
reprehensus a multis est nec vos exitum reperitis totaque  
res vacillat et claudicat. Nam quid est quod minus probari  
possit quam omnium in me incidere imagines, Homeri,  
Archilochei, Romuli, Numae, Pythagorae, Platonis, nec ea  
forma, qua illi fuerunt? Quo modo ergo illi? et quorum imagi-  
nes? Orpheum poētam docet Aristoteles numquam fuisse  
et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse  
Cercopis. At Orpheus, id est, imago eius, ut vos vultis, in  
animum meum saepe incurrit. 108. Quid, quod eiusdem  
hominis in meum aliae, aliae in tuum? quid, quod earum  
rerum, quae numquam omnino fuerunt neque esse potuerunt,  
ut Scyllae, ut Chimaerae? quid, quod hominum, locorum,  
urbium earum, quas numquam vidimus? quid, quod, simul  
ac mihi collubitum est, praesto est imago? quid, quod  
etiam ad dormientem veniunt invocatae? Tota res, Vellei,  
nugatoria est. Vos autem non modo oculis imagines,  
sed etiam animis inculcatis. Tanta est impunitas garriendi.  
XXXIX. 109. At quam licenter! Fluentium frequenter  
transitio fit visionum, ut e multis una videatur. Puderet me  
dicere non intelligere, si vos ipsi intelligeretis, qui ista de-  
fenditis. Quo modo enim probas continenter imagines ferri?  
aut, si continenter, quo modo aeternae? Innumerabilitas,  
inquis, suppeditat atomorum. Num eadem ergo ista faciet  
ut sint omnia sempiterna? Confugis ad aequilibritatem —  
sic enim *ἴσονομίαν*, si placet, appellemus — et ais,  
quoniam sit natura mortalis, immortalem etiam esse opor-  
tere. Isto modo, quoniam homines mortales sunt, sint  
aliqui immortales, et quoniam nascuntur in terra, nascantur  
in aqua. 'Et quia sunt quae interimant, sunt quae conservent.'  
Sint sane, sed ea quae conservent, quae sunt? 110. Deos

istos esse non sentio. Omnis tamen ista rerum effigies ex individuis quo modo corporibus oritur? quae etiam si essent, quae nulla sunt, pellere se ipsa et agitari inter se concursu fortasse possent, formare, figurare, colorare, animare non possent. Nullo igitur modo immortalem deum efficitis XL. Videamus nunc de beato. Sine virtute certe nullo modo, virtus autem actuosa et deus vester nihil agens, expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem. 111. Quae ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum nullo malorum interventu. Quorum tandem honorum? Voluptatum, credo, nempe ad corpus pertinentium. Nullam enim novistis nisi profectam a corpore et redeuntem ad corpus animi voluptatem. Non arbitror te, Vellei, similem esse Epicureorum reliquorum, quos pudeat quarumdam Epicuri vocum, quibus ille testatur se ne intelligere quidem ullum bonum quod sit seiunctum a delicatis et obscoenis voluptatibus, quas quidem non erubescens persequitur omnes nominatim. 112. Quem cibum igitur aut quas potiones aut quas vocum aut florum varietates aut quos tactus, quos odores adhibebis ad deos, ut eos perfundas voluptatibus. Ac poëtae quidem nectar ambrosiam epulas comparant et aut Iuuentatem aut Ganymedem pocula ministrantem, tu autem, Epicure, quid facies? Neque enim unde habeat ista deus tuus video nec quo modo utatur. Locupletior igitur hominum natura ad beathe vivendum est quam deorum, quod pluribus generibus fruitur voluptatum. 113. At has leviores dicis voluptates, quibus quasi titillatio — Epicuri enim hoc verbum est — adhibetur sensibus. Quo usque ludis? Nam etiam Philo noster ferre non poterat aspernari Epicureos molles et delicatas voluptates: summa enim memoria pronunciabat plurimas Epicuri sententias his ipsis verbis, quibus erant scriptae. Metrodori vero, qui est Epicuri collega sapientiae, multa impudentiora recitabat. Accusat enim Timocratem fratrem suum Metrodorus, quod dubitet omnia, quae ad beatam vitam pertineant, ventre metiri, neque id semel dicit, sed saepius. Adnuere te video. Nota enim tibi sunt. Proferrem libros, si negares. Neque nunc reprehendo, quod ad voluptatem omnia referantur: — alia est

ea quaestio —, sed doceo deos vestros esse voluptatis expertes: ita vestro iudicio ne beatos quidem. XLI. At dolore vacant. Satin est id ad illam abundantem bonis vitam beatissimam? 114. Cogitat, inquiunt, adsidue beatum esse se: habet enim nihil aliud quod agitet in mente. Comprehende igitur animo et propone ante oculos deum nihil aliud in omni aeternitate nisi: ‘Mihi pulcre est’, et: ‘Ego beatus sum’, cogitantem. Nec tamen video quo modo non vereatur iste deus beatus ne intereat, quum sine ulla intermissione pulsetur agiteturque atomorum incursione sempiterna quumque ex ipso imagines semper adfluant. Ita nec beatus est vester deus nec aeternus.

115. At etiam de sanctitate, de pietate adversus deos Abros scripsit Epicurus. At quo modo in his loquitur? Ut Coruncanum aut Scaevolam pontifices maximos te audire dicas, non eum, qui sustulerit omnem funditus religionem, nec manibus, ut Xerxes, sed rationibus deorum immortalium tempa et aras everterit. Quid est enim cur deos ab hominibus colendos dicas, quum di non modo homines non colant, sed omnino nihil current, nihil agant? 116. At est eorum eximia quaedam praestansque natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam adlicere sapientem. An quidquam eximum potest esse in ea natura, quae sua voluptate laetans nihil nec actura sit umquam neque agat neque egerit? Quae porro pietas ei debetur, a quo nihil accepereis? aut quid omnino, cuius nullum meritum sit, ei deberi potest? Est enim pietas iustitia adversum deos, cum quibus quid potest nobis esse iuris, quum homini nulla cum deo sit communitas? Sanctitas autem est scientia colendorum deorum, qui quam ob rem colendi sint non intelligo nullo nec accepto ab iis nec sperato bono.

XLII. 117. Quid est autem quod deos veneremur propter admirationem eius naturae, in qua egregium nihil videmus? Nam superstitione, quod gloriari soletis, facile est liberari, quum sustuleris omnem vim deorum. Nisi forte Diagoram aut Theodorum, qui omnino deos esse negabant, censes supersticiosos esse potuisse. Ego ne Protagoram quidem: cui neutrum licuerit nec esse deos nec non esse. Horum

enim sententiae omnium non modo superstitionem tollunt, in qua inest timor inanis deorum, sed etiam religionem, quae deorum cultu pio continetur. 118. Quid? ii, qui dixerunt totam deis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus rei publicae causa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus sustulerunt? Quid? Prodicus Ceus, qui ea, quae prodessent hominum vitae, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit? 119. Quid? qui aut fortes aut claros aut potentes viros tradunt post mortem ad deos pervenisse eosque esse ipsos, quos nos colere, precari venerarique soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium? quae ratio maxime tractata ab Euhemero est, quem noster et interpretatus et secutus est praeter caeteros Ennius. Ab Euhemero autem et mortes et sepulturae demonstrantur deorum. Utrum igitur hic confirmasse videtur religionem an penitus totam sustulisse? Omitto Eleusina, sanctam illam et augustam,

*Ubi initiantur gentes orarum ultimae,  
praetereo Samothraciam eaque, quae Lemni*

*Nocturno aditu occulta coluntur,  
Silvestribus saepibus densa.*

Quibus explicatis ad rationemque revocatis rerum magis natura cognoscitur quam deorum.

XLIII. 120. Mihi quidem etiam Democritus, vir magnus in primis, cuius fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit, nutare videtur in natura deorum. Tum enim censet imagines divinitate praeditas inesse in universitate rerum, tum principia mentis, quae sunt in eodem universo, deos esse dicit, tum animantes imagines, quae vel prodesse nobis solent vel nocere, tum ingentes quasdam imagines tantasque, ut universum mundum complectantur extrinsecus. Quae quidem omnia sunt patria Democriti quam Democrito digniora. 121. Quis enim istas imagines comprehendere animo potest, quis admirari, quis aut cultu aut religione dignas iudicare? Epicurus vero ex animis hominum extraxit radi-

citus religionem, quum dis immortalibus et opein et gratiam sustulit. Quem enim optimam et praestantissimam naturam dei dicat esse, negat idem esse in deo gratiam. Tollit id, quod maxime proprium est optimae praestantissimaeque naturae. Quid enim est melius aut quid praestantius bonitate et beneficentia? Qua quum carere deum vultis, neminem deo nec deum nec hominem carum, neminem ab eo amari, neminem diligi vultis. Ita fit ut non modo homines a dis, sed ipsi di inter se ab aliis alii negligantur. XLIV. Quanto Stoici melius, qui a vobis reprehenduntur! Censem autem sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos. Nihil est enim virtute amabilius. Quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur. 122. Vos autem quid mali datis, quum in imbecillitate gratificationem et benevolentiam ponitis! Ut enim omittam vim et naturam deorum, ne homines quidem censem, nisi imbecilli essent, futuros beneficos et benignos fuisse? Nulla est caritas naturalis inter bonos? Carum ipsum verbum est amoris, ex quo amicitiae nomen est ductum, quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum. Prata et arva et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur, hominum caritas et amicitia gratuita est. Quanto igitur magis deorum, qui nulla re egentes et inter se diligunt et hominibus consulunt. Quod ni ita sit, quid veneramur, quid precamur deos? cur sacris pontifices, cur auspiciis augures praesunt? quid optamus a dis immortalibus? quid votemus? At etiam liber est Epicuri de sanctitate. 123. Ludimur ab homine non tam faceto quam ad scribendi licentiam libero. Quae enim potest esse sanctitas, si di humana non curant? quae autem animans natura nihil curans? Verius est igitur nimirum illud, quod familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit in libro quinto de natura deorum, nullos esse deos Epicuro videri quaeque is deis immortalibus dixerit, invidiae detestandae gratia dixisse: neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculi similem deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solidi, membris hominis praeditum omnibus, usu membro-

rum ne minimo quidem, exilem quemdam atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem. Quae natura primum nulla esse potest, idque videns Epicurus re tollit, oratione relinquit deos. 124. Deinde, si maxime talis est deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat: quid enim dicam, propitius sit? Esse enim propitius potest nemini, quoniam, ut dicitis, omnis in imbecillitate est et gratia et caritas.

M. TULLII CICERONIS  
DE NATURA DEORUM  
AD M. BRUTUM  
LIBER SECUNDUS.

## ARGUMENTUM.

Hic liber brevi praemesso prooemio continet Balbi de natura deorum disputationem ex mente Stoicorum, qui totum locum in partes quattuor dividebant. Primum enim docebant esse deos, deinde quales essent, tum mundum ab eis administrari, postremo consulere eos rebus humanis. His igitur quattuor tamquam capitibus tota Balbi disputatio continetur. Et prima quidem pars quamquam ne egere quidem oratione videri poterat, tamen his argumentis confirmatur. Nam primo, quod omnium consentiens sit deus opinio, natura evidens sit necesse esse, deinde deos ipsos praesentia sua et adventa eam rem confirmasse, praedictiones item et praesensiones rerum futurarum esse deos clamare, omnium vero maxime miram totius mundi varietatem, pulcritudinem, ordinem rerumque omnium ad utilitatem conspirationem. Quin ex ipsa hominum sollertia colligi posse esse aliquam mentem divinam. Nam si caetera, quae in corpore sint, aliunde sumantur, aliud a terra, aliud ab humore, aliud ab aere, aliud ab igni, rationem etiam aliunde habeamus necesse esse et, quum caetera omnia mundus habeat, quod sit omnium optimum, id ipsum cur non habeat nullam esse rationem. Omnes porro concedere nihil non modo esse mundo melius, sed ne cogitari quidem posse: qua re, quum ratione nihil sit melius, ea quoque in mundo insit necesse esse,

qui profecto non posset ita omnibus partibus consentire, nisi unicuique divino et continuato spiritu contineretur, cap. 2—8. §. 1—22. His rationibus subiiciuntur demonstrationes physicae. Prima huius modi est: Omnia, quae alantur et crescent, ea temperatione caloris oriri et augeri, omnesque partes mundi calore fultas sustineri, itaque etiam mundum simili parique natura servari. Esse igitur naturam, quae omnem mundum contineat eumque tueatur, quae quoniam mundi principatum (*τὸ ηγεμονίαν*) ut in homine mens obtineat et sit vel optima omnium, in hac sensu quoque et ratio insit necesse esse, et multo quidem aciores atque maiores, ex quo concludi posse mundum esse deum. Esse praeterea animantem mundum, quod motu suo cieatur, qui vel Platone auctore tantum in animos cadat, cap. 8—12. §. 23—32. Altera ratio est eius modi: In omni rerum institutione esse aliquid extrellum atque perfectum, nisi quae vis obsistat. In omni igitur natura vel universo ac multo etiam magis necesse esse absolvitur aliquid ac perfici, quod nihil, ut in caeteris naturis, ob sistere possit. Ergo quum in his, quae gignantur ex terra, nihil sit nisi nutritio, bestiae praeterea sensum et motum habeant et appetitum, homini additam etiam rationem esse, qua appetitus regantur. Ex quo effici esse etiam quartum et altissimum gradum eorum, qui natura boni sapientesque gignantur, in quibus ab initio insit recta et constans ratio, quae deo tribuenda sit, id est, mundo. Eodem fere modo effici esse in mundo summam virtutem et sapientiam, cap. 12—14. §. 33—39. Sed mundi divinitate perspecta astris etiam divinitatem esse tribuendam. Gigni enim ista ex mobilissima et purissima aetheris parte, nulla alia admixta natura totaque esse calida et pellucida. Absurdum autem esse, si res ex aere ortae rationem haberent, quae in multo puriore aethere nascantur, sensu eas aut ratione carere, quas ibi multo aciores esse debere, idque vel ordine eorum et constantia motuque voluntario declarari, cap. 15 sq. §. 39—43. Sed maxime astrorum sensum et intelligentiam divinitatemque declarari mirabili ordine eorum et constantia, quae neque naturam significet, quod sit plena rationis, neque fortunam, quae constantiam respuat. In quo ridicule errare dicit Epicurum, qui humanam figuram deis attribuat negetque rotundum et volubilem deum cogitari posse, cap. 16—23. §. 43—60. Sed multis alias naturas deorum magnis eorum beneficiis constitutas esse. Nam primo, quod sit a deo natum, id nomine ipsius dei nuncupari, deinde rem ipsam, in qua sit vis maior aliqua, sic appellari, beneficiis porro excellentes viros in caelum fama et voluntate sublatos esse, denique ex physica ratione multos fluxisse poëtarum deos, cap. 23—29. §. 60—75. His duabus rebus constitutis, et deos esse et qualis eorum natura sit, sequitur disputatio de providentia deorum. Ea tribus argumentis astringitur de more Stoicorum. Primum ab eo ipso, quod di sint, ducitur, cap. 30—32. §. 76—80., alterum inde, quod omnes res subiectae sint naturae sentienti ab eaque omnia pulcherrime gerantur, cap. 32. §. 81—83., tertium autem ex admiratione rerum cae-

lestium et terrestrium arcessitur, qui locus copiose admirabiliterque explicatur. Tertiae huic disputationis parti subiicitur tandem ea, quae istam tantam rerum molitionem hominis causa factam esse demonstrat, hominumque commodis mirifice esse a deo provisum, id quod quatuor argumentis fit, quorum primum ductum est a corporis humani structura, alterum a perfectionibus animi, tertium ab utilitate, quam res quum caelestes tum terrestres hominibus adferant, quartum denique ab illustrius, quibus di consulerint, hominum exemplis, cap. 33—36. §. 83—167. Denique brevi peroratione concluditur, cap. 37. §. 168.

1. Quae quum Cotta dixisset, tum Velleius: Ne ego, inquit, incautus, qui cum Academicu et eodem rhetore con gredi conatus sim! Nam neque indisertum Academicum pertimussem nec sine ista philosophia rhetorem quamvis eloquentem: neque enim flumine conturbor inanum verborum nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. Tu autem, Cotta, utraque re valuisti: corona tibi et iudices defuerunt. Sed ad ista alias: nunc Lucilium, si ipsi commodum est, audiamus. 2. Tum Balbus: Eumdem euidem mallem audire Cottam, dum, qua eloquentia falsos deos sustulit, eadem veros inducat. Est enim et philosophi et pontificis et Cottae de dis immortalibus habere non errantem et vagam, ut Academicu, sed, ut nostri, stabilem certamque sententiam. Nam contra Epicurum satis superque dictum est. Sed aveo audire tu ipse, Cotta, quid sentias. An, inquit, oblitus es quid initio dixerim, facilius me, talibus praesertim de rebus, quid non sentirem quam quid sentirem posse dicere? 3. Quod si haberem aliquid quod liqueret, tamen te vicissim audire vellem, quum ipse tam multa dixisse. Tum Balbus: Geram tibi morem et agam quam brevissime potero: etenim convictis Epicuri erroribus longa de mea disputatione detracta oratio est. Omnino dividunt nostri totam istam de dis immortalibus quaestionem in partes quatuor. Primum docent esse deos, deinde quales sint, tum mundum ab iis administrari, postremo consulere eos rebus humanis. Nos autem hoc sermone quae priora duo sunt sumamus, tertium et quartum, quia maiora sunt, puto esse in aliud tempus differenda. Minime vero, inquit Cotta: uam et otiosi sumus et iis de rebus agimus, quae sunt etiam negotiis anteponendae.

II. 4. Tum Lucilius: Ne egere quidem videtur, inquit, oratione prima pars. Quid enim potest esse tam apertum: tamque perspicuum, quum caelum suspeximus caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantisimae mentis, quo haec regantur? Quod ni ita esset, qui potuisset adsensu omnium dicere Ennius:

*Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes Iovem,  
illum vero et Iovem et dominatorem rerum et omnia nutu  
regentem et, ut idem Ennius,*

*patrem divomque hominumque*

et praesentem ac praepotentem deum? Quod qui dubitet, haud sane intelligo cur non idem sol sit an nullus sit dubitare possit. 5. Qui enim est hoc illo evidentius? Quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret nec confirmaretur diurnitate temporis nec una cum saeculis aetatibusque hominum in veterare potuisset. Etenim videmus caeteras opiniones ficias atque vanas diurnitate extabuisse. Quis enim Hippocentaurum fuisse aut Chimaeram putat? quaeve anus tam excors inveniri potest quae illa quae quondam credebantur apud inferos portenta extimescat? Opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat. Itaque et in nostro populo et in caeteris deorum cultus religionumque sanctitates existunt in dies maiores atque meliores. 6. Id que evenit non temere nec casu, sed quod et praesentiam saepe divi suam declarant, ut et apud Regillum bello Latinarum, quum A. Postumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano proelio dimicaret, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt et recentiore memoria iidem Tyndaridae Persen victimum nunciaverunt. P. enim Vatinus, avus huius adolescentis, quum e praefectura Reatina Romam venienti noctu duo iuvenes cum equis albis dixissent regem Persen illo die captum, senatui nunciavit, et primo quasi temere de re publica locutus in carcerem coniectus est, post a Paullo litteris adlati, quum idem dies constitisset, et agro a senatu et vacatione donatus est. Atque etiam quum ad fluvium Sagram Crotoniatis Locri maximo proelio

devicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiae memoriae proditum est. Saepe Faunorum voces exauditae, saepe visae formae deorum quemvis non aut hebetem aut impium deos praesentes esse confiteri coegerunt. III. 7. Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant nisi hominibus ea [quae sint] ostendi, monstrari, portendi, praedici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. Quod si ea facta credimus licentia fabularum, Mopsum, Tiresiam, Amphiaraum, Calchancem, Helenum, quos tamen augures ne ipsae quidem fabulae ascivissent, si res omnino repudaret, ne domesticis quidem exemplis docti numen deorum comprobabimus? Nihil nos P. Claudii bello Punico primo temeritas movebit, qui etiam per iocum deos irridens, quum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, ut biberent, quoniam esse nollent? Qui risus classe devicta multas ipsi lacrimas, magnam populo Romano cladem attulit. Quid? collega eius Iunius eodem bello nonne tempestate classe ammisit, quum auspiciis non paruisse? Itaque Claudius a populo condemnatus est, Iunius necem sibi ipse concivit. 8. C. Flaminium Caelius religione neglecta cecidisse apud Trasumenum scribit cum magno rei publicae vulnere. Quorum exitio intelligi potest eorum imperiis rem publicam amplificatam, qui religionibus paruissent. Et, si conferre volumus nostra cum externis, caeteris rebus aut pares aut etiam inferiores reperiemur, religione, id est, cultu deorum multo superiores. 9. An Atti Navii lituus ille, quo ad investigandum suem regiones vineae terminavit, contemnendus est? Crederem, nisi eius augurio rex Hostilius maxima bella gessisset. Sed negligencia nobilitatis augurii disciplina omissa veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. Itaque maximae rei publicae partes, in his bella, quibus rei publicae salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla peremnia servantur, nulla ex acuminibus, nulla, quum viri vocantur, ex quo in procinctu testamenta perierunt. Tum enim bella gerere nostri duces incipiunt, quum auspicia posuerunt. 10. At vero apud maiores tanta religionis vis fuit, ut quidam impe-

ratores etiam se ipsos dis immortalibus capite velato verbis certis pro re publica devoverent. Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum, quibus ea confirmantur, quae dubia nemini debent esse. IV. Atqui et nostrorum augurum et Etruscorum haruspicum disciplinam P. Scipione C. Figulo consulibus res ipsa probavit: quos quum Ti. Gracchus consul iterum crearet, primus rogator, ut eos rettulit, ibidem est repente mortuus. Gracchus quum comitia nihil minus peregisset remque illam in religionem populo venisse sentiret, ad senatum retulit. Senatus quos ad soleret referendum censuit. Haruspices introducti responderunt non fuisse iustum comitiorum rogatorem. 11. Tum Gracchus, ut e patre audiebam, incensus ira: 'Itane vero? ego non iustus, qui et consul rogavi et augur et auspicato? an vos, Tusci ac barbari, auspiciorum populi Romani ius tenetis et interpretes esse comitiorum potestis?' Itaque tum illos exire iussit. Post autem e provincia litteras ad collegium misit se, quum legeret libros, recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse [hortos Scipionis], quod, quum pomoerium postea intrasset habendi senatus causa, in redeundo, quum idem pomoerium transiret, auspicari esset oblitus: itaque vitio creatos consules esse. Augures rem ad senatum: senatus, ut abdicarent consules: abdicaverunt. Quae quaerimus exempla maiora? Vir sapientissimus atque haud sciam an omnium praestantissimus peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit quam haerere in re publica religionem: consules summum imperium statim deponere quam id tenere punctum temporis contra religionem. 12. Magna augurum auctoritas. Quid? haruspicum ars nonne divina? Haec innumera-bilia ex eodem genere qui videat, nonne cogatur confiteri deos esse? Quorum enim interpretes sunt, eos ipsos esse certe necesse est: deorum autem interpretes sunt, deos igitur esse fateamur. At fortasse non omnia eveniunt, quae praedicta sunt. Ne aegri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est. Signa ostenduntur a dis rerum futurarum. In his si qui erraverunt, non deorum natura, sed hominum coniectura peccavit. Itaque inter

omnes omnium gentium summa constat. Omnibus enim innatum est et in animo quasi insculptum esse deos. V. 13. Quales sint varium est: esse nemo negat. Cleanthes quidem noster quattuor de causis dixit in animis hominum informatas deorum esse notiones. Primam posuit eam, de quā modo dixi, quae orta esset ex praeensione rerum futurārum: alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quae percipiuntur caeli temperatione, secunditate terrarum aliarumque commoditatum complurium copia: 14. tertiam, quae terreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, nivibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terrae motibus et saepe fremitibus lapideisque imbris et guttis imbrium quasi cruentis, tum labibus aut repentinis terrarum hiatibus, tum praeter naturam hominum pecudumque portentis, tum facibus visis caelestibus, tum stellis iis, quas Graeci cometas, nostri cincinnatas vocant, quae nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum praenunciae, tum sole geminato, quod, ut e patre audivi, Tuditano et Aquilio consulibus evenerat, quo quidem anno P. Africanus sol alter extinctus est, quibus exterriti homines vim quamdam esse caelestem et divinam suspicati sunt. 15. Quartam causam esse eamque vel maximam aequabilitatem motus, conversionem caeli, solis, lunae siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulcritudinem, ordinem, quarum rerum aspectus ipse satis indicaret non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam aut in gymnasium aut in forum venerit, quum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat qui praesit et cui pareatur, multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari. VI. 16. Chrysippus quidem, quamquam est acerrimo ingenio, tamen ea dicit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse repperisse videatur. 'Si enim' inquit 'est aliquid in rerum natura quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe id, quod illud efficit,

homine melius. Atqui res caelestes omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris quam deum? Etenim si di non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo est ratio, qua nihil potest esse praestantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis adrogantiae est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto deus.' 17. An vero, si domum magnam puleramque videris, non possis adduci ut, etiam si dominum non videas, muribus illam et mustelis aedificatam putes, tantum ergo ornatum mundi, tantam varietatem pulcritudinemque rerum caelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum si tuum ac non deorum immortalium domicilium putes, nonne plane despere videare? An ne hoc quidem intelligimus, omnia supera esse meliora, terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aer? ut ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter caeli pleniorum naturam, hoc idem generi humano evenerit, quod in terra, hoc est, in crassissima regione mundi collocati sint. 18. Et tamen ex ipsa hominum sollertia esse aliquam mentem et eam quidem acriorem et divinam existimare debemus. 'Unde enim hanc homo adripuit?' ut ait apud Xenophontem Socrates. Quin et humorem et calorem, qui est fusus in corpore, et terrenam ipsam viscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem, si quis quaerat, unde habeamus appetit, quod aliud a terra sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igni, aliud ab aere eo, quem spiritu ducimus. VII. Illud autem, quod vincit haec omnia, rationem dico et, si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus? unde sustulimus? An caetera mundus habebit omnia, hoc unum, quod plurimi est, non habebit? Atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praestabilis, nihil pulerius, nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest. Et, si ratione et sapientia nihil est melius, necesse est haec inesse in eo, quod opti-

mum esse concedimus. 19. Quid vero? tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio quem non cogit ea, quae dicuntur a me, comprobare? Possetne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra? aut tot rebus ipsis se immutantibus solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci, aut aestus maritimi fretorumque angustiae ortu aut obitu lunae commoveri aut una totius caeli conversione cursus astrorum dispares conservari? Haec ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profecto non possent, nisi ea uno divino et continuato spiritu continerentur. 20. Atque haec quum uberioris disputantur et fusius, ut mihi est in animo facere, facilius effugient Academicorum calumniam. Quum autem, ut Zeno solebat, brevius angustiusque concluduntur, tum apertiora sunt ad reprehendendum. Nam ut profluens amnis aut vix aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur, sic orationis flumine reprehensoris convicia diluuntur, angustia autem conclusae orationis non facile se ipsa tutatur. Haec enim, quae dilatantur a nobis, Zeno sic premebat:

VIII. 21. 'Quod ratione utitur, id melius est quam id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur.' Similiter effici potest sapientem esse mundum, similiter beatum, similiter aeternum. Omnia enim haec meliora sunt quam ea, quae sunt his carentia, nec mundo quidquam melius: ex quo efficitur esse mundum deum. 22. Idemque hoc modo: 'Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundi autem partes sentientes sunt: non igitur caret sensu mundus.' Pergit idem et urguit angustius: 'Nihil' inquit 'quod animi quodque rationis est expers, id generare ex se potest animantem compotemque rationis. Mundus autem generat animantes compotesque rationis. Animans est igitur mundus composque rationis.' Idemque similitudine, ut saepe solet, rationem conclusit hoc modo: 'Si ex oliva modulate canentes tibiae nascerentur, num dubitares quin inesset in oliva tibicinii quaedam scientia? Quid? si platani fidiculas ferrent numerose sonantes, idem scilicet censeret in platanis esse musicam. Cur igitur mundus non animans sapiens-

que iudicetur, quum ex se procreet animantes atque sapientes?

IX. 23. Sed quoniam coepi secus agere initio dixeram — negaram enim hanc primam partem egere oratione, quod esset omnibus perspicuum deos esse —, tamen id ipsum rationibus physicis confirmare volo. Sic enim res se habet, ut omnia, quae alantur et quae crescent, continent in se vim caloris, sine qua neque ali possent neque crescere. Nam omne, quod est calidum et igneum, cietur et agitur motu suo, quod autem alitur et crescit, motu quodam utitur certo et aequabili, qui quam diu remanet in nobis, tam diu sensus et vita remanet, refrigerato autem et extincto calore occidimus ipsi et extinguimur. 24. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit calor in omni corpore: negat enim ullum esse cibum tam gravem, quin is nocte et die concoquatur, cuius etiam in reliquis mest calor iis, quas natura respuerit. Iam vero venae et arteriae micare non desinunt quasi quodam igneo motu animadversumque saepe est, quum cor animantis alicuius evulsum ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneum celeritatem. Omne igitur, quod vivit, sive animal sive terra editum, id vivit propter inclusum in eo calorem. Ex quo intelligi debet eam caloris naturam vim habere in se vitalem per omnem mundum pertinentem. 25. Atque id facilius cernemus toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtilius explicato. Omnes igitur partes mundi — tangam autem maximas — calore fultae sustinentur: quod primum in terrena natura per spici potest: nam et lapidum conflictu atque tritu elicignem videmus et recenti fossione terram fumare calentem, atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, e' id maxime fieri temporibus hibernis, quod magna vis terrae cavernis continet caloris eaque hieme fit densior ob eamque causam calorem insitum in terris continet artius. X. 26. Longa est oratio multaeque rationes quibus doceri possit omnia, quae terra concipiat semina, quaeque ipsa ex se generata stirpibus infixa continet, ea temperatione caloris et oriri et augescere. Atque aquae etiam admixtum esse calorem primum ipse liquor aquae declarat et effusio,

quae neque conglaciaret frigoribus neque nive pruinaque concresceret, nisi eadem se admixto calore liquefacta et di-lapsa diffunderet. Itaque et aquilonibus reliquisque frigo-ribus adiectis durescit humor et idem vicissim mollitur tepe-factus et tabescit calore. Atque etiam maria agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit in tantis illis humori-bus esse inclusum calorem. Nec enim ille externus et ad-venticius habendus est tempor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus, quod nostris quoque corporibus contingit, quum motu atque exercitatione recalescant. Ipse vero aëris, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris. 27. Ille vero et multo quidem calore admixtus est. Ipse enim oritur ex respiratione aquarum: earum enim quasi vapor quidam aëris habendus est. Is autem existit motu eius calor, qui aquis continetur. Quam similitudinem cernere possumus in iis aquis, quae effervescunt subditis ignibus. Iam vero reliqua quarta pars mundi, ea et ipsa tota natura servida est et caeteris naturis omnibus salutarem impertit et vitalem calorem. 28. Ex quo concluditur, quum omnes mundi partes sustineantur calore, mundum etiam ipsum simili parique natura in tanta diurnitate servari, eoque magis, quod intelligi debet calidum illud atque igneum ita in omni fusum esse natura, ut in eo insit procreandi vis et causa gignendi, a quo et animantia omnia et ea, quorum stirpes terra continentur, et nasci sit necesse et augescere. XI. 29. Natura est igitur, quae contineat mundum omnem eumque tueatur, et ea quidem non sine sensu atque ratione: omnem enim naturam necesse est, quae non solitaria sit ne-que simplex, sed cum alio iuncta atque connexa, habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in belua quiddam simile mentis, unde orientur rerum appetitus. In arborum autem et earum rerum, quae gignuntur e terra, radicibus inesse principatus putatur. Principatum autem id dico, quod Graeci *γεμονόν* vocant, quo nihil in quoque genere nec potest nec debet esse praestans. Ita necesse est illud etiam, in quo sit totius naturae principatus, esse omnium optimum omniumque rerum potestate dominatumque dignissimum.

30. Videmus autem in partibus mundi — nihil est enim in omni mundo quod non pars universi sit — inesse sen-sum et rationem. In ea parte igitur, in qua mundi inest principatus, haec inesse necesse est et acriora quidem at-que maiora. Quocirca sapientem esse mundum necesse est naturamque eam, quae res omnes complexa teneat, per-factione rationis excellere, eoque deum esse mundum omnemque vim mundi natura divina contineri. Atque etiam mundi ille fervor purior, perlucidior mobiliorque multo est ob easque causas aptior ad sensus commovendos quam hic noster calor, quo haec, quae nota nobis sunt, re-tinentur et vigent. 31. Absurdum est igitur dicere, quum homines bestiaeque hoc calore teneantur et propterea mo-reantur ac sentiant mundum esse sine sensu, qui integro et puro et libero eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur, praesertim quum is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio neque externo pulsu, sed per se ipse ac sua sponte moveatur. Nam quid potest esse mundo valen-tius quod pellat atque moveat calorem eum, quo ille tene-atur? XII. 32. Audiamus enim Platonem quasi quemdam deum philosophorum: cui duos placet esse motus, unum suum, alterum externum, esse autem divinius quod ipsum ex se sua sponte moveatur quam quod pulsu agitetur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit ab iisque principium motus esse ductum putat. Quapropter, quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulsu, sed sua sponte movetur, animus sit necesse est: ex quo efficitur animantem esse mundum. Atque ex hoc quoque intelligi poterit in eo inesse intelligentiam, quod certe est mundus melior quam ulla natura. Ut enim nulla pars est corporis nostri quae non sit minoris quam nosmet ipsi sumus, sic mundum universum pluris esse necesse est quam partem aliquam universi. Quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est. Nam ni ita esset, hominem, qui est mundi pars, quoniam rationis est particeps, pluris esse quam mundum omnem oporteret.

33. Atque etiam, si a primis incohatisque naturis ad ul-timas perfectasque volumus procedere, ad deorum naturam

perveniamus necesse est. Primo enim animadvertisimus a natura sustineri ea, quae gignantur e terra, quibus natura nihil tribuit amplius quam ut ea alendo atque augendo tueretur. 34. Bestiis autem et sensum et motum dedit et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum: hoc homini amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur. XIII. Quartus autem gradus est et altissimus eorum, qui natura boni sapientesque gignuntur, quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quae supra hominem putanda est deoque tribuenda, id est, mundo, in quo necesse est perfectam illam atque absolutam inesse rationem. 35. Neque enim dici potest in ulla rerum institutione non esse aliquid extremum atque perfectum. Ut enim in vite, ut in pecude, nisi quae vis obstitit, videmus naturam suo quodam itinere ad ultimum pervenire, atque ut pictura et fabrica caeteraeque artes habent quemdam absoluti operis effectum, sic in omni natura, ac multo etiam magis, necesse est absolviri aliquid ac perfici. Etenim caeteris naturis multa externa quo minus perficiantur possunt obsistere, universam autem naturam nulla res potest impedire, propterea quod omnes naturas ipsa cohibet et continet. Quocirca necesse est esse quartum illum et altissimum gradum quo nulla vis possit accedere. 36. Is autem est gradus, in quo rerum omnium natura ponitur, quae quoniam talis est, ut et praesit omnibus et eam nulla res possit impedire, necesse est intelligentem esse mundum et quidem etiam sapientem. Quid autem est inscitius quam eam naturam, quae omnes res sit complexa, non optimam dici, aut, quum sit optima, non primum animantem esse, deinde rationis et consilii compotem, postremo sapientem? Qui enim potest aliter esse optima? Neque enim, si stirpium similis sit aut etiam bestiarum, optima putanda sit potius quam deterrima, nec vero, si rationis particeps sit nec sil tamen a principio sapiens, non sit deterior mundi potius quam humana condicio: homo enim sapiens fieri potest, mundus autem, si in aeterno praeteriti temporis spatio fuit insipiens, numquam profecto sapientiam consequetur: ita erit homine deterior. Quod quoniam

ram absurdum est et sapiens a principio mundus et deus habendus est. 37. Neque enim est quidquam aliud praeter mundum, cui nihil absit quodque undique aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris et partibus. XIV. Scite enim Chrysippus, ut clipei causa involucrum, vaginam autem gladii, sic praeter mundum caetera omnia aliorum causa esse generata, ut eas fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium causa, animantes autem hominum, ut equum vehendi causa, arandi bovem, venandi et custodiendi canem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti. 38. Sed mundus, quoniam omnia complexus est neque est quidquam quod non insit in eo, perfectus undique est. Qui igitur potest ei deesse id, quod est optimum? Nihil est autem mente et ratione melius. Ergo haec mundo deesse non possunt. Bene igitur idem Chrysippus, qui similitudines adiungens omnia in perfectis et maturis docet esse meliora, ut in equo quam in eculeo, in cane quam in catulo, in viro quam in puer, item, quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo atque absoluto esse debere. 39. Est autem nihil mundo perfectius, nihil virtute melius: igitur mundi est propria virtus. Nec vero hominis natura perfecta est, et efficitur tamen in homine virtus. Quanto igitur in mundo facilius! Est ergo in eo virtus: sapiens est igitur et propterea deus.

XV. Atque hac mundi divinitate perspecta tribuenda est sideribus eadem divinitas, quae ex mobilissima purissimaque aetheris parte gignuntur, neque ulla praeterea sunt admixta natura totaque sunt calida atque perlucida, ut ea quoque rectissime et animantia esse et sentire atque intelligere dicantur. 40. Atque ea quidem tota esse ignea duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat, tactus et oculorum. Nam solis et candor illustrior est quam ullius ignis, quippe qui immenso mundo tam longe lateque colluceat, et is eius tactus est, non ut tapesciat solum, sed etiam saepe comburat. Quorum neutrum faceret, nisi esset igneus. 'Ergo' inquit 'quum sol igneus sit Oceanique alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit perma-

nere, necesse est aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad usum atque ad victum, aut ei, qui corporibus animantium continetur. 41. Atqui hic noster ignis, quem usus vitae requirit, confector est et consumptor omnium idemque, quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. Contra ille corporeus vitalis et salutaris omnia conservat, alit, auget, sustinet sensuque adficit.<sup>7</sup> Negat ergo esse dubium horum ignium sol utri similis sit, quum is quoque efficiat ut omnia florent et in suo quaeque genere pubescant. Qua re quum solis ignis similis eorum ignium sit, qui sunt in corporibus animantium, solem quoque animantem esse oportet, et quidem reliqua astra, quae orientur in ardore caelesti, qui aether vel caelum nominatur. 42. Quum enim aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aëre aliorum, absurdum esse Aristoteli videtur in ea parte, quae sit ad dignenda animantia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem aetherium locum obtinent, qui quoniam tenuissimus est et semper agitatur et viget, necesse est, quod animal in eo gignatur, id et sensu acerrimo et mobilitate celerima esse. Qua re quum in aethere astra gignantur, consentaneum est in his sensum inesse et intelligentiam, ex quo efficitur in deorum numero astra esse ducenda. XVI. Etenim licet videre acutiora ingenia et ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aér sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso caelo atque concreto. 43. Quin etiam cibo quo utare interesse aliquid ad mentis aciem putant. Probabile est igitur praestantem intelligentiam in sideribus esse, quae et aetheriam partem mundi incolant, et marinis terrenisque humoribus longo intervallo extenuatis alantur. Sensum autem astrorum atque intelligentiam maxime declarat ordo eorum atque constantia — nihil est enim quod ratione et numero moveri possit sine consilio — in quo nihil est temerarium, nihil varium, nihil fortuitum. Ordo autem siderum et in omni aeternitate constantia neque naturam significat, — est enim plena rationis — neque fortunam, quae amica varietati constantiam respuit. Sequitur ergo ut ipsa sua sponte, suo sensu ac divinitate moveantur. 44. Nec vero Aristoteles non laudandus in eo

quod omnia, quae moventur, aut natura moveri censuit aut vi aut voluntate, moveri autem solem et lunam et sidera omnia: quae autem natura moverentur, haec aut pondere deorsum aut levitate in sublime ferri, quorum neutrum astris contingere, propterea quod eorum motus in orbem circumque ferretur. Nec vero dici potest vi quadam maiore fieri ut contra naturam astra moveantur. Quae enim potest maior esse? Restat igitur ut motus astrorum sit voluntarius. Quae qui videat non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget. Nec sane multum interest utrum id neget an eos omni precuratione atque actione privet: mihi enim qui nihil agit esse omnino non videtur. Esse igitur deos ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum sanae mentis existimem. XVII. 45. Restat ut qualis eorum natura sit consideremus. In quo nihil est difficilius quam a consuetudine oculorum aciem mentis abducere. Ea difficultas induxit et vulgo imperitos et similes philosophos imperitorum, ut nisi figuris hominum constitutis nihil possent de dis immortalibus cogitare. Cuius opinionis levitas confutata a Cotta non desiderat orationem meam. Sed quum talen esse deum certa notione animi praesentiamus, primum ut sit animans, deinde ut in omni natura nihil eo sit praestantius, ad hanc praesensionem notionemque nostram nihil video quod potius accommodem quam ut primum hunc ipsum mundum, quo nihil excellentius fieri potest, animantem esse et deum iudicem. 46. Hic quam volet Epicurus iocetur, homo non aptissimus ad iocandum minimeque resipiens patriam, et dicat se non posse intelligere qualis sit volubilis et rotundus deus, tamen ex hoc, quod etiam ipse probat, numquam me movebit. Placet enim illi esse deos, quia necesse sit praestantem esse aliquam naturam qua nihil sit melius. Mundo autem certe nihil est melius. Nec dubium quin, quod animans sit habeatque sensum et rationem et mentem, id sit melius quam id, quod his careat. 47. Ita efficitur animantem, sensus, mentis, rationis mundum esse compotem. Qua ratione deum esse mundum concluditur. Sed haec paulo post facilius cognoscuntur ex iis rebus ipsis, quas mundus efficit. XVIII. Interea, Vellei, noli, quaequo, piae te ferre vos plane

expertes esse doctrinae. Conum tibi ais et cylindrum et pyramidem pulchriorem quam sphaeram videri. Novum etiam oculorum iudicium habetis. Sed sint ista pulchiora dumtaxat aspectu, quod mihi tamen ipsum non videtur: quid enim pulchius ea figura, quae sola omnes alias figuræ complexa continet quaeque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil amfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum? quumque duæ formæ præstantissimæ sint, ex solidis globus — sic enim *σφαιρα* interpretari placet —, ex planis autem circus aut orbis, qui *κύκλος* Graece dicitur, his duabus formis contingit solis ut omnes earum partes sint inter se simillimæ a medioque tantum absit extrellum [quantum idem a summo], quo nihil fieri potest aptius. 48. Sed si haec non videtis, quia numquam eruditum illum pulverem attigistis, ne hoc quidem physici intelligere potuistis, hanc aequabilitatem motus constantiamque ordinum in alia figura non potuisse servari? Itaque nihil potest esse indoctius quam quod a vobis adfirmari solet. Nec enim hunc ipsum mundum pro certo rotundum esse dicitis: nam posse fieri ut sit alia figura, innumerabilesque mundos alios aliarum esse formarum. 49. Quae, si bis bina quot essent didicisset Epicurus, certe non diceret. Sed dum palato quid sit optimum iudicat, 'caeli palatum', ut ait Ennius, non suspectit. XIX. Nam quum duo sint genera siderum, quorum alterum spatiis immutabilibus ab ortu ad occasum commeans nullum umquam cursus sui vestigium inflectat, alterum autem continuas conversiones duas iisdem spatiis cursibusque conficiat, ex utraque re et mundi volubilitas, quae nisi in globosa forma esse non posset, et stellarum rotundi ambitus cognoscuntur. Primusque sol, qui astrorum tenet principatum, ita movetur, ut, quum terras larga luce compleverit, easdem modo his, modo illis ex partibus opacet. Ipsa enim umbra terrae soli officiens noctem efficit. Nocturnorum autem spatiorum eadem est aequitas quae diurnorum, eiusdemque solis tum accessus modici, tum recessus et frigoris et caloris modum temperant: circuitus enim solis orbium v et LX et CCC, quarta fere diei parte addita conversionem conficiunt annuam, in-

flectens autem sol cursum tum ad septem triones, tum ad meridiem aestates et hiemes efficit, et ea duo tempora, quorum alterum hiemi senescenti adiunctum est, alterum aestati. Ita ex quattuor temporum mutationibus omnium, quae terra marique gignuntur, initia causaeque ducuntur. 50. Iam solis annuos cursus spatiis menstruis luna consequitur, cuius tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. Neque solum eius species ac forma mutatur tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo, sed etiam regio, quae tum est aquilonia aut australis. In lunae quoque cursu est et brumæ quaedam et solstitii similitudo, multaque ab ea manant et fluunt quibus et animantes alantur augescantque et pubescant maturitatemque adsequantur quae oriuntur e terra. XX. 51. Maxime vero sunt admirabiles motus earum quinque stellarum, quae falso vocantur errantes. Nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus et regressus reliquosque motus constantes et ratos. Quod eo est admirabilius in his stellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum adeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum autem subsequuntur, tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt. Quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, quum solis et lunae et quinque errantium ad eamdem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio. 52. Quae quam longa sit magna quaestio est, esse vero certam et definitam necesse est. Nam ea, quae Saturni stella dicitur *Φαυρων*que a Graecis nominatur, quae a terra abest plurimum, xxx fere annis cursum suum conficit: in quo cursu multa mirabiliter efficiens tum antecedendo, tum retardando, tum vespertinis temporibus delitiscendo, tum matutinis rursum se aperiendo, nihil immutat semipternis saeculorum aetatibus, quin eadem iisdem temporibus efficiat. Infra autem hanc proprius a terra Iovis stella fertur, quae *Φαεδων* dicitur, eaque eundem XII signorum orbem annis XII conficit easdemque, quas Saturni stella efficit in cursu varietates.

53. Huic autem proximum inferiorem orbem tenet *Πνοόσις*, quae stella Martis appellatur, eaque III et XX mensibus, VI, ut opinor, diebus minus eumdem lustrat orbem quem duae superiores. Infra hanc autem stella Mercurii est: ea *Στιλβών* appellatur a Graecis, quae anno fere vertente signiferum lustrat orbem neque a sole longius umquam unius signi intervallo discedit tum antevertens, tum subsequens. Infima est quinque errantium terraeque proxima stella Veneris, quae *Φωσφόρος* Graece, Latine dicitur Lucifer, quum antegreditur solem, quum subsequitur autem, *Ἑσπερος*. Ea cursum anno conficit et latitudinem lustrans signiferi orbis et longitudinem: quod idem faciunt stellae superiores, neque umquam ab sole duorum signorum intervallo longius discedit tum antecedens, tum subsequens. XXI. 54. Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni aeternitate convenientiam temporum non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. Quae quum in sideribus inesse videamus, non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere. Nec vero stellae eae, quae inerrantes vocantur, non significant eamdem mentem atque prudentiam, quarum est cotidiana conveniens constansque conversio, nec habent aetherios cursus neque caelo inhaerentes, ut plerique dicunt physicae rationis ignari. Non est enim aetheris ea natura, ut vi sua stellas complexa contorqueat. Nam tenuis ac perlucens et aequabili calore suffusus aether non satis aptus ad stellas continendas videtur. 55. Habent igitur suam sphaeram stellae inerrantes ab aetheria coniunctione secretam et liberam. Earum autem perennes cursus atque perpetui cum admirabili incredibilique constantia declarant in his vim et mentem esse divinam, ut haec ipsa qui non sentiat deorum vim habere, is nihil omnino sensurus esse videatur. 56. Nulla igitur in caelo nec fortuna nec temeritas nec erratio nec vanitas inest, contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia. Quaeque his vacant, ementita et falsa plenaque erroris, ea circum terras infra lunam, quae omnium ultima est, in terrisque versantur. Caelestem ergo admirabilem ordinem incredibilemque constantiam, ex qua conservatio et salus omnium omnis oritur,

qui vacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est. 57. Haud ergo, ut opinor, erravero, si a principe investigandae veritatis huius disputationis principium duxero. XXII. Zeno igitur ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via. Censet enim artis maxime proprium esse creare et gignere, quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere, id est, ut dixi, ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis natura artificiosa est, quod habet quasi viam quamdam et sanctam, quam sequatur. 58. Ipsius vero mundi, qui omnia complexu suo coercet et continet, natura non artificiosa solum, sed plane artifex ab eodem Zenone dicitur, consultrix et provida utilitatum opportunitatumque omnium. Atque ut caeterae naturae suis seminibus quaeque gignuntur, augescunt, continentur, sic natura mundi omnes motus habet voluntarios conatusque et appetitiones, quas ὄγμας Graeci vocant, et his consentaneas actiones sic adhibet ut nosmet ipsi, qui animis movemur et sensibus. Talis igitur mens mundi quum sit ob eamque causam vel prudentia vel providentia appellari recte possit — Graece enim πρόνοια dicitur —, haec potissimum providet et in his maxime est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem ut in eo eximia pulcritudo sit atque omnis ornatus. XXIII. 59. Dictum est de universo mundo, dictum est etiam de sideribus, ut iam propemodum appareat multitudo nec cessantium deorum nec ea, quae agant, molientium cum labore operoso ac molesto. Non enim venis et nervis et ossibus continentur, nec iis escis aut potionibus vescuntur, ut aut nimis acres aut nimis concretos humores colligant, nec iis corporibus sunt, ut casus aut ictus extimescant aut morbos metuant ex defagatione membrorum. Quae verens Epicurus monogrammos deos et nihil agentes commentus est. 60. Illi autem pulcherrima forma praediti purissimaque in regione caeli collocati ita feruntur moderanturque cursus, ut ad omnia conservanda et tuenda consensisse videantur.

Multae autem aliae naturae deorum ex magnis beneficiis eorum non sine causa et a Graeciae sapientissimis et a maioribus nostris constitutae nominatae sunt. Quidquid enim magnam utilitatem generi adferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant, ut quum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum, ex quo illud Terentii:

*Sine Cerere et Libero friget Venus:*

61. tum autem res ipsa, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur deus, ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proxime a M. Aemilio Scauro, ante autem ab Atilio Calatino erat Fides consecrata. Vides Virtutis templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiae, Libertatis, Victoriae? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit. Quo ex genere Cupidinis et Voluptatis et Lubentinae Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum neque naturalium, quamquam Velleius aliter existimat, sed tamen ea ipsa vitia naturam vehementius saepe pulsant. 62. Utilitatum igitur magnitudine constituti sunt ii di, qui utilitates quasque gignebant. Atque his quidem nominibus, quae paullo ante dicta sunt, quae vis sit in quoque declaratur deo.

XXIV. Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in caelum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam, hunc dico Liberum Semelam natum, non eum, quem nostri maiores auguste sancte que cum Cerere et Libera consecraverunt, quod quale sit ex mysteriis intelligi potest. Sed quod ex nobis natos liberos appellamus, idcirco Cerere nati nominati sunt Liber et Libera: quod in Libera servant, in Libero non item. Hinc etiam Romulus, quem quidem eumdem esse Quirinum putant, quorum quum remanerent animi atque aeternitate

fruerentur, rite di sunt habiti, quum et optimi essent et aeterni.

63. Alia quoque ex ratione et quidem physica magna fluxit multitudo deorum, qui indui specie humana fabulas poëtis suppeditaverunt, hominum autem vitam superstitione omni referserunt. Atque hic locus a Zenone tractatus post a Cleanthe et Chrysippo pluribus verbis explicatus est. Nam vetus haec opinio Graeciam opplevit scilicet exsectum Caeum a filio Saturno, vinctum autem Saturnum ipsum a filio Iove. 64. Physica ratio non inelegans inclusa est in impia fabulas: caelestem enim altissimam aetheriamque naturam, id est, igneam, quae per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quae coniunctione alterius egeret ad procreandum. XXV. Saturnum autem eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus Graece id ipsum nomen habet: Κρόνος enim dicitur, qui est idem κρόνος, id est, spatium temporis. Saturnus autem est appellatus, quod saturaretur annis: ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia consumit aetas temporum spatia annisque praeteritis insatubiliter expletur, vinctus autem a Iove, ne immoderatos cursus haberet atque ut eum siderum vinclis adligaret. Sed ipse Iuppiter, id est, 'iuvans pater', quem conversis casibus appellamus a 'iuvando' Iovem, a poëtis 'pater diuomque hominumque' dicitur, a maioribus autem nostris 'optimus maximus', et quidem ante 'optimus', id est, beneficentissimus, quam 'maximus', quia maius est certeque gratius prodesse omnibus quam opes magnas habere. 65. Hunc igitur Ennius, ut supra dixi, nuncupat ita dicens:

*Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes Iovem:  
planius quam alio loco idem:*

*Cui, quod in me est, exsecrabor, hoc, quod lucet, quidquid est:*

hunc etiam augures nostri, quum dicunt 'Iove fulgente, tonante': dicunt enim 'caelo fulgente, tonante.' Euripides autem, ut multa praeclare, sic hoc breviter:

*Vides sublime fusum, immoderatum aethera,  
Qui terram tenero circumiectu amplectitur?*

*Hunc summum habeto divum, hunc perhibeo Iovem.*

XXVI. 66. Aër autem, ut Stoici disputant, interiectus inter mare et caelum Iunonis nomine consecratur, quae est soror et coniux Iovis, quod ei similitudo est aetheris et cum eo summa coniunctio. Effeminaverunt autem eum Iunonique tribuerunt, quod nihil est eo mollius. Sed Iunonem a *invando* credo nominatam. Aqua restabat et terra, ut essent ex fabulis tria regna divisa. Datum est igitur Neptuno, altero Iovis, ut volunt, fratri, maritimum omne regnum non menque productum, ut Portunus a *portu*, sic Neptunus a *nando* paullum primis litteris immutatis, terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui *Dives*, ut apud Graecos *Πλούτων*, quia et recidant omnia in terras et orientur e terris. Cui Proserpinam, quod Graecorum nomen est, [nuptam dicunt]: ea enim est, quae *Περσεφόνη* Graece nominatur, quam frugum semen esse volunt absconditamque quaeri a matre fingunt. 67. Mater autem est a 'gerendis' frugibus Ceres tamquam 'Geres', casuque prima littera itidem immutata, ut a Graecis: nam ab illis quoque *Ἄγαρτης* quasi *Γημήτης* nominata est. Iam qui 'magna verteret' Mavors, Minerva autem quae vel 'minueret' vel 'minaretur'.

XXVII. Quumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod ab 'eundo' nomen est ductum, ex quo transitiones perviae 'iani' foresque in liminibus profanarum aedium 'ianuae' nominantur. Nam Vestae nomen a Graecis est: ea est enim, quae ab illis *Ἑστία* dicitur. Vis autem eius ad aras et focos pertinet. Itaque in ea dea, quae est rerum custos intimarum, omnis et precatio et sacrificatio extrema est. 68. Nec longe absunt ab hac vi di Penates sive a *penu* ducto nomine — est enim omne, quo vescuntur homines, penus — sive ab eo, quod 'penitus' incident: ex quo etiam 'penetrales' a poëtis vocantur. Iam Apollinis nomen est Graecum, quem Solem esse volunt, Dianam autem et Lunam eamdem esse putant: quum Sol dictus sit,

vel quia 'solus' ex omnibus sideribus est tantus vel quia, quum est exortus, obscuratis omnibus 'solus' appetet, Luna a 'lucendo' nominata sit: eadem est enim Lucina. Itaque, ut apud Graecos Dianam eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant: quae eadem Diana 'omnivaga' dicitur, non a 'venando', sed quod in septem numeratur tamquam 'vagantibus'. 69. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod huii maturescunt aut septem non numquam aut, ut plerumque, novem lunae cursibus, qui quia mensa spatia conficiunt, 'menses' nominantur. Concinneque, ut multa, Timaeus, qui quum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Diana Ephesiae templum deflagravisse, adiunxit minime id esse mirandum, quod Diana, quum in partu Olympiadis adesse voluisse, absuisset domo. Quae autem dea ad res omnes 'veniret', Venerem nostri nominaverunt atque ex ea potius 'venustas' quam 'Venus' ex venustate. XXVIII. 70. Videtisne igitur ut a physicis rebus bene atque utiliter inventis tracta ratio sit ad commentios et factos deos? quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles. Et formae enim nobis deorum et aetates et vestitus ornatusque noti sunt, genera praeterea, coniugia, cognationes omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanae: nam et perturbatis animis inducuntur: accepimus enim deorum cupiditates, aegritudines, iracundias, nec vero, ut fabulae ferunt, di bellis proeliisque caruerunt, nec solum, ut apud Homerum, quum duos exercitus contrarios alii di ex alia parte defenderent, sed etiam, ut cum Titanis, ut cum Gigantibus, sua propria bella gesserunt. Haec et dicuntur et creduntur stultissime et plena sunt futilitatis summaeque levitatis. 71. Sed tamen his fabulis spretis ac repudiatis deus pertinens per naturam cuiusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alii per alia poterunt intelligi, qui qualesque sint quoque eos nomine consuetudo nuncupaverit, hos deos et venerari et colere debemus. Cultus autem deorum est optimus idemque castissimus atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, in-

corrupta et mente et voce veneremur. Non enim philosophi solum, verum etiam maiores nostri superstitionem a religione separaverunt. 72. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitionis sunt appellati, quod nomen patuit postea latius. Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi ex 'relegendo' [elegantés ex 'eligendo'], tamquam ex 'diligendo' diligentes, ex 'intelligendo' intelligentes. His enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem quae in religioso. Ita factum est in superstitione et religioso alterum vitii nomen, alterum laudis. Ac mihi videor satis et esse deos et quales essent ostendisse.

XXIX. 73. Proximum est ut doceam deorum providentia mundum administrari: magnus sane locus est et a vestris, Cotta, vexatus, ac nimis vobiscum omne certamen est. Nam vobis, Vellei, minus notum est quem ad modum quidque dicatur. Vestra enim solum legitis, vestra amatis: caeteros causa incognita condemnatis. Velut a te ipso hesterno die dictum est anum fatidicam προφοραν a Stoicis induci, id est, providentiam. Quod eo errore dixisti, quia existimas ab his providentiam fingi quasi quamdam deam singularem, quae mundum omnem gubernet et regat, sed id praecise dicitur. 74. Ut si quis dicat Atheniensium rem publicam consilio regi, desit illud 'Areopagi', sic, quum dicimus providentia mundum administrari, deesse arbitrator 'deorum'. Plene autem et perfecte sic dici existimato, providentia deorum mundum administrari. Ita salem istum, quo caret vestra natio, in irridendis nobis nolite consumere, et mehercule, si me audiatis, ne experiamini quidem. Non decet, non datum est, non potestis. Nec vero hoc in te unum convenit moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatum, sed quum in reliquos vestros tum in eum maxime, qui ista peperit, hominem sine arte, sine litteris, insultantem in omnes, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore. XXX. 75. Dico igitur providentia deorum mundum et omnes mundi partes et initio constitutas esse et omni tempore administrari, eamque disputationem tres

in partes nostri fere dividunt, quarum prima pars est, quae ducitur ab ea ratione, quae docet esse deos, quo concessum confitendum est eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quae docet omnes res subiectas esse naturae sentienti ab eaque omnia pulcherrime geri. Quo consti-tuto sequitur ab animantibus principiis eam esse generata. Tertius est locus, qui ducitur ex admiratione rerum caelestium atque terrestrium.

76. Primum igitur aut negandum est esse deos, quod et Democritus simulacra et Epicurus imagines inducens quodam pacto negat, aut, qui deos esse concedant, iis fatendum est eos aliquid agere idque praeclarum. Nihil est autem praeclarius mundi administratione: deorum igitur consilio administratur. Quod si aliter est, aliquid profecto necesse est esse melius et maiore vi praeditum quam deos, quale id cumque est, sive inanima natura sive necessitas vi magna incitata, haec pulcherrima opera efficiens, quae videmus. 77. Non est igitur natura deorum praepotens neque excellens, si quidem ea subiecta est ei vel necessitatibus vel naturae, qua caelum, maria, terrae regantur. Nihil est autem praestantius deo. Ab eo igitur mundum necesse est regi. Nulli igitur est naturae oboediens aut subiectus deus. Omnem ergo regit ipse naturam. Etenim si concedimus intelligentes esse deos, concedimus etiam providentes et rerum quidem maximarum. Ergo utrum ignorant quae res maxima sint quoque eae modo tractandae et tuendae animam non habent qua tantas res sustineant et gerant? At et ignoratio rerum aliena naturae deorum est et sustinendi munieris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in maiestatem deorum. Ex quo efficitur id, quod volumus, deorum providentia mundum administrari. XXXI. 78. At qui necesse est, quum sint di, si modo sunt, ut profecto sunt, animantes esse nec solum animantes, sed etiam rationis compotes inter seque quasi civili conciliatione et societate coniunctos, unum mundum ut communem rem publicam atque urbem aliquam regentes. 79. Sequitur ut eadem sit in iis, quae humano in genere, ratio, eadem veritas utrobius sit eademque lex, quae est recti praeceptio pravique

depulsio. Ex quo intelligitur prudentiam quoque et mentem a deo ad homines pervenisse, ob eamque causam maiorum institutis mens, fides, virtus, concordia consecratae et publice dedicatae sunt. Quae qui convenit penes deos esse negare, quum eorum augusta et sancta simulacra veneremur? Quod si inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia, unde haec in terram nisi ab superis defluere potuerunt? Quumque sint in nobis consilium, ratio, prudentia, necesse est deos haec ipsa habere maiora nec habere solum, sed etiam his uti in maximis et optimis rebus. 80. Nihil autem est nec maius nec melius mundo: necesse est ergo eum deorum consilio et providentia administrari. Postremo quum satis docuerimus hos esse deos, quorum insignem vim et illustrem faciem videremus, solem dico et lunam et vagas stellas et inerrantes et caelum et mundum ipsum et earum rerum vim, quae inessent in omni mundo cum magno usu et commoditate generis humani, efficitur omnia regi divina mente atque prudentia. Ac de prima quidem parte satis dictum est.

XXXII. 81. Sequitur ut doceam omnia subiecta esse naturae eaque ab ea pulcherrime geri. Sed quid sit ipsa natura explicandum est ante breviter, quo facilius id, quod docere volumus, intelligi possit. Namque alii naturam censem esse vim quamdam sine ratione carentem motus in corporibus necessarios, alii autem vim participem rationis atque ordinis tamquam via progredientem declarantemque quid cuiusque rei causa efficiat, quid sequatur, cuius sollertia nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando: seminis enim vim esse tantam, ut id, quamquam sit per exiguum, tamen, si inciderit in concipientem comprehendenterque naturam nanctumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita fingat et efficiat in suo quidque genere, partim ut tantum modo per stirpes alantur suas, partim ut moveri etiam et sentire et appetere possint et ex sese similia sui gignere. 82. Sunt autem qui omnia naturae nomine appellant, ut Epicurus, qui ita dividit, omnium, quae sint, naturam esse corpora et inane quaeque his accident. Sed nos quum dicimus natura constare administrarique

mundum, non ita dicimus, ut glaebam aut fragmentum lapidis aut aliquid eius modi nulla cohaerendi natura, sed ut arborem, ut animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet et artis quaedam similitudo.

XXXIII. 83. Quod si ea, quae a terra stirpibus continentur, arte naturae vivunt et vigent, profecto ipsa terra eadem vi continetur arte naturae, quippe quae gravida seminibus omnia pariat et fundat ex sese, stirpes amplexa alat et augeat ipsaque alatur vicissim a superis externisque naturis. Eiusdemque exspirationibus et aëris alitur et aether et omnia supera. Ita, si terra natura tenetur et viget, eadem ratio in reliquo mundo est: stirpes enim terrae inhaerent: animantes autem aspiratione aëris sustinentur, ipseque aëris nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat: nihil enim eorum sine eo fieri potest. Quin etiam movet nobiscum: quacumque enim imus, quacumque movemur, videtur quasi locum dare et cedere. 84. Quaeque in medium locum mundi, qui est infimus, et quae a medio in superum quaeque conversione rotunda circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt unamque naturam. Et quum quattuor genera sint corporum, vicissitudine eorum mundi continuata natura est. Nam ex terra aqua, ex aqua oritur aëris, ex aëre aether, deinde retrorsum vicissim ex aethere aëris, inde aqua, ex aqua terra infima. Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursus deorsus, ultra citro commeantibus mundi partium coniunctio continetur. 85. Quae aut semiperna sit necesse est hoc eodem ornatu, quem videmus, aut certe perdiuturna permanens ad longinquum et immensum paene tempus. Quorum utrumvis ut sit, sequitur natura mundum administrari. Quae enim classium navigatio aut quae instructio exercitus aut rursus, ut ea, quae natura efficit, conferamus, quae procreatio vitis aut arboris, quae porro animantis figura conformatioque membrorum tantam naturae sollertia significat quantam ipse mundus? Aut igitur nihil est quod sentiente natura regatur aut mundum regi confitendum est. 86. Etenim qui reliquas naturas omnes earumque semina contineat qui potest ipse non natura administrari? ut, si qui dentes et pubertatem natura

dicat existere, ipsum autem hominem, cui ea existant, non constare natura, non intelligat ea, quae efferant aliquid ex sese, perfectiores habere naturas quam ea, quae ex iis efferantur.

**XXXIV.** Omnium autem rerum, quae natura administrantur, seminator et sator et parens, ut ita dicam, atque educator et auctor est mundus omniaque sicut membra et partes suas nutricatur et continet. Quod si mundi partes natura administrantur, necesse est mundum ipsum natura administrari, cuius quidem administratio nihil habet in se quod reprehendi possit: ex iis enim naturis, quae erant, quod effici optimum potuit effectum est. **87.** Doceat ergo aliquis potuisse melius. Sed nemo umquam docebit et, si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet aut id, quod fieri non potuerit, desiderabit. Quod si omnes mundi partes ita constitutae sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse neque ad speciem pulchiores, videamus utrum ea fortuitane sint an eo statu, quo cohaerere nullo modo potuerint nisi sensu moderante divinaque providentia. Si igitur meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta sunt, nec ars efficit quidquam sine ratione, ne natura quidem rationis expers est habenda. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pictam quum aspiceris, scire adhibitam esse artem, quumque procul cursum navigii videris, non dubitare quin id ratione atque arte moveatur aut, quum solarium aut descriptum aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu, mundum autem, qui et has ipsas artes et earum artifices et cuncta complectatur, consilii et rauonis esse expertem putare? **88.** Quod si in Scythiam aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus et noctibus, quis in illa barbaria dubitet quin ea sphaera sit perfecta ratione? **XXXV.** Hi autem dubitant de mundo, ex quo et oriuntur et fiunt omnia, casu ipse sit effectus aut necessitate aliqua an ratione ac mente divina et Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphaerae conver-

sionibus quam naturam in efficiendis, praesertim quum multis partibus sint illa perfecta quam haec simulata sollertia. **89.** Atqui ille apud Accium pastor, qui navem numquam ante vidisset, ut procul divinum et novum vehiculum Argonautarum e monte conspexit, primo admirans et perterritus hoc modo loquitur:

*Tanta moles labitur,  
Fremebunda ex alto ingenti sonitu et spiritu.  
Prae se undas volvit, vortices vi suscitat:  
Ruit prolapsa, pelagus respergit, reflat.  
Ita dum interruptum credas nimbum volvier,  
Dum quod sublime ventis expulsum rapi  
Saxum aut procellis vel globosos turbines  
Exsistere ictos undis concursantibus:  
Nisi quas terrestres pontus strages conciet,  
Aut forte Triton fuscina evertens specus  
Subter radices penitus undanti in freto  
Molem ex profundo saxeam ad caelum evexit.*

Dubitabat primo quae sit ea natura, quam cernit ignotam, idemque iuvenibus visis auditioque nautico cantu:

*Sic aut inciti atque alacres rostris perfremunt  
Delphini.*

Item alia multa:

*Silvani melo  
Consimilem ad aures cantum et auditum refert.*

**90.** Ergo ut hic primo aspectu inanimum quiddam sensuque vacuum se putat cernere, post autem signis certioribus quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspicari, sic philosophi debuerunt, si forte eos primus aspectus mundi conturbaverat, postea, quum vidissent motus eius finitos et aequabiles omniaque ratis ordinibus moderata immutabilique constantia intelligere inesse aliquem non solum habitatorem in hac caelesti ac divina domo, sed etiam rectorem et moderatorem et tamquam architectum tanti operis tantique muneris. **XXXVI.** Nunc autem mihi videntur ne suspicari quidem quanta sit admirabilitas caelestium rerum atque terrestrium.

91. Principio enim terra sita in media parte mundi circumfusa undique est hac animali spirabilique natura, cui nomen est aér, Graecum illud quidem, sed perceptum iam tamen usu a nostris: tritum est enim pro Latino. Hunc rursus amplectitur immensus aether, qui constat ex altissimis ignibus. Mutuemur hoc quoque verbum dicaturque tam 'aether' Latine, quam dicitur aér, etsi interpretatur Pacuvius:

*Hoc, quod memoro, nostri caelum, Grai perhibent aethera,  
quasi vero non Graius hoc dicat. At Latine loquitur. Si  
quidem nos non quasi Graece loquentem audiamus. Docet  
idem alio loco:*

*Graiugena: de istoc aperit ipsa oratio.*

92. Sed ad maiora redeamus. Ex aethere igitur innumera-biles flammae siderum existunt, quorum est princeps sol omnia clarissima luce collustrans, multis partibus maior atque amplior quam terra universa: deinde reliqua sidera magnitudinibus immensis. Atque hi tanti ignes tamque multi non modo nihil nocent terris rebusque terrestribus, sed ita prosunt, ut, si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus moderatione et temperatione sublata.

XXXVII. 93. Hic ego non mirer esse quemquam qui sibi persuadeat corpora quaedam solida atque individua vi et gravitate ferri mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concusione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum vel aureae vel qualeslibet aliquo coniiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. 94. Isti autem quem ad modum adseverant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Graeci vocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere atque casu mundum esse perfectum, vel innumerabiles potius in omni punto temporis alios nasci, alios interire? Quod si mundum efficeri potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur

urbem non potest? quae sunt minus operosa et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem caeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur. 95. Praeclare ergo Aristoteles: 'Si essent' inquit 'qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent umquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen et vim deorum, deinde aliquo tempore patefactis terrae faucibus ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent: quum repente terram et maria caelumque vidissent, nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent aspexissentque solem eiusque quum magnitudinem pulchritudinemque tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret toto caelo luce diffusa, quum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent astris distinctum et ornatum lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus: quae quum viderent, profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur'. XXXVIII. 96. Atque haec quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantae quandam eruptione Aetnaeorum ignium finitimas regiones obscuravissem dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnoscet, quum autem tertio die sol luxisset, tum ut revixisse sibi viderentur. Quod si hoc idem ex aeternis tenebris contingret, ut subito lucem aspiceremus, quaenam species caeli videretur? Sed adsiduitate cotidiana et consuetudine oculorum adsuescunt animi neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident, proinde quasi novitas nos magis quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. 97. Quis enim hunc hominem dixerit, qui quum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines tamque inter se omnia connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur nullo consilio adsequi possu-

mus? An quum machinatione quadam moveri aliquid vides, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera sint rationis: quum autem impetum caeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus constatissime confidentem vicissitudines anniversarias cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti divinaque ratione? 98. Licet enim iam remota subtilitate disputandi oculis quodam modo contemplari pulcritudinem rerum eorum, quas divina providentia dicimus constitutas.

XXXIX. Ac principio terra universa cernatur, locata in media sede mundi, solida et globosa et undique ipsa in sece nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde hoc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnum, riparum vestitus viridis-simos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines immensitatesque camporum: adde etiam reconditas auri argenteaque venas infinitamque vim marmoris. 99. Quae vero et quam varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum, qui volucrum lapsus atque cantus, qui pecudum pastus, quae vita silvestrium! Quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti non patiuntur eam nec immanitate beluarum efferari nec stirpium asperitate vastari, quorumque operibus agri, insulae littoraque colluentes distincta tectis et urbibus. Quae si ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret. 100. At vero quanta maris est pulcritudo, quae species universi, quae multitudo et varietas insularum, quae amoenitates orarum ac littorum! quot genera quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium et innantium beluarum, partim ad saxa nativis testis inherentium! Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus cludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. 101. Exin mari finitimus aer die et nocte distinguitur, isque tum fusus et extenuatus sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur humoreque colligens terram auget imbris, tum effluens huc

et illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum et calorum facit varietates idemque et volatus alitum sustinet et spiritu ductus alit et sustentat animantes. XL. Restat ultimus et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens caeli complexus, qui idem aether vocatur, extrema ora et determinatio mundi, in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. 102. E quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvit, isque oriens et occidens diem noctemque conficit et modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reveriones ab extremo contrarias facit, quarum intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim laetificat, ut cum caelo hilarata videatur. 103. Luna autem, quae est, ut ostendunt mathematici, maior quam dimidia pars terrae, iisdem spatiis vagatur quibus sol, sed tum congregiens cum sole, tum degrediens et eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras et varias ipsa lucis mutationes habet, atque etiam tum subiecta atque opposita soli radios eius et lumen obscurat, tum ipsa incidens in umbram terrae, quem est e regione solis, interpositu interiectuque terrae repente deficit. Iisdemque spatiis eae stellae, quas vagas dicimus, circum terram feruntur eodemque modo oriuntur et occidunt, quarum motus tum incitantur, tum retardantur, saepe etiam insistunt. 104. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulcrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo, quarum ita descripta distinctione est, ut ex notarum figurarum similitudine nomina invenientur. XLI. Atque hoc loco me intuens: Utar, inquit, carminibus Arati, eis quae a te admodum adolescentulo conversa ita me delectant, quia Latina sunt, ut multa ex iis memoria teneam. Ergo, ut oculis adsidue videmus, sine ulla mutatione aut varietate

*Caetera labuntur celeri caelestia motu,  
Cum caeloque simul noctesque diesque feruntur,*

105. quorum contemplatione nullius expleri potest animus naturae constantiam videre cupientis.

*Extremusque adeo duplice de cardine vertex*

*Dicitur esse polus.*

Hunc circum arctoe duae feruntur, numquam occidentes.

*Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,*

*Altera dicitur esse Helice,*

cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus,

*Quas nostri septem soliti vocitare Triones.*

106. Paribusque stellis similiter distinctis eumdem caeli verticem lustrat parva Cynosura.

*Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto.*

*Sed prior illa magis stellis distincta refulget,*

*Et late prima confestim a nocte videtur:*

*Haec vero parva est, sed nautis usus in hac est.*

*Nam cursu interiore brevi convertitur orbe.*

XLII. Et quo sit earum stellarum admirabilior aspectus,

*Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,*

*Torvus Draco serpit subter superaque revolvens*

*Sese conficiensque sinus e corpore flexos.*

107. Eius quum totius est praeclara species, in primis aspi-cienda est figura capitis atque ardor oculorum.

*Huic non una modo caput ornans stella reluet,*

*Verum tempora sunt duplice fulgore notata,*

*E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant*

*Atque uno mentum radianti sidere lucet:*

*Obstipum caput ac tereti cervice reflexum,*

*Obtutum in cauda maioris figere dicas.*

108. Et reliquum quidem corpus Draconis totis noctibus cernimus:

*Hoc caput hic paullum sese subitoque recondit,*

*Ortus ubi atque obitus partim admiscetur in unum.*

Id autem caput

*Attingens defessa velut maerentis imago*

*Vertitur,*

quam quidem Graeci

*Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur*

*Hic illa eximio posita est fulgore Corona.*

Atque haec quidem a tergo, propter caput autem Angui-tenens:

109. *Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graii.*

*Hic pressu duplice palmarum continet Anguem,*

*Atque eius ipse manet religatus corpore torto:*

*Namque virum medium serpens sub pectora cingit.*

*Ille tamen nitens graviter vestigia ponit,*

*Atque oculos urguit pedibus pectusque Nepaī.*

Septem triones autem sequitur

*Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes,*

*Quod quasi temone adiunctam pree se quatit Arctum.*

110. Dein quae sequuntur. Huic enim Booti

*subter praecordia fixa videtur*

*Stella micans radiis, Arcturus nomine claro:*

cuius [pedibus] subiecta fertur

*Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.*

XLIII. Atque ita demetata signa sunt, ut in tantis descriptio-nibus divina sollertia appareat.

*Et natos Geminos invises sub caput Arcti.*

*Subiectus mediae est Cancer pedibusque tenetur*

*Magnus Leo tremulam quatiens e corporeflammam.*

Auriga

*Sub laeva Geminorum obductus parte feretur.*

*Adversum caput huic Helice truculenta tuerit.*

*At Capra laevum humerum clara obtinet . . . .*

Tum quae sequuntur:

*Verum haec est magno atque illustri praedita signo,*

*Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem,*

cuius sub pedibus

*Corniger est valido connexus corpore Taurus.*

111. Eius caput stellis conspersum est frequentibus.

*Has Graeci stellas Hyadas vocitare suērunt,*

a pluendo: *ὕειν enim est pluere: nostri imperite sucas, quasi a subus essent, non ab imbris nominatae. Minorem autem Septemtrionem Cepheus passis palmis a tergo subsequitur.*

*Namque ipsum ad tergum Cynosurae vertitur Arcti  
Hunc antecedit*

*Obscura specie stellarum Cassiepa.*

*Hanc autem illustri versatur corpore propter  
Andromeda, heu, fugiens aspectum maesta parentis  
Huic Equus ille iubam quiatius fulgore micanti,  
Summum contingit caput alvo stellaque iungens  
Una tenet duplices communi lumine formas,  
Aeternum ex astris cupiens connectere nodum.  
Exin contortis Aries cum cornibus haeret,*

*quem propter*

*Pisces, quorum alter paullum praelabitur ante,  
Et magis horriferis aquilonis tangitur auris.*

XLIV. 112. Ad pedes Andromedae Perseus describitur,

*Quem summa regione aquilonis flamina pulsant.  
Cuius propter laevum genus [omni ex parte locatas  
Parvas] Vergilias tenui cum luce videbis.  
Inde Fides positu leviter conversa videtur.  
Inde est ales Avis lato sub tegmine caeli.*

Capiti autem Equi proxima est Aquarii dextra totusque deinceps Aquarius.

*Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans  
Corpo semifero magno Capricornus in orbe,  
Quem quum perpetuo vestivit lumine Titan,  
Brumali flectens contorquet tempore currum.*

113. Hic autem aspicitur,

*Ut sese ostendens emergit Scorpions alte,  
Postiore trahens plexum vi corporis arcum,  
Quem propter nitens pinnis convolvitur Ales.  
At propter se Aquila ardenti cum corpore portat.*

Deinde Delphinus,

*Exinde Orion obliquo corpore nitens.*

114. Quem subsequens

*Fervidus ille Canis stellarum luce refulget.*

Post Lepus sequitur,

*Curriculum numquam defesso corpore sedans.  
At Canis àd caudam serpens prolabitur Argo..  
Hanc Aries tegit et squamoso corpore Pisces,  
Fluminis illustri tangentem corpore ripas.*

Quem longe serpentem et manantem

*— aspices proceraque Vincla videbis,  
Quae retinent Pisces caudarum a parte locata....  
Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen  
Aram, quam flatu permulcet spiritus austri.*

Propterque Centaurus

*Cedit Equi partis properans subiungere chelis.  
Hic dextram porgens, quadrupes qua vasta tenetur,  
Tendit et illustrem truculentus caedit ad aram:  
Hic sese infernis de partibus erigit Hydra,*

*cuius longe corpus est fusum,*

*In medioque sinu fulgens Cratera relucet.  
Extremam nitens plumato corpore Corvus  
Rostro tundit, et hic Geminis est ille sub ipsis  
Ante Canem, Προκύπτων Graio qui nomine fertur.*

115. Haec omnis descriptio siderum atque hic tantus caeli ornatus ex corporibus huc et illuc casu et temere cursantibus potuisse effici cuiquam sano videri potest? Aut vero aliqua natura mentis et rationis expers haec efficere potuit, quae non modo ut fierent ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint sine summa ratione non possunt?

XLV. Nec vero haec solum admirabilia, sed nihil maius quam quod ita stabilis est mundus atque ita cohaeret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. Omnes enim partes eius undique medium locum capessentes nituntur aequaliter. Maxime autem corpora inter se iuncta permanent, quum quasi quodam vinculo circumdato colligantur: quod facit ea natura, quae per omnem mundum omnia mente et ratione conficiens funditur et ad medium rapit et convertit extrema. 116. Quocirca si mundus globosus est ob eamque causam omnes eius partes undique aequa-

biles ipsae per se atque inter se continentur, contingere idem terrae necesse est, ut omnibus eius partibus in medium ventribus — id autem medium infimum in sphaera est — nihil interrupat quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum. Eademque ratione mare, quum supra terram sit, medium tamen terrae locum expetens conglobatur undique aequabiliter neque redundat umquam neque effunditur. 117. Huic autem continens aër fertur ille quidem levitate sublimis, sed tamen in omnes partes se ipse fundit: itaque et mari continuatus et iunctus est et natura fertur ad caelum, cuius tenuitate et calore temperatus vitalem et salutarem spiritum praebet animantibus. Quem complexa summa pars caeli, quae aetheria dicitur, et suum retinet ardorem tenuem et nulla admixtione concretum et cum aëris extremitate coniungitur. XLVI. In aethere autem astra volvuntur, quae se et nisu suo globata continent et forma ipsa figuraque sua momenta sustentant: sunt enim rotunda, quibus formis, ut ante dixisse videor, minime noceri potest. 118. Sunt autem stellae natura flammeae: quocirca terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris tepefactis et ex aquis excitantur, quibus altae renovataeque stellae atque omnis aether refundunt eadem et rursum trahunt indidem, nihil ut fere intereat aut admodum paullum, quod astrorum ignis et aetheris flamma consumit. Ex quo eventurum nostri putant id, de quo Panaetium addubitatice dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, quem humore consumpto neque terra ali posset nec remearet aëris, cuius ortus aqua omni exhausta esse non posset: ita reliqui nihil praeter ignem, a quo rursum animante ac deo renovatio mundi fieret atque idem ornatus oreretur. 119. Nolo in stellarum ratione multus vobis videri maximeque earum, quae errare dicuntur. Quarum tantus est concentus ex dissimiliis motibus, ut, quum summa Saturni refrigeret, media Martis incendat, his interiecta Iovis illustret et temperet infraque Martem duae Soli oboediant, ipse Sol mundum omnem sua luce compleat ab eoque Luna illuminata gravitates et partus adferat maturitatesque gignendi. Quae copulatio rerum et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmen-

tatio naturae quem non movet, hunc horum nihil umquam reputavisse certo scio.

XLVII. 120. Age, ut a caelestibus rebus ad terrestres veniamus, quid est in his in quo non naturae ratio intelligentis appareat? Principio eorum quae gignuntur e terra stirpes et stabilitatem dant iis, quae sustinentur et e terra sucum trahunt, quo alantur ea, quae radicibus continentur, obducunturque libro aut cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores. Iam vero vites sic claviculis adminicula tamquam manibus apprehendunt atque se ita erigunt ut animantes. Quin etiam a caulinibus, si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus refugere dieuntur nec eos ulla ex parte contingere. 121. Animantium vero quanta varietas est, quanta ad eam rem vis, ut in suo quaeque genere permaneat! Quarum aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae, pluma alias, alias squama videamus obductas, alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Pastum autem animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit. Enumerare possum ad eum pastum capessendum conficiendumque quae sit in figuris animantium et quam sollers subtilisque descripicio partium quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quae quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. 122. Dedit autem eadem natura beluis et sensum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secererent pestifera a salutaribus. Iam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando, cibumque partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate adripiunt, partim aduncitate rostrorum, alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingat: 123. quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut camelii, adiuvantur proceritate collorum: manus etiam data est elephanto, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebat ad pastum. XLVIII. At, quibus bestiis erat is cibus,

## DE NATURA DEORUM

80

ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem: data est quibusdam etiam machinatio quedam atque sollertia, ut in araneolis aliae quasi rete texunt, ut, si quid inhaeserit, conficiant, aliae autem ut ex inopinato observant et, si quid incidit, adripiunt idque consumunt. Pinna vero — sic enim Graece dicitur — duabus grandibus patula conchis cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi, itaque quum pisciculi parvi in concham hian tem innataverunt, tum admonita squillae pinna morsu com primit conchas. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur. 124. In quo admirandum est congressum aliquo inter se an iam inde ab ortu natura ipsa congregatae sint. Est etiam admiratio non nulla in bestiis aquatilibus iis, quae gignuntur in terra, veluti crocodili fluvia tilesque testudines quaedamque serpentes ortae extra aquam, simul ac primum niti possunt, aquam persequuntur. Quin etiam anatum ova gallinis saepe supponimus, e quibus pulli orti primum aluntur ab his ut a matribus, a quibus exclusi sotique sunt, deinde eas relinquunt et effugiunt sequentes, quum primum aquam quasi naturalem domum videre potuerunt. Tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiā. XLIX. Legi etiam scriptum esse avem quamdam, quae plataea nominaretur: eam sibi cibum quaerere advolantem ad eas aves, quae se in mari mergerent, quae quum emersissent piscesque cepissent, usque eo premere earum capita mordicus, dum illae captum amitterent, id quod ipsa invaderet. Eademque haec avis scribitur conchis se solere complere, eas quum stomachi calore concoixerit, evomere atque ita eligere ex iis quae sunt esculentā. 125. Ranae autem marinae dicuntur obruere sese arena solere et moveri prope aquam, ad quas quasi ad escam pisces quum accesserint, confici a ranis atque consumi. Miluo est quodam bellum quasi naturale cum corvo: ergo alter alterius ubicumque nactus est ova frangit. Illud vero ab Aristotele animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari? Grues quum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam, eius autem summo angulo aēr ab iis adversus pellitur, deinde sensim ab utroque latere, tamquam

remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quem efficiunt grues, ea tamquam a puppi ventis adiuvatur, eaeque in tergo praevolantium colla et capita reponunt, quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet cui innitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat. In eius locum succedit ex iis, quae acquierunt, eaque vicissitudo in omni cursu conservatur. 126. Multa eius modi proferre possum, sed genus ipsum videtis. Iam vero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitiscant. L. Atque illa mirabilia: quid ea, quae nuper, id est, paucis ante saeculis, medicorum ingenii reperta sunt? Vomitione canes, purgatione autem alvos ibes Aegyptiae curant. Auditum est pantheras, quae in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo quum essent usae, non morerentur, capras autem in Creta feras, quum essent confixae venenatis sagittis, herbam quaerere, quae dictamus vocaretur, quam quum gustavissent, sagittas excidere dicunt e corpore. 127. Cervaeque paullo ante partum perpurgant se quadam herba, quae seselis dicitur. Iam illa cernimus, ut contra vim et metum suis se armis quaeque defendat. Cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, aliae fuga se, aliae occultatione tutantur, atramenti effusione saepiae, torpore torpedines, multae etiam insectantes odoris intolerabili foeditate depelunt. LI. Ut vero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a providentia deorum, ut semper essent et bestiarum genera et arborum omniumque rerum, quae a terra stirpibus continerentur. Quae quidem omnia eam vim seminis habent in se, ut ex uno plura generentur, idque semen inclusum est in intima parte earum bacarum, quae ex quaque stirpe funduntur, iisdemque seminibus et homines adfatim vescuntur et terrae eiusdem generis stirpium renovatione complentur. 128. Quid loquar quanta ratio in bestiis ad perpetuam conservationem earum generis appareat? Nam primum aliae mares, aliae feminae sunt, quod perpetuitatis causa machinata natura est. Deinde partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum aptissimae et in mare et in femina commiscendorum corporum mirae libidines. Quum

cic. IV. 2.

6

autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese eoque saeptum fingit animal: quod quum ex utero elapsum excidit, in iis animantibus, quae lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lactescere incipit, eaque, quae paulo ante nata sunt, sine magistro duce natura mammas appetunt earumque ubertate saturantur. Atque ut intelligamus nihil horum esse fortuitum et haec omnia esse opera providae sollertiae naturae, quae multiplices fetus procreant, ut sues, ut canes, his mammorum data est multitudo, quas easdem paucas habent eae bestiae, quae pauca gignunt. 129. Quid dicam quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis, quae procreaverunt, usque ad eum finem dum possint se ipsa defendere? etsi pisces, ut aiunt, ova quum genuerunt, relinquunt: facile enim illa aqua et sustinentur et fetum fundunt. LII. Testudines autem et crocodilos dicunt, quum in terra partum ediderint, obruere ova, deinde discedere: ita et nascuntur et educantur ipsa per sese. Iam gallinae avesque reliquae et quietum requirunt ad pariendum locum et cubilia sibi nidosque construunt eosque quam possunt mollissime substernunt, ut quam facillime ova serventur: ex quibus pullos quum excluserunt, ita tueruntur, ut et pennis foveant, ne frigore laedantur, et, si est calor a sole, se opponant. Quum autem pulli pennulis uti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur, reliqua cura liberantur. 130. Accedit etiam ad non nullorum animantium et earum rerum, quas terra gignit, conservationem et salutem hominum [etiam] sollertia et diligentia. Nam multae et pecudes et stirpes sunt, quae sine procuratione hominum salvae esse non possunt. Magnae etiam opportunitates ad cultum hominum atque abundantiam aliae aliis in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus irrigat et, quum tota aestate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit mollitosque et oblimatos ad serendum agros relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quot annos quasi novos agros invehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat et mitigat, sed eos etiam conserit: magnam enim vim seminum secum frumenti similium dicitur deportare. 131. Multaque alia aliis in loci

commemorabilia proferre possum, multos fertiles agros alios aliorum fructuum. LIII. Sed illa quanta benignitas naturae, quod tam multa ad vescendum, tam varia, tam iucunda gignit, neque ea uno tempore anni, ut semper et novitate delectemur et copia! Quam tempestivos autem dedit, quam salutares non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quae oriuntur e terra, ventos Etesias, quorum flatu nimii temperantur calores! ab iisdem etiam maritimi cursus celeres et certi diriguntur. Multa praeter-eunda sunt et tamen multa dicuntur. 132. Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, aestus maritimi mutuo accedentes et recedentes, montes vestiti atque silvestres, salinae ab ora maritima remotissimae, medicamentorum satutarium plenissimae terrae, artes denique innumerabiles ad victum et ad vitam necessariae. Iam diei noctisque vicissitudine conservat animantes tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undique omni ratione concluditur mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.

133. Sin quaeret quispiam cuiusnam causa tantarum rerum molitus facta sit, arborumne et herbarum? quae quamquam sine sensu sunt, tamen a natura sustinentur. At id quidem absurdum est. An bestiarum? Nihilo probabilius deos mutorum et nihil intelligentium causa tantum laborasse. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quae ratione utuntur. Hi sunt di et homines, quibus profecto nihil est melius: ratio est enim quae praestet omnibus. Ita fit credibile deorum et hominum causa factum esse mundum quaeque in eo sint omnia. LIV. Faciliusque intelligetur a dis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta omnisque humanae naturae figura atque perfectio. 134. Nam quum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu, ad haec omnia percipienda os est aptissimum, quod adiunctis naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditum atque ab his extenuatur et molitur cibus. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt qui genuini vocantur, quae

confectio etiam a lingua adiuvari videtur. 135. Linguam autem ad radices eius haerens excipit stomachus, quo pri-  
mum illabuntur ea, quae accepta sunt ore. Is utraque ex  
parte tonsillas attingens palato extremo atque intimo termi-  
natur. Atque is agitatione et motibus linguae quum depul-  
sum et quasi detrusum cibum accepit, depellit. Ipsius autem  
partes eae, quae sunt infra quam id, quod devoratur, dilatantur,  
quae autem supra, contrahuntur. 136. Sed quum aspera arteria — sic enim a medicis appellatur — ostium  
habeat adiunctum linguae radicibus paullo supra, quam ad  
linguam stomachus adnectitur, eaque ad pulmones usque  
pertineat excipiatque animam, eam quae ducta est spiritu,  
eamdemque a pulmonibus respiret et reddat, tegitur quo-  
dam quasi operculo, quod ob eam causam datum est, ne, si  
quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed  
quum alvi natura subiecta stomacho cibi et potionis sit re-  
ceptaculum, pulmones autem et cor extrinsecus spiritum  
ducant, in alvo multa sunt mirabiliter effecta, quae con-  
stat fere e nervis. Est autem multiplex et tortuosa arcet-  
que et continet, sive illud aridum est sive humidum quod  
recipit, ut id mutari et concoqui possit, eaque tum astringit-  
ur, tum relaxatur, atque omne quod accipit cogit et con-  
fundit, ut facile et calore, quem multum habet, et terendo  
cibo et praeterea spiritu omnia cocta atque confecta in reli-  
quum corpus dividantur. LV. In pulmonibus autem ines-  
raritas quaedam et adsimilis spongiis mollitudo ad haurien-  
dum spiritum aptissima, qui tum se contrahunt aspirantes,  
tum in respiratu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis,  
quo maxime aluntur animantes. 137. Ex intestinis autem.  
[et alvo] secretus a reliquo cibo sucus is, quo alimur, per-  
manat ad iecur, per quasdam a medio intestino usque ad  
portas iecoris — sic enim appellant — ductas et directas  
vias, quae pertinent ad iecur eique adhaerent. Atque inde  
aliae..... pertinentes sunt, per quas cadit cibus a iecore dila-  
psus. Ab eo cibo quum est secreta bilis eique humores,  
qui e renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt  
ad easdemque portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius  
viae pertinent: per quas lapsus cibus in hoc ipso loco in

eam venam, quae cava appellatur, confunditur perque eam  
ad cor confessus iam concoctusque perlabitur, a corde autem  
in totum corpus distribuitur per venas admodum multas in  
omnes partes corporis pertinentes. 138. Quem ad modum  
autem reliquiae cibi depellantur tum astringentibus se in-  
testinis, tum relaxantibus haud sane difficile dictu est, sed  
tamen praetereundum est, ne quid habeat iniucunditatis  
oratio. Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturae.  
Nam quae spiritu in pulmones anima dicitur, ea calescit  
primum ipso ab spiritu, deinde contagione pulmonum, ex  
eaque pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte  
quadam, quem ventriculum cordis appellant, cui similis al-  
ter adiunctus est, in quem sanguis a iecore per venam illam  
cavam influit. Eoque modo ex his partibus et sanguis per  
venas in omne corpus diffunditur et spiritus per arterias.  
Utraeque autem crebrae multaeque corpore toto intextae  
vim quamdam incredibilem artificiosi operis divinique testan-  
tur. 139. Quid dicam de ossibus, quae subiecta corpori  
mirabiles commissuras habent et ad stabilitatem aptas et ad  
artus finiendos accommodatas et ad motum et ad omnem  
corporis actionem. Huc adde nervos, a quibus artus con-  
tinentur, eorumque implicationem toto corpore pertinentem,  
qui sicut venae et arteriae a corde tracti et profecti in cor-  
pus omne ducuntur. LVI. 140. Ad hanc providentiam na-  
turae tam diligentem tamque sollerter adiungi multa pos-  
sunt, e quibus intelligatur quantae res hominibus a di-  
quamque eximiae tributae sint: quae primum eos humo exci-  
tatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem  
caelum intuentes capere possent. Sunt enim ex terra homi-  
nes non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores  
superarum rerum atque caelestium, quarum spectaculum  
ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem  
interpretes ac nuncii rerum in capite tamquam in arce miri-  
fice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi  
tamquam speculatorum altissimum locum obtinent, ex quo  
plurima consipientes fungantur suo munere. 141. Et aures,  
quum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur,  
recte in aliis corporum partibus collocatae sunt. Itemque

nares eo, quod omnis odor ad supra fertur, recte sursum sunt et, quod cibi et potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et potulentis iter natura patescit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus omnesque minimos et frigoris et caloris appulsus sentire possimus. Atque ut in aedificiis architecti avertunt ab oculis naribusque dominorum ea, quae profluentia necessario taetri essent aliquid habitura, sic naturae similes procul amandavit a sensibus. LVII. 142. Quis vero opifex praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam sollertia persequi potuisse in sensibus? quae primum oculos membranis tenuissimis vestivit et saepsit: quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni posset, firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, si quid noceret, et aspectum quo vellent facile converterent, aciesque ipsa, qua cernimus, quae pupula vocatur, ita parva est, ut ea, quae nocere possint, facile vitet, palpebraeque, quae sunt tegmenta oculorum, mollissimae tactu, ne laederent aciem, aptissime factae et ad claudendas pupillas, ne quid incideret, et ad aperientes, idque providit, ut idemtidem fieri posset cum maxima celeritate. 143. Munitaeque sunt palpebrae tamquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, si quid incideret, repelletur, et somno conniventibus, quum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tamquam involuti quiescerent. Latent praeterea utiliter et excelsis undique partibus saepiuntur Primum enim superiora superciliis obducta sudorem a capite et a fronte defluentem repellunt. Genae deinde ab inferiore parte tutantur subiectae leniterque eminentes. Nasusque ita locatus est, ut quasi murus oculis interiectus esse videatur. 144. Auditus autem semper patet: eius enim sensu etiam dormientes egemus: a quo quum sonus est acceptus, etiam e somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret, proximum etiam, ut, si qua minima bestiola conaretur irrumperet, in sordibus aurium tamquam in visco inhaeresceret.

Extra autem eminent quae appellantur aures et tegendi causa factae tutandique sensus et ne adiectae voces laberentur atque errarent, prius quam sensus ab his pulsus esset. Sed duros et quasi corneolos habent introitus multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca et in fidibus testudine resonatur aut cornu et ex tortuosis locis et inclusis soni referuntur ampliores. 145. Similiter nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere, humoremque semper habent ad pulverem multaque alia depellenda non inutili. Gustatus praecipue saepitus est: ore enim continetur et ad usum apte et ad incolumitatis custodiam. Omnisque sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum. LVIII. Primum enim oculi in iis artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis fictis caelatisque formis, in corporum etiam motione atque gestu multa cernunt subtilius, colorum etiam et figurarum tum venustatem atque ordinem et, ut ita dicam, decentiam oculi iudicant, atque etiam alia maiora. Nam et virtutes et vitia cognoscunt: iratum propitium, laetantem dolentem, fortem ignavum, audacem timidumque cognoscunt. 146. Auriunque item est admirabile quoddam artificiosumque iudicium, quo iudicatur et in vocis et in tibiarum nervorumque cantibus varietas sonorum, intervalla, distinctio et vocis genera permulta: canorum fuscum, laeve asperum, grave acutum, flexible durum, quae hominum solum auribus iudicantur. Nariumque item et gustandi et parte tangendi magna iudicia sunt. Ad quos sensus capiendos et perfruendos plures etiam quam vellem artes repartae sunt. Perspicuum est enim quo compositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint. LIX. 147. Iam vero animum ipsum mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere. De quo dum disputem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam. Quo enim tu illa modo dices! quanta primum intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis coniunctio et comprehensio esset in nobis ex quo videlicet quid ex quibus

que rebus efficiatur idque ratione concludimus, singulasque res definimus circumscripteque complectimur, ex quo scientia intelligitur quam vim habeat, qualis sit, qua ne in deo quidem est res ulla praestantior. Quanta vero illa sunt, quae vos Academicci infirmatis et tollitis, quod et sensibus et animo ea, quae extra sunt, percipimus atque comprehendimus! 148. Ex quibus collatis inter se et comparatis artes quoque efficimus partim ad usum vitae, partim ad oblectationem necessarias. Iam vero domina rerum, ut vos soletis dicere, eloquendi vis quam est praeclera quam que divina! quae primum efficit ut et ea, quae ignoramus, discere et ea, quae scimus, alias docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos. hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasque extinguimus, haec nos iuris, legum, urbium societate devinxit, haec a vita immani et fera segregavit. 149. Ad usum autem orationis in credibile est, ubi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primum enim a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet, per quam vox principium a mente dicens percipitur et funditur. Deinde in ore sita lingua est finita dentibus. Ea vocem immoderate profusam fingit et terminat atque sonos vocis distinctos et pressos efficit, quum ad dentes et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus. LX. 150. Quam vero aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est admotione digitorum. Atque haec oblectationis, illa necessitatis, cultus dico agrorum exstructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel suta omnemque fabricam aeris et ferri: ex quo intelligitur ad inventa animo, percepta sensibus, exhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus.

151. Iam vero operibus hominum, id est, manibus cibi etiam varietas invenitur et copia. Nam et agri multa efferunt manu quaesita, quae vel statim consumantur vel mandentur condita vetustati, et praeterea vescimur bestiis et terrenis et aquatilibus et volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum veciones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis adfert vim et celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos iuga imponimus, nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur, nos e terrae cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam, nos aeris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus et ad usum aptas et ad ornatum decoras, arborum autem consectione omniq[ue] materia et culta et silvestri partim ad calfaciendum corpus igni exhibito et ad mitigandum cibum utimur, partim ad aedificandum, ut tectis saepti frigora caloresque pellamus. 152. Magnos vero usus adfert ad navigationem, quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiae, quasque res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum propter nauticarum rerum scientiam plurimisque maritimis rebus fruimur atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur, nostri sunt amnes, nostri lacus, nos fruges serimus, nos arbores, nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus, nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus, nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur.

LXI. 153. Quid vero? hominum ratio non in caelum usque penetravit? Soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus cursusque cognovimus, ab hominum genere finitus est dies, mensis, annus, defectiones solis et lunae cognitae praedictaeque in omne posterum tempus, quae, quantae, quando futurae sint. Quae contuens animus accipit ab his cognitionem deorum, e qua oritur pietas, cui coniuncta iustitia est reliquaeque virtutes, e quibus vita beata exsistit par et similis deorum, nulla alia re nisi immortalitate quae nihil ad bene vivendum pertinet, cedens

caelestibus. Quibus rebus expositis satis docuisse videor hominis natura quanto omnes anteiret animantes. Ex quo debet intelligi nec figuram situmque membrorum nec ingenii mentisque vim talem effici potuisse fortuna. 154. Restat ut doceam atque aliquando perorem omnia, quae sint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominum causa facta esse et parata.

LXII. Principio ipse mundus deorum hominumque causa factus est, quaeque in eo sunt, ea parata ad fructum hominum et inventa sunt. Est enim mundus quasi communis deorum atque hominum domus aut urbs utrorumque. Soli enim ratione utentes iure ac lege vivunt. Ut igitur Athenas et Lacedaemonem Atheniensium Lacedaemoniorumque causa putandum est conditas esse, omniaque, quae sint in his urbibus, eorum populorum recte esse dicuntur, sic quaecumque sunt in omni mundo deorum atque hominum putanda sunt. 155. Iam vero circumitus solis et lunae reliquorumque siderum, quamquam etiam ad mundi cohaerentiam pertinent, tamen et spectaculum hominibus praebent: nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior et ad rationem sollertiaque praestantior: eorum enim cursus dimetati maturitates temporum et varietates mutationesque cognovimus: quae si hominibus solis nota sunt, hominum causa facta esse iudicandum est. 156. Terra vero feta frugibus et vario leguminum genere, quae cum maxima largitate fundit, ea ferarumne an hominum causa gignere videtur? Quid de vitibus olivetisque dicam? quarum uberrimi laetissimumque fructus nihil omnino ad bestias pertinent. Neque enim serendi neque colendi nec tempestive demetendi percipiendi que fructus neque condendi ac reponendi ulla pecudum scientia est earumque omnium rerum hominum est et usus et cura. LXIII. 157. Ut fides igitur et tibias eorum causa factas dicendum est, qui illis uti possent, sic ea, quae diximus, iis solis confitendum est esse parata, qui utuntur, nec si quae bestiae furantur aliquid ex iis aut rapiunt, illarum quoque causa ea nata esse dicemus. Neque enim homines murum aut formicarum causa frumentum condunt, sed coniungum et liberorum et familiarum suarum. Itaque bestiae

furtim, ut dixi, fruuntur, domini palam et libere. 158. Hominum igitur causa eas rerum copias comparatas fatendum est, nisi forte tanta ubertas varietas pomorum eorumque iucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et aspectus dubitationem adfert quin hominibus solis ea natura donaverit. Tantumque abest ut haec bestiarum etiam causa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Quid enim oves aliud adferunt nisi ut earum villis confectis atque contextis homines vestiantur? Quae quidem neque ali neque sustentari neque ullum fructum edere ex se sine cultu hominum et curatione potuissent. Canum vero tam fida custodia tamque amans dominorum adulatio tantumque odium in externos et tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando quid significat aliud nisi se ad hominum commoditates esse generatos? 159. Quid de boibus loquar? quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendo figurata, cervices autem natae ad iugum, tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda. Quibus, quum terrae subigentur fissione glaebarum, ab illo aureo genere, ut poëtae loquuntur, vis nulla umquam adferebatur.

*Ferrea tum vero proles exorta repente est  
Ausaque funestum prima est fabricarier ensem  
Et gustare manu vincum dominumque iuvencum.*

Tanta putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur.

LXIV. Longum est mulorum persecui utilitates et asinorum, quae certe ad hominum usum paratae sunt. 160. Sus vero quid habet praeter escam? Cui quidem, ne putasceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. Qua pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius. Quid multitudinem suavitatemque piscium dicam, quid avium? ex quibus tanta percipitur voluptas, ut interdum Pronoea nostra Epicurea fuisse videatur. Atque hae ne caperentur quidem, nisi hominum ratione atque sollertia, quamquam aves quasdam et alites et osci

nes, ut nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus. 161. Iam vero immanes et feras beluas uanciscimur venando, ut et vescamur iis et exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae et utamur domitis et condocefactis, ut elephantis, multaque ex earum corporibus remedia morbis et vulneribus eligamus, sicut ex quibusdam stirpibus et herbis, quarum utilitates longinqui temporis usu et periclitacione percepimus. Totam licet animis tamquam oculis lustrare terram mariaque omnia: cernes iam spatia frugifera atque immensa camporum vestitusque densissimos montium, pecudum pastus, tum incredibili cursus maritimos celeritate. 162. Nec vero supra terram, sed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas, quae ad usum hominum orta ab hominibus solis invenitur.

LXV. Illud vero, quod uterque vestrum adripiet fortasse ad reprehendendum, Cotta, quia Carneades lubenter in Stoicos invehebatur, Velleius, quia nihil tam irridet Epicurus quam praedictionem rerum futurarum, mihi videtur vel maxime confirmare deorum providentia consuli rebus humanis. Est enim profecto divinatio, quae multis locis, rebus, temporibus apparet quum in privatis tum maxime publicis. 163. Multa cernunt haruspices, multa augures provident, multa oracis declarantur, multa vaticinacionibus, multa somniis, multa portentis, quibus cognitis multae saepe res hominum sententia atque utilitate partae, multa etiam pericula depulsa sunt. Haec igitur sive vis sive ars sive natura ad scientiam rerum futurarum homini profecto est nec alii cuiquam a dis immortalibus data. Quae si singula vos forte non movent, universa certe tamen inter se connexa atque coniuncta movere debebunt.

164. Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam singulis a dis immortalibus consuli et provideri solet. Licet enim contrahere universitatem generis humani eamque gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. LXVI. Nam si omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacumque in ora ac parte terrarum ab huiuscemde terrae,

quam nos incolimus, continuatione distantium, deos consulere censemus ob has causas, quas ante diximus, his quoque hominibus consulunt, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. 165. Sin autem iis consulunt, qui quasi magnam quamdam insulam incolunt, quam nos orbem terrae vocamus, etiam illis consulunt, qui partes eius insulae tenent, Europam, Asiam, Africam. Ergo et earum partes diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum et earum urbium separatim ab universis singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Coruncanum, primo Punico Calatinum, Duellium, Metellum, Lutatum, secundo Maximum, Marcellum, Africanum, post hos Paullum, Gracchum, Catonem, patrumve memoria Scipionem, Laelium, multosque praeterea et nostra civitas et Graecia tulit singulares viros, quorum neminem nisi iuvante deo tales fuisse credendum est. 166. Quae ratio poetas maximeque Homerum impulit, ut principibus heroum, Ulixi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos deos discriminum et periculorum comites adiungeret. Praeterea ipsorum deorum saepe praesentiae quales supra commemoravi, declarant ab his et civitatibus et singulis hominibus consuli: quod quidem intelligitur etiam significationibus rerum futurarum, quae tum dormientibus, tum vigilantibus portenduntur. Multa praeterea ostentis, multa etiam extis admonemur multisque rebus aliis, quas diurnus usus ita notavit, ut artem divinationis efficeret. 167. Nemo igitur vir magnus sine aliquo adflatu divino umquam fuit. Nec vero ita refellendum est, ut, si segetibus aut vinetis cuiuspiam tempestas nocuerit aut si quid e vitae commodis casus abstulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut invisum deo aut neglectum a deo iudicemus. Magna dicunt, parva negligunt. Magnis autem viris prospere [eveniunt] semper omnes res, si quidem satis a nostris et a principe philosophiae Socrate dictum est de ubertatibus virtutis et copiis.

LXVII. 168. Haec mihi fere in mentem veniebant quae dicenda putarem de natura deorum. Tu autem, Cotta, si me audias, eamdem causam agas teque et principem civem

et pontificem esse cogites et, quoniam in utramque partem vobis licet disputare, hanc potius sumas eamque facultatem disserendi, quam tibi a rhetoriciis exercitationibus acceptam amplificavit Academia, potius huc conferas. Mala enim et impia consuetudo est contra deos disputandi, sive ex animo id fit sive simulate.

M. TULLII CICERONIS  
DE NATURA DEORUM  
AD M. BRUTUM  
LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Hoc libro continetur Cottae Academicci contra Stoicam de dis rationem disputatio. Ea, ut superiore libro, in quattuor partes distributa est. Nam praemissio prooemio prima parte ille respondet cap. 3—7. §. 6—19. ad ea, quibus Balbus docere voluerat esse deos. Ac primo quidem ita, ut ostendat praeter rem argumentis eam partem rationis Stoicae confirmatam esse, si quidem verum sit, quod Stoici dicant, esse deos, nec egere oratione rem, quod sit perspicua, ut inter omnes de ea re constet, deinde agit de argomento a divinatione petitio, et Cleanthis et Chrysippi argumenta breviter reprehendit, quamquam ea pars non integra ad nos pervenit. Secunda parte cap. 8—25. §. 19—65. omnia ea impugnantur, quae de dis ipsis, quales essent, disputata erant. Itaque primo non ea argomenta solum dissolvit, quibus mundo, soli, lunae sideribusque divinitas vindicata erat, sed etiam ea opinio quam absurdia sit pluribus argumentis demonstrat: quorum facile primarium illud est, quo Carneades uti solebat contra Stoicos, nullum neque corpus neque animal, quod patibilem naturam habeat, immortale et aeternum esse posse, immortalitate autem et aeternitate sublata ipsam divinitatem tolli. Deinde poëticos deos et quos plebs superstitiosa venerabatur, σωματικαὶ ἐρωτήσει, quibus Carneades in hac disputatione uti solebat, aliisque argumentis tollit. Tertia autem pars disputationis cum partibus duabus quartae intercidit. Nam quarta disputationis Stoicae pars, quae deos providisse et consuluisse hominibus contendebat quatuor argumentis nitebatur, conf. argumentum

lib. II. extr.: horum secundo et quarto quae respondisse Cotta singitur, ea sola manserunt, cap. 26—40. §. 66—95. Ostendit enim primo, quibus rebus hominibus consuluisse di dicantur, eas plerasque, in primis rationem, ad hominum perniciem converti, summosque homines et virtutis amantissimos plerosque mala fortuna usos esse.

I. 1. Quae quum Balbus dixisset, tum adridens Cotta: Sero, inquit, mihi, Balbe, praecipis quid defendam. Ego enim te disputante quid contra dicerem mecum ipse meditabar, neque tam refellendi tui causa quam ea, quae minus intelligebam, requirendi. Quum autem suo cuique iudicio sit utendum, difficile factu est me id sentire, quod tu velis. 2. Hic Velleius: Nescis, inquit, quanta cum exspectatione, Cotta, sim te auditurus. Iucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit. Praebebo igitur me tibi vicissim attentum contra Stoicos auditorem. Spero enim te, ut soles, bene paratum venire. 3. Tum Cotta: Sic mehercule, inquit, Vellei. Neque enim mihi par ratio cum Lucilio est ac tecum fuit. Qui tandem? inquit ille. Quia mihi videatur Epicurus vester de dis immortalibus non magno opere pugnare: tantum modo negare deos esse non audet, ne quid invidiae subeat aut criminis. Quum vero deos nihil agere, nihil curare confirmat membrisque humanis esse praeditos, sed eorum membrorum usum habere nullum, ludere videtur satisque putare, si dixerit esse quamdam beatam naturam et aeternam. 4. A Balbo autem animadvertisisti credo, quam multa dicta sint quamque, etiam si minus vera, tamen apta inter se et cohaerentia. Itaque cogito, ut dixi, non tam refellere eius orationem quam ea, quae minus intellexi, requirere. Qua re, Balbe, tibi permitto responderene mihi malis de singulis rebus quaerenti ex te ea, quae parum accepi, an universam audire orationem meam. Tum Balbus: Ego vero, si quid explanari tibi voles, respondere malo: sin me interrogare non tam intelligendi causa quam refellendi, utrum voles faciam, vel ad singula, quae requires, statim respondebo vel, quum peroraris, ad omnia. 5. Tum Cotta: Optime, inquit. Quam ob rem sic agamus, ut nos ipsa ducit oratio. II. Sed ante quam de re, pauca de me Non enim mediocri' er moveor auctoritate tua, Balbe, ora-

tionequa ea, quae me in perorando cohortabatur, ut meminisse me et Cottam esse et pontificem. Quod eo, credo, valebat, ut opiniones, quas a maioribus accepimus de dis immortalibus, sacra, caerimonias religionesque defenderem. Ego vero eas defendam semper semperque defendi, nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius umquam oratio aut docti aut indocti movebit. Sed quum de religione agitur, Ti. Coruncanum, P. Scipionem, P. Scaevolam pontifices maximos, non Zenonem aut Cleanthem aut Chrysippum sequor habeoque C. Laelium augurem eundemque sapientem, quem potius audiam dicentem de religione in illa oratione nobili quam quemquam principem Stoicorum. Quumque omnis populi Romani religio in sacra et in auspicia divisa sit, tertium adiunctum sit, si quid praedictionis causa ex portentis et monstris Sibyllae interpres haruspicesve monuerunt, harum ego religionum nullam umquam contemnendam putavi mihi ita persuasi, Romulum auspicii, Numam sacris constitutis fundamenta iecisse nostrae civitatis, quae numquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset. Habet, Balbe, quid Cotta, quid pontifex sentiat: fac nunc ergo intelligam tu quid sentias. 6. A te enim philosopho rationem accipere debeo religionis, maioribus autem nostris etiam nulla ratione redditia credere. III. Tum Balbus: Quam igitur a me rationem, inquit, Cotta, desideras? Et ille: Quadripertita, inquit, fuit divisio tua, primum ut velles docere deos esse, deinde quales essent, tum ab iis mundum regi, postremo consulere eos rebus humanis. Haec, si recte memini, partitio fuit. Rectissime, inquit Balbus, sed exspecto quid requiras.

7. Tum Cotta: Primum quidque videamus, inquit: et, si id est primum, quod inter omnes nisi admodum impios convenit, mihi quidem ex animo exui non potest, esse deos. Id tamen ipsum, quod mihi persuasum est auctoritate maiorum, cur ita sit, nihil tu me doces. Quid est, inquit Balbus, si tibi persuasum est, cur a me velis discere? Tum Cotta: Quia sic adgredior, inquit, ad hanc disputationem, quasi nihil umquam audierim de dis immortalibus, nihil cogitave-

rim, rudem me et integrum discipulum accipe et ea, quae requiro, doce. 8. Dic igitur, inquit, quid requiras. Egone? pri-  
mum illud, cur, quod in ista partitione ne egere quidem ora-  
tione dixisses, quod esset perspicuum et inter omnes con-  
staret, de eo ipso tam multa dixeris. Quia te quoque, inquit,  
animadverti, Cotta, saepe, quum in foro diceres, quam pluri-  
mis posses argumentis onerare iudicem, si modo eam faculta-  
tem tibi daret causa. Atque hoc idem et philosophi faciunt  
et ego ut potui feci. Tu autem, qui id quaeris, similiter facis  
ac si me roges cur te duobus contuear oculis et non altero  
contuear, quum idem uno adsequi possim. IV. 9. Tum Cotta:  
Quam simile istud sit, inquit, tu videris. Nam ego neque in  
causis, si quid est evidens de quo inter omnes conveniat, ar-  
gumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione elevatur,  
nec, si id facerem in causis forensibus, idem facerem in hac  
subtilitate sermonis. Cur contuerere autem altero oculo  
causa non esset, quum idem obtutus esset amborum, et  
quum rerum natura, quam tu sapientem esse vis, duo lu-  
mina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisse.  
Sed quia non confidebas tam esse id perspicuum quam tu  
velles, propterea multis argumentis deos esse docere voluisti.  
Mihi enim unum sat erat ita nobis maiores nostros tradi-  
disse. Sed tu auctoritates contemnis, ratione pugnas. 10.  
Patere igitur rationem meam cum tua ratione contendere.  
Aduersa haec omnia argumenta cur di sint, remque mea sen-  
tentia minime dubiam argumentando dubiam facis. Mandavi  
enim memoriae non numerum solum, sed etiam ordinem  
argumentorum tuorum. Primum fuit, quum caelum suspe-  
xissemus, statim nos intelligere esse aliquod numen, quo  
haec regantur. Ex hoc illud etiam:

*Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes Iovem.*

11. Quasi vero quisquam nostrum istum potius quam Capi-  
tolinum Iovem appellat aut hoc perspicuum sit constetque  
inter omnes, eos esse deos, quos tibi Velleius multique  
praeterea ne animantes quidem esse concedant. Grave  
etiam argumentum tibi videbatur, quod opinio de dis im-  
mortalibus et omnium esset et cotidie cresceret. Placet igi-  
cic. IV. 2.

tur tantas res opinione stultorum iudicari, vobis praesertim, qui illos insanos esse dicatis? V. At enim praesentes videamus deos, ut apud Regillum Postumius, in Salaria Vatinius, nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram proelio. Quos igitur tu Tyndaridas appellabas, id est, homines homine natos, et quos Homerus, qui recens ab illorum aetate fuit, sepultos esse dicit Lacedaemone, eos tu cantheriis albis, nullis calonibus, ob viam Vatinio venisse existimas et victoriam populi Romani Vatinio potius homini rustico quam M. Catoni, qui tum erat princeps, nunciavisse? Ergo et illud in silice, quod hodie apparel apud Regillum tamquam vestigium ungulæ, Castoris equi credis esse? 12. Nonne mavis illud credere, quod probari potest, animos praeclarorum hominum, quales isti Tyndaridae fuerunt, divinos esse et aeternos quam eos, qui semel cremati essent, equitare et in acie pugnare potuisse? aut, si hoc fieri potuisse dicis, doceas oportet quo modo, nec fabellas aniles proferas. 13. Tum Lucilius: An tibi, inquit, fabellæ videntur? Nonne a Postumio aedem Castori et Polluci in foro dedicata m, nonne senatus consultum de Vatinio vides? Nam de Sagra Graecorum etiam est vulgare proverbium, qui quae affirmant certiora esse dicunt quam illa quae apud Sagram. His igitur auctoribus nonne debes moveri? Tum Cotta: Rumoribus, inquit, mecum pugnas, Balbe, ego autem a te rationes requiro. [Desunt non nulla.]

VI. 14. Sequuntur quae futura sunt. Effugere enim nemo id potest, quod futurum est. Saepe autem ne utile quidem est scire quid futurum sit: miserum est enim nihil proficien tem angri nec habere ne spei quidem extremum et tamen commune solacium, praesertim quum vos iidem fato fieri dicatis omnia, quod autem semper ex omni aeternitate verum fuerit, id esse fatum. Quid igitur iuvat aut quid adfert ad cavendum scire aliquid futurum, quum id certe futurum sit? Unde porro ista divinatio? Quis invenit fissum iecoris? quis cornicis cantum notavit, quis sortes? quibus ego credo, nec possum Atti Navii, quem commemorabas, litum contemnere. Sed qui ista intellecta sint a philosophis debo di scere, praesertim quum plurimis de rebus divini isti men-

tiantur. 15. At medici quoque — ita enim dicebas — saepe falluntur. Quid simile medicina, cuius ego rationem video, et divinatio, quae unde oriatur non intelligo? Tu autem etiam Deciorum devotionibus placatos deos esse censes. Quae fuit eorum tanta iniquitas, ut placari populo Romano non possent, nisi viri tales occidissent? Consilium illud imperatorum fuit, quod Graeci στρατήγης appellant, sed eorum imperatorum, qui patriae consulerent, vitae non parcerent: rebantur enim fore ut exercitus imperatorem equo incitato se in hostem immittentem persequeretur, id quod evenit. Nam Fauni vocem equidem numquam audivi: tibi, si audivisse te dicis, credam, etsi Faunus omnino quid sit nescio. VII. Non igitur adhuc, quantum quidem in te est, Balbe, intelligo deos esse, quos equidem credo esse, sed nihil docent Stoici. 16. Nam Cleanthes, ut dicebas, quatuor modis formatas in animis hominum putat deorum esse notiones. Unus is modus est, de quo satis dixi, qui est susceptus ex praesensione rerum futurarum. Alter ex perturbationibus tempestatum et reliquis motibus. Tertius ex commoditate rerum, quas percipimus, et copia. Quartus ex astrorum ordine caelestis constantia. De praesensione diximus. De perturbationibus caelestibus et maritimis et terrenis non possumus dicere, quum ea fiant, non esse multos qui illa metuant et a dis immortalibus fieri existiment. 17. Sed non id quaeritur, sintne aliqui qui deos esse putent, di utrum sint neene sint quaeritur. Nam reliquæ causæ, quas Cleanthes adfert, quarum una est de commodorum, quae capimus, copia, altera de temporum ordine caelestis constantia, tum tractabuntur a nobis, quum disputabimus de providentia deorum, de qua plurima a te, Balbe, dicta sunt, 18. eodemque illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas, quoniam esset aliquid in rerum natura quod ab homine effici non posset, esse homine aliquid melius, quaeque in domo pulera cum pulcritudine mundi comparabas, et quum totius mundi convenientiam consensumque adferebas, Zenonisque breves et acutulas conclusiones in eam partem sermonis, quam modo dixi, differemus, eodemque tempore illa omnia, quae a te physice dicta sunt de vi ignea deque eo calore, ex

quo omnia generari dicebas, loco suo quaerentur, omniaque, quae a te nudius tertius dicta sunt, quum docere velles deos esse, qua re et mundus universus et sol et luna et stellae sensum ac mentem haberent, in idem tempus reservabo. 19. A te autem idem illud etiam atque etiam quae ram, quibus rationibus tibi persuadeas deos esse. VIII. Tum Balbus: Evidem attulisse rationes mihi videor, sed eas tu ita refellis, ut, quum me interrogaturus esse videare et ego me ad respondendum compararim, repente avertas orationem nec des respondendi locum. Itaque maximae res tacitae praeterierunt, de divinatione, de fato, quibus de quæstionibus tu quidem strictim, nostri autem multa solent dicere, sed ab hac ea quæstione, quae nunc in manibus est, separantur. Qua re, si videtur, noli agere confuse, ut hoc explicemus hac disputatione, quod quaeritur.

20. Optime, inquit Cotta. Itaque quoniam quattuor in partes totam quæstionem divisisti de primaque diximus, consideremus secundam: quae mihi talis videtur fuisse, ut, quum ostendere velles quales di essent, ostenderes nullos esse. A consuetudine enim oculorum animum abducere difficultimum dicebas, sed, quum deo nihil præstantius esset, non dubitabas quin mundus esset deus, quo nihil in rerum natura melius esset: modo possemus eum animantem cogitare vel potius ut caetera oculis, sic animo hoc cernere. 21. Sed quum mundo negas quidquam esse melius, quid dicas melius? Si pulcrius, adsentior: si aptius ad utilitates nostras, id quoque adsentior: sin autem id dicas, nihil esse mundo sapientius, nullo modo prorsus adsentior, non quod difficile sit mentem ab oculis sevocare, sed quo magis sevoco, eo minus id, quod tu vis, possum mente comprehendere.

IX. Nihil est mundo melius in rerum natura: ne in terris quidem urbe nostra. Num igitur idecirco in urbe esse rationem, cogitationem, mentem putas? aut, quoniam non sit, num idecirco existimas formicam anteponendam esse huic pulcherrimae urbi, quod in urbe sensus sit nullus, in formica non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria? Videre oportet, Balbe, quid tibi concedatur, non te ipsum

quod velis sumere. 22. Istum enim locum totum illa vetus Zenonis brevis et, ut tibi videbatur, acuta conclusio dilatavit. Zeno enim ita concludit: 'Quod ratione utitur, id melius est quam id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur.' 23. Hoc si placet, iam efficies ut mundus optime librum legere videatur. Zenonis enim vestigiis hoc modo rationem poteris concludere: 'Quod litteratum est, id est melius quam quod non est litteratum: nihil autem mundo melius: litteratus igitur est mundus.' Isto modo etiam disertus et quidem mathematicus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus. Saepe dixti nihil fieri sine deo nec ullam vim esse naturae, ut sui dissimilia posset effingere. Concedam non modo animantem et sapientem esse mundum, sed fidicinem etiam et tubicinem, quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur? Nihil igitur adfert pater iste Stoicorum qua re mundum ratione uti putemus, ne cur animantem quidem esse. Non est igitur mundus deus, et tamen nihil est eo melius: nihil est enim eo pulcrius, nihil salutarior nobis, nihil ornatus aspectu motuque constantius. Quod si mundus universus non est deus, ne stellae quidem, quas tu innumerabiles in deorum numero reponebas, quarum te cursus aequabiles aeternique delectabant, nec mehercule iniuria: sunt enim admirabili incredibilique constantia. 24. Sed non omnia, Balbe, quae cursus certos et constantes habent, ea deo potius tribuenda sunt quam naturae. X. Quid Chalcidico Euripo in motu idemtidem reciprocando putas fieri posse constantius? quid freto Siciliensi, quid Oceani fervore illis in locis,

*Europam Libyamque rapax ubi dividit unda?*

Quid? aestus maritimi vel Hispanienses vel Britannici eorumque certis temporibus vel accessus vel recessus sine deo fieri nonne possunt? Vide, queso, si omnes motus omniaque, quae certis temporibus ordinem suum conservant, divina dicimus, ne tertianas item febres et quartanas divinas esse dicendum sit, quarum reversione et motu quid potest esse constantius? Sed omnium talium rerum ratio

reddenda est. 25. Quod vos quum facere non potestis, tamquam in aram confugitis ad deum.

Et Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versatus et callidus — versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur, callidos autem, quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluit —: is igitur: 'si aliquid est' inquit 'quod homo efficere non possit, qui id efficit, melior est homine. Homo autem haec, quae in mundo sunt, efficere non potest: qui potuit igitur, is praestat homini. Homini autem praestare quis possit nisi deus? Est igitur deus.' Haec omnia in eodem quo illa Zenonis errore versantur. 26. Quid enim sit melius, quid praestabilius, quid inter naturam et rationem intersit non distinguitur. Idemque, si dei non sint, negat esse in omni natura quidquam homine melius, id autem putare quemquam hominem, nihil homine esse melius, summae adrogantiae censet esse. Sit sane adrogantis pluris se putare quam mundum. At illud non modo non adrogantis, sed potius prudentis, intelligere se habere sensum et rationem: haec eadem Orionem et Caniculam non habere. Et: 'si domus pulchra sit, intelligamus eam dominis' inquit 'aedificatam esse, non muri bus: sic igitur mundum deorum domum existimare debemus.' Ita prorsus existimarem, si illum aedificatum esse, non, quem ad modum docebo, a natura conformatum putarem.

XI. 27. At enim quaerit apud Xenophontem Socrates unde animum adripuerimus, si nullus fuerit in mundo. Et ego quaero unde orationem, unde numeros, unde cantus. Nisi vero loqui solem cum luna putamus, quum proprius accesserit, aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. Naturae ista sunt, Balbe, naturae non artificiose ambulantis, ut ait Zeno, quod quidem quale sit iam videbimus, sed omnia carent et agitantis motibus et mutationibus suis. 28. Itaque illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturae, quam quasi cognatione continuatam conspirare dicebas. Illud non probabam, quod negabas id accidere potuisse, nisi ea uno divino spiritu contineretur. Illa vero cohaeret et permanet naturae viribus, non deorum, estque in ea iste quasi consensus, quam συμπάθειαν Graeci

vocant, sed ea, quo sua sponte maior est, eo minus divina ratione fieri existimanda est.

XII. 29. Illa autem, quae Carneades adferebat, quem ad modum dissolvitis? Si nullum corpus immortale sit, nullum esse corpus sempiternum: corpus autem immortale nullum esse, ne individuum quidem nec quod dirimi distrahre non possit. Quumque omne animal patibilem naturam habeat, nullum est eorum quod effugiat accipiendo aliquid extrinsecus, id est, quasi ferendi et patiënti necessitatem, et, si omne animal tale est, immortale nullum est. Ergo itidem, si omne animal secari ac dividii potest, nullum est eorum individuum, nullum aeternum. Atqui omne animal ad accipendam vim externam et ferundam paratum est: mortale igitur omne animal et dissolubile et dividuum sit necesse est 30. Ut enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum, quod commutari non posset, item nihil argenteum, nihil aeneum, si commutabilis esset natura argenti et aeris: similiter igitur, si omnia, quae sunt, e quibus cuncta constant, mutabilia sunt, nullum corpus esse potest non mutabile: mutabilia autem sunt illa, ex quibus omnia constant, ut vobis videtur: omne igitur corpus mutabile est. At si esset corpus aliquod immortale, non esset omne mutabile: ita efficitur ut omne corpus mortale sit. Etenim omne corpus aqua aut aëris aut ignis aut terra est aut id, quod est concretum ex his aut ex aliqua parte eorum. Horum autem nihil est quin intereat. 31. Nam et terrenum omne dividitur et humor ita mollis est, ut facile comprimi collidique possit, ignis vero et aëris omni impulsu facilissime pellitur naturaque cedens est maxime et dissipabilis. Praeterea omnia haec tum intereunt, quum in naturam aliam convertuntur, quod fit, quum terra in aquam se vertit et quum ex aqua oritur aëris et quum ex aëre aether quumque eadem vicissim retro comitant. Quod si ea intereunt, ex quibus constat omne animal, nullum est animal sempiternum. XIII. 32. Et, ut haec omittamus, tamen animal nullum inveniri potest, quod neque natum umquam sit et semper sit futurum. Omne enim animal sensus habet. Sentit igitur et calida et frigida et dulcia et amara nec potest ullo sensu iucunda accipere et non

accipere contraria. Si igitur voluptatis sensum capit, doloris etiam capit. Quod autem dolorem accipit, id accipiat etiam interitum necesse est. Omne igitur animal confidendum est esse mortale. 33. Praeterea, si quid est quod nec voluptatem sentiat nec dolorem, id animal esse non potest: sin autem, quod animal est, id illa necesse est sentiat, et quod ea sentiat, non potest esse aeternum, et omne animal sentit: nullum igitur animal aeternum est. Praeterea nullum potest esse animal in quo non et appetitio sit et declinatio naturalis. Appetuntur autem quae secundum naturam sunt, declinantur contraria, et omne animal appetit quaedam et fugit a quibusdam. Quod autem refugit, id contra naturam est, et quod est contra naturam, id habet vim interimendi: omne ergo animal intereat necesse est. 34. Innumerabilia sunt, ex quibus effici cogique possit nihil esse quod sensum habeat quin id intereat: etenim ea ipsa, quae sentiuntur, ut frigus, calor ut voluptas, dolor, ut caetera, quum amplificata sunt, intermunt, nec ullum animal est sine sensu: nullum igitur animal aeternum est. XIV. Etenim aut simplex est natura animantis, ut vel terrena sit vel ignea vel animalis vel humida, quod quale sit ne intelligi quidem potest, aut concretum est ex pluribus naturis, quarum suum quaeque locum habeat, quo naturae vi feratur, alia infimum, alia summum, alia medium. Haec ad quoddam tempus cohaerere possunt, semper autem nullo modo possunt: necesse est enim in suum quaeque locum natura rapiatur. Nullum igitur animal est sempiternum.

35. Sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneum vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes, quem ipsum non omnes interpretantur uno modo, qui quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus, vos autem ita dicitis, omnem vim esse ignem, itaque et animantes, quum calor defecerit, tum interire et in omni natura rerum id vivere, id vigere, quod caleat. Ego autem non intelligo quo modo calore extincto corpora intereant, non intereant humore aut spiritu amissio, praesertim quum intereant etiam nimio calore. 36. Quam Job rem id quidem commune est de calido: verum tamen videamus exitum. Ita vultis, opinor, nihil esse animal et sentiens in natura atque mundo praeter ignem. Qui magis quam praeter

animam, unde animantium quoque constet animus, ex quo animal dicitur? Quo modo autem hoc quasi concedatur summis, nihil esse animum nisi ignem? probabilius enim videtur tale quiddam esse animum, ut sit ex igni atque anima temperatum. Quod si ignis ex sese ipse animal est nulla se alia admisceatur natura, quoniam is, quum inest in corporibus nostris, efficit ut sentiamus, non potest ipse esse sine sensu. Rursus eadem dici possunt: quidquid est enim quod sensum habeat, id necesse est sentiat et voluptatem et dolorem: ad quem autem dolor veniat, ad eundem etiam interitum venire. Ita fit ut ne ignem quidem efficere possitis aeternum. 37. Quid enim? non eisdem vobis placet omnem ignem pastus indigere nec permanere ullo modo posse, nisi alatur: ali autem solem, lunam, reliqua astra aquis, alia dulcibus, alia marinis? eamque causam Cleanthes adserit cur se sol referat nec longius progrederi solstitiali orbi itemque brumali, ne longius discedat a cibo. Hoc totum quale sit mox: nunc autem concludatur illud, quod interire possit, id aeternum non esse natura: ignem autem interitum esse, nisi alatur: non esse igitur natura ignem sempiternum.

XV. 38. Qualem autem deum intelligere nos possumus nulla virtute praeditum? Quid enim? prudentiamne deo tribuemus, quae constat ex scientia rerum bonarum et malorum et nec bonarum nec malarum? Cui mali nihil est nec esse potest, quid huic opus est delectu bonorum et malorum? quid autem ratione? quid intelligentia? quibus utimur ad eam rem, ut apertis obscura adsequamur: at obscurum deo nihil potest esse. Nam iustitia, quae suum cuique distribuit, quid pertinet ad deos? Hominum enim societas et communitas, ut vos dicitis, iustitiam procreavit. Temperantia autem constat ex praeermittendis voluptatibus corporis, cui si locus in caelo est, est etiam voluptatibus. Nam fortis deus intelligi qui potest in dolore an in labore an in periculo, quorum deum nihil attingit? 39. Nec ratione igitur utentem nec virtute ulla praeditum deum intelligere qui possumus? Nec vero vulgi atque imperitorum inscitiam despicere possum, quum ea considero, quae dicuntur a Stoicis: sunt enim illa imperitorum: pisces Syri venerantur, omne fere genus bestiarum

Aegyptii consecraverunt. Iam vero in Graecia multos habent ex hominibus deos: Alabandum Alabandi, Tenedii Tenetum, Leucotheam, quae fuit Ino, et eius Palaemonem filium cuncta Graecia, Herculem, Aesculapium, Tyndaridas: Romulum nostri aliosque complures, quos quasi novos et ascripticos cives in caelum receptos putant. XVI. 40. Haec igitur indocti. Quid vos philosophi? qui meliora? Omitto illa: sunt enim paeclarata. Sit sane deus ipse mundus. Hoc credo illud esse

*sublimen candens, quem invocant omnes Iovem.*

Quare igitur plures adiungimus deos? quanta autem est eorum multitudo! Mihi quidem sane multi videntur. Singulas enim stellas numeras deos eosque aut beluarum nomine appellas, ut Capram, ut Nepam, ut Taurum, ut Leonem, aut rerum inanimatorum, ut Argo, ut Aram, ut Coronam. 41. Sed ut haec concedantur, reliqua qui tandem non modo concedi, sed omnino intelligi possunt? Quum fruges Cererem, vinum Liberum dicimus, genere nos quidem sermonis utimur usitato, sed ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, deum credit esse? Nam quos ab hominibus pervenisse dicis ad deos, tu redde rationem quem ad modum id fieri potuerit aut cur fieri desierit, et ego discam lubenter. Quo modo nunc quidem est, non video quo pacto ille, cui 'in monte Oetaeo illatae lampades fuerint', ut ait Accius. 'in domum aeternam patris' ex illo ardore pervenerit: quem tamen Homerus apud inferos conveniri facit ab Ulyse, sicut caeteros, qui excesserant vita. 42. Quamquam quem potissimum Herculem colamus scire sane velim: plures enim tradunt nobis ii, qui interiores scrutantur et reconditas litteras: antiquissimum Iove natum, sed item Iove antiquissimo. Nam Ioves quoque plures in prisca Graecorum litteris invenimus. Ex eo igitur et Lysithoë est is Hercules, quem concertavisse cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Aegyptius, quem aiunt Phrygias litteras conscripsisse. Tertius est ex Idaeis Digitis, cui inferias adferunt. Quartus Iovis est et Asteriae, Latonae sororis, qui Tyri maxime colitur, cuius Karthaginem filiam ferunt. Quintus in

India, qui Belus dicitur. Sextus hic, ex Alcmena quem Iuppiter genuit, sed tertius Iuppiter, quoniam, ut iam docebo, plures Ioves etiam accepimus.

XVII. 43. Quando enim me in hunc locum deducit oratio, docebo meliora me didicisse de colendis dis immortalibus iure pontificio et more maiorum capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum. Si enim vos sequar, dic quid ei respondeam, qui me sic roget: Si di sunt, suntne etiam Nymphae deae? si Nymphae, Panisci etiam et Satyri? Hi autem non sunt: ne Nymphae deae quidem igitur? At earum tempora sunt publice vota et dedicata. Quid igitur? ne caeteri quidem ergo di, quorum tempora sunt dedicata? Age porro: Iovem et Neptunum [deum] numeras: ergo etiam Orcus, frater eorum, deus, et illi, qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, Cocytus, Styx, Pyriphlegethon, tum Charon, tum Cerberus di putandi. 44. At id quidem repudiandum. Ne Orcus quidem igitur? Quid dicitis ergo de fratribus? Haec Carneades aiebat, non ut deos tolleret — quid enim philosopho minus conveniens? —, sed ut Stoicos nihil de dis explicare convinceret. Itaque insequebatur. Quid enim aiebat? si ii fratres sunt in numero deorum, num de patre eorum Saturno id negari potest, quem vulgo maxime colunt ad occidentem? Qui si est deus, patrem quoque eius Caelum esse deum confitendum est. Quod si ita est, Caeli quoque parentes di habendi sunt, Aether et Dies eorumque fratres et sorores, qui a genealogis antiquis sic nominantur, Amor, Dolor, Metus, Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebrae, Miseria, Querela, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcae, Hesperides, Somnia, quos omnes Erebo et Nocte natos ferunt. Aut igitur haec monstra probanda sunt aut prima illa tollenda. XVIII. 45. Quid? Apollinem, Vulcanum, Mercurium, caeteros, deos esse dices: de Hercule, Aesculapio, Libero, Castore, Polluce dubitabis? At hi quidem coluntur aequae atque illi, apud quosdam etiam multo magis. Ergo hi di sunt habendi mortalibus nati fratribus? Quid? Aristaeus, qui olivae dicitur inventor, Apollinis filius, Theseus, qui Neptuni, reliqui, quorum patres

di, non erunt in deorum numero? Quid, quorum matres? Opinor, etiam magis. Ut enim iure civili qui est matre libera liber est, item iure naturae, qui dea matre est, deus sit necesse est. Itaque Achillem Astypalaenses insulani sanctissime colunt: qui si deus est, et Orpheus et Rhesus di sunt Musa matre nati, nisi forte maritimae nuptiae terrenis anteponuntur. Si hi di non sunt, quia nusquam coluntur, quo modo illi sunt? 46. Vide igitur ne virtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalitatibus: quod tu quoque, Balbe, visus es dicere. Quo modo autem potes, si Latonam deam putas, Hecatam non putare, quae matre Asteria est sorore Latonae? An haec quoque dea est? Vidimus enim eius aras delubraque in Graecia: sin haec dea est, cur non Eumenides? Quae si deae sunt quarum et Athenis fanum est et apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinae, Furiae deae sunt, speculatrices, credo, et vindices facinorum et sceleris. 47. Quod si tales di sunt, ut rebus humanis intersint, Nascio quoque dea putanda est, cui quum fana circumimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus: quae quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Nascio nominata est. Ea si dea est, di omnes illi, qui commemorabantur a te, Honos, Fides, Mens, Concordia: ergo etiam Spes, Moneta omniaque, quae cogitatione nobismet ipsi possumus fingere. Quod si veri simile non est, ne illud quidem est, haec unde fluxerunt. XIX. Quid autem dicis, si di sunt illi, quos colimus et accepimus, cur non eodem in genere Serapim Isimque numeremus? quod si facimus, cur barbarorum deos repudiemus? Boves igitur et equos, ibes, accipitres, aspidas, crocodilos, pisces, canes, lupos, feles, multas praeterea beluas in deorum numero reponemus. Quae si reiciamus, illa quoque, unde haec nata sunt, reiiciemus. 48. Quid deinde? Ino dea dicetur, quae Λευκοθέα a Graecis, a nobis Matuta dicitur, quum sit Cadmi filia, Circe autem et Pasiphaë e Perseide Oceani filia natae, patre Sole, in deorum numero non habebuntur? Quamquam Circe quoque coloni nostri Circeenses religiose colunt. Ergo hanc deam dicis? quid Medeac respondebis, quae duabus avis, Sole et Oceano Aeeta

patre, matre Idyia procreata est? quid huius Absyrti fratri, qui est apud Pacuvium Aegialeus? sed illud nomen veterum litteris usitatus. Qui si di non sunt, vereor quid agat Ino. haec enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. 49. An Amphiaraus erit deus et Trophonius? Nostri quidem publicani, quum essent agri in Boeotia deorum immortalium excepti lege censoria, negabant immortales esse ullos qui aliquando homines fuissent. Sed si sunt hi di, est certe Erechtheus, cuius Athenis et delubrum vidimus et sacerdotem. Quem si deum facimus, quid aut de Codro dubitare possumus aut de caeteris, qui pugnantes pro patriae libertate ceciderunt? quod si probabile non est, ne illa quidem superiora, unde haec manant, probanda sunt. 50. Atque in plerisque civitatibus intelligi potest augendae virtutis gratia, quo lubentius rei publicae causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. Ob eam enim ipsam causam Erechtheus Athenis filiaeque eius in numero deorum sunt. Itemque Leontidum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur. Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, a quo est urbs illa condita, quam quemquam nobilium deorum, apud quos non inurbane Stratonicus, ut multa, quum quidam ei molestus Alabandum deum esse confirmaret, Herculem negaret: 'Ergo' inquit 'mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus!' XX. 51. Illa autem, Balbe, quae tu a caelo astrisque ducebas, quam longe serpent non vides? Solem deum esse Lunamque, quorum alterum Apollinem Graeci, alteram Dianam putant. Quod si Luna dea est, ergo etiam Lucifer caeteraeque errantes numerum deorum obtinebunt: igitur etiam inerrantes. Cur autem Arci species non in deorum numero reponatur? Est enim pulcher: + et ob eam causam, quia speciem habeat admirabilem, Thaumante dicitur esse nata: cuius si divina natura est, quid facies nubibus? Arcus enim ipse ex nubibus efficitur quodam modo coloratis: quarum una etiam Centauros peperisse dicitur. Quod si nubes rettuleris in deos, referendae certe erunt tempestates, quae populi Romani ritibus consecratae sunt. Ergo imbres, nimbi, procellae, turbines di putandi. Nostri qui-

dem duces, mare ingredientes, immolare hostiam fluctibus consuerunt. 52. Iam si est Ceres a gerendo — ita enim dicebas —, terra ipsa dea est et ita habetur: quae est enim alia Tellus? Si terra, mare etiam, quem Neptunum esse dicebas: ergo et flumina et fontes. Itaque et Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit et in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anionem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus. Ergo hoc aut in immensum serpet aut nihil horum recipiemus nec illa infinita ratio superstitionis probabitur. Nihil ergo horum probandum est.

XXI. 53. Dicamus igitur, Balbe, oportet contra illos etiam, qui hos deos ex hominum genere in caelum translatos non re, sed opinione esse dicunt, quos auguste omnes sancteque veneramur. Principio Ioves tres numerant ii, qui theologi nominantur, ex quibus primum et secundum natos in Arcadia, alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt et Liberum, alterum patre Caelo, qui genuisse Minervam dicitur, quam principem et inventricem belli ferunt, tertium Cretensem, Saturni filium, cuius in illa insula sepulerum ostenditur. Διόσκουροι etiam apud Graios multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex rege Iove antiquissimo et Proserpina nati, Tritopatores, Zagreus, Eubuleus, Dionysus, secundi [duo], Iove tertio nati et Leda, Castor et Pollux, tertii dicuntur a non nullis Alco et Melampus et Tmolus, Atrei filii, qui Penelope natus fuit. 54. Iam Musae primae quattuor natae Iove altero et..., Thelxinoë, Aoede, Arche, Melete, secundae Iove tertio et Mnemosyne procreatae, novem, tertiae Piero natae et Antiopa, quas Pieridas et Pierias solent poëtae appellare, iisdem nominibus, eodem numero, quo proxime superiores. Quumque tu Solem, quia solus esset, appellatum esse dicas, Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur! Unus eorum Iove natus, nepos Aetheris, alter Hyperione, tertius Vulcano, Nili filio, cuius urbem Aegyptii volunt esse eam, quae Heliopolis appellatur, quartus is, quem heroicis temporibus Acantho Rhodi peperisse dicitur, ... Ialysi, Camiri, Lindi, quintus, qui Colchis fertur Aeetam et Circam procreavisse.

XXII. 55. Vulcani item complures, primus Caelo natus, ex quo et Minerva Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt, secundus Nilo natus, Phthas, ut Aegyptii appellant, quem custodem esse Aegypti volunt, tertius ex tertio Iove et Iunone, qui Lemni fabricae traditur praefuisse, quartus Menalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quae Vulcaniae nominabantur. 56. Mercurius unus Caelo patre, Die matre natus, cuius obscoenius excitata natura traditur, quod aspectu Proserpinae commotus sit, alter Valentis et Coronidis filius, is qui sub terris habetur idem Trophonius, tertius Iove tertio natus et Maia, ex quo et Penelopa Pana natum ferunt, quartus Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare, quintus, quem colunt Pheneatae, qui Argum dicitur interemisse ob eamque causam Aegyptum profugisse atque Aegyptiis leges et litteras tradidisse. Hunc Aegyptii Thoth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur. 57. Aesculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt, qui specillum invenisse primusque vulnus dicitur obligavisse, secundus secundi Mercurii frater: is fulmine percussus dicitur humatus esse Cynosuris, tertius Arsippi et Arsinoae, qui primus purgationem alvi dentisque evulsionem, ut ferunt, invenit, cuius in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulcrum et locus ostenditur. XXIII. Apollinum antiquissimus is, quem paullo ante Vulcano natum esse dixi custodem Athenarum, alter Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa insula cum Iove ipso certamen fuisse traditur, tertius Iove tertio natus et Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse, quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse. 58. Diana item plures: prima Iovis et Proserpinae, quae pinnatum Cupidinem genuisse dicitur, secunda notior, quam Iove tertio et Latona natam accepimus, tertiae pater Upis traditur, Glauce mater. Eam Graeci saepe Upim paterno nomine appellant. Dionysos multos habemus: prium Iove et Proserpina natum, secundum Nilo, qui Nysam dicitur condidisse, tertium Cabiro patre, eumque regem Asiae praefuisse dicunt, cui Sabazia sunt instituta, quartum

Iove et Luna, cui sacra Orphica putantur confici, quintum Niso natum et Thyone, a quo Trieterides constitutae putantur. 59. Venus prima Caelo et Die nata, cuius Elide delubrum vidimus, altera spuma procreata, ex qua et Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus, tertia Iove nata et Diana, quae nupsit Vulcano, sed ex ea et Marte natus Anteros dicitur, quarta Syria Cyproque concepta, quae Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse proditum est. Minerva prima, quam Apollinis matrem supra diximus, secunda orta Nilo, quam Aegyptii Saïtae colunt, tertia illa, quam Iove generatam supra diximus, quarta Iove nata et Coryphe, Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant et quadrigarum inventricem ferunt, quinta Pallantis, quae patrem dicunt interemisse virginitatem suam violare conantem, cui pinnarum talaria adfigunt. 60. Cupido primus Mercurio et Diana prima natus dicitur, secundus Mercurio et Venere secunda, tertius, qui idem est Anteros, Marte et Venere tertia. Atque haec quidem et eius modi ex vetere Graeciae fama collecta sunt, quibus intelligis resistendum esse, ne perturbentur religiones. Vestri autem non modo haec non refellunt, verum etiam confirmant interpretando quorsum quidque pertineat. Sed eo iam, unde huc degressi sumus, revertamur.

XXIV. 61. Num censes igitur subtiliore ratione opus esse ad haec refellenda? Nam mentem, fidem, spem, virtutem, honorem, victoriam, salutem, concordiam caeteraque huius modi rerum vim habere videmus, non deorum. Aut enim in nobis metu insunt ipsis, ut mens, ut fides, ut spes, ut virtus, ut concordia, aut optandae nobis sunt, ut honos, ut salus, ut Victoria: quarum rerum utilitatem video, video etiam consecrata simulacula: qua re autem in his vis deorum insit tum intelligam, quum cognovero. Quo in genere vel maxime est Fortuna numeranda, quam nemo ab inconstancia et temeritate seiunget, quae digna certe non sunt deo. 62. Iam vero quid vos illa delectat explicatio fabularum et enodatio nominum? Exsectum a filio Caelum, vinctum itidem a filio Saturnum: haec et alia generis eiusdem vos ita defenditis, ut ii, qui ista finixerunt, non modo non insani,

sed etiam suis sapientes videantur. In enodandis autem nominibus quod miserandum sit laboratis. Saturnus, quia se saturat annis, Mavors, quia magna vertit, Minerva, quia minuit aut quia minatur, Venus, quia venit ad omnia, Ceres a gerendo. Quam periculosa consuetudo! In multis enim nominibus haerebitis. Quid Veiovi facies, quid Vulcano? quamquam, quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen quod non possis una littera explicare unde ductum sit. In quo quidem magis tu mihi naturae visus es quam ipse Neptunus. 63. Magnam molestiam suscepit et minime necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commentiarum fabularum reddere rationem, vocabulorum cur quidque ita appellatum sit causas explicare. Quod quum facitis, illud profecto confitemini, longe aliter se rem habere atque hominum opinio sit: eos enim, qui di appellantur, rerum naturas esse, non figuram deorum. XXV. Qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non modo nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constiuerentur. Febris enim fanum in Palatio et Orbonae ad aedem Larum et aram Malae Fortunae Exquiliis consecratam videmus. 64. Omnis igitur talis a philosophis pellatur error, ut, quum de dis immortalibus disputemus, dicamus digna dis immortalibus, de quibus habeo ipse quod sentiam, non habeo autem quod tibi adsentiar. Neptunum esse dicis animum cum intelligentia per mare pertinentem, idem de Cerere. Istam autem intelligentiam aut maris aut terrae non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. Itaque aliunde mihi quaerendum est, ut et esse deos et quales sint di discere possim, quam quales tu eos esse vis.

65. Videamus ea, quae sequuntur, primum deorumne providentia mundus regatur, deinde consulantne rebus humanis. Haec enim mihi ex tua partitione restant duo. De quibus, si vobis videtur, accuratius disserendum puto. Mihi vero, inquit Velleius, valde videtur: nam et maiora expecto et his, quae dicta sunt, vehementer adsentior. Tum Balbus: Interpellare te, inquit, Cotta, nolo, sed sumemus tempus aliud: efficiam profecto ut fateare. Sed....

[*Multa desunt.*]

*Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio.*

*Nam ut ego illis supplicarem tanta blandiloquentia?  
Quam ob rem?*

XXVI. 66. Parumne ratiocinari videtur et sibi ipsa nefariam pestem machinari? Illud vero quam callida ratione!

*Qui volt esse quod volt, ita dat se res, ut operam dabit.*

Qui est versus omnium seminator malorum.

*Ille traversa mente mi hodie tradidit repagula,  
Quibus ego iram omnem recludam atque illi perniciem dabo,  
Mihi maerores, illi luctum, exitium illi, exsilium mihi.*

Hanc videlicet rationem, quam vos divino beneficio homini solum tributam dicitis, bestiae non habent. 67. Videsne igitur quanto munere deorum simus adfecti? Atque eadem Medea patrem patriamque fugiens:

*postquam pater*

*Appropinquat iamque paene ut comprehendatur parat,  
Puerum interea obruncat membraque articulatum dividit,  
Perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia,  
Ut, dum nati dissupatos artus captaret parens,  
Ipsa interea effugeret, illum ut maeror tardaret sequi,  
Sibi salutem ut familiari pareret parricidio.*

68. Huic ut scelus, sic ne ratio quidem defuit. Quid? ille funestas epulas fratri comparans nonne versat hic et illuc cogitatione rationem?

*Maior mihi moles, maius miscendumst malum,  
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam.*

XXVII. Nec tamen ille ipse est praetereundus,

*Qui non sat habuit coniugem illexe in stuprum:*

de quo recte et verissime loquitur Atreus:

*..... quod in re summa summum esse arbitror  
Periculum, matres coquinari regias,  
Contaminari stirpem ac miseri genus.*

At id ipsum quam callide, qui regnum adulterio quaereret:

*Addo, inquit, huc, quod mihi portento caelestum pater  
Prodigium misit, regni stabilimen mei,  
Agnum inter pecudes aurea clarum coma  
Quemdam Thyestem clepere ausum e regia,  
Qua in re adiutricem coniugem cepit sibi.*

69. Videturne summa improbitate usus non sine summa esse ratione? Nec vero scaena solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis paene maioribus. Sentit domus unius cuiusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, provinciae, ut quem ad modum ratione recte fiat, sic ratione peccetur, alterumque et a paucis et raro, alterum et saepissime et a plurimis, ut satius fuerit nullam omnino nobis a dis immortalibus datam esse rationem quam tanta cum pernicie datam. Ut vinum aegrotis quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino quam spe dubiae salutis in apertam perniciem incurrire, sic haud scio an melius fuerit humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, sollertia, quam rationem vocamus, quoniam pestifera est multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino quam tam munifice et tam large dari. 70. Quam ob rem si mens voluntasque divina idcirco consuluit hominibus, quod iis est largita rationem, iis solis consuluit, quos bona ratione donavit, quos videmus, si modo ulli sunt, esse perpaucos. Non placet autem paucis a dis immortalibus esse consultum: sequitur ergo ut nemini consultum sit.

XXVIII. Huic loco sic soletis occurgere, non idcirco non optime nobis a dis esse provisum, quod multi eorum beneficio perverse uterentur: etiam patrimonii multos male uti, nec ob eam causam eos beneficium a patribus nullum habere. Quisquamne istuc negat? aut quae est in collatione ista similitudo? Nec enim Herculi nocere Deianira voluit, quum ei tunicam sanguine Centauri tintam dedit, nec prodesse Phraeo Iasoni is, qui gladio vomicam eius aperuit, quum sanare medici non potuerant. Multi enim et, quum obesse vellent, profuerunt et, quum prodesse, obsuerunt. Ita non fit ex eo, quod datur, ut voluntas eius, qui dederit, appareat, nec, si is, qui accepit, bene utitur, idcirco is, qui

dedit, amice dedit. 71. Quae enim libido, quae avaritia, quod facinus aut suscipitur nisi consilio capto aut sine animi motu et cogitatione, id est, ratione perficitur? Nam omnis opinio ratio est, et quidem bona ratio, si vera, mala autem, si falsa est opinio. Sed a deo tantum rationem habemus, si modo habemus, bonam autem rationem aut non bonam a nobis. Non enim, ut patrimonium relinquitur, sic ratio est homini beneficio deorum data. Quid enim potius hominibus dedissent, si iis nocere voluissent? Injustitiae autem, intemperantiae, timiditatis quae semina essent, si his vitiis ratio non subesset? XXIX. Medea modo et Atreus commemorabantur a nobis, heroicae personae, inita subductaque ratione nefaria scelera meditantes. 72. Quid? levitates comicae? parumne semper in ratione versantur? Parumne subtiliter disputat ille in Eunicho?

*Quid igitur faciam? .....*

*Exclusit, revocat: redeam? non, si me obsecrat.*

Ille vero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui *in amore summo summaque inopia suave esse* dicit

*Parentem habere avarum, illepidum, in liberos*

*Difficilem, qui te nec amet nec studeat tui.*

73. Atque huic incredibili sententiae ratiunculas suggredit:

*Aut tu illum fructu fallas aut per litteras*

*Avertas aliquod nomen aut per servolum*

*Percutias pavidum: postremo a parco patre*

*Quod sumas quanto dissupas libertius!*

Idemque facilem et liberalem patrem incommodum esse amanti filio disputat,

*Quem neque quo pacto fallam neque ut inde auferam,*

*Nec quem dolum ad eum aut machinam commoliar,*

*Scio quidquam: ita omnes meos dolos, fallacias,*

*Praestigias praestrinxit commoditas patris.*

Quid ergo isti doli, quid machinae, quid fallacieae praestigiaeque? num sine ratione esse potuerunt? O praeclarum munus deorum, ut Phormio possit dicere:

*Cedo senem: iam instructa sunt mi in corde consilia omnia.*

XXX. 74. Sed exeamus e theatro, veniamus in forum. Sessum sit praetor. Quid ut iudicetur? Qui tabularium incenderit. Quod facinus occultius? Id se Q. Sosius, splendidus eques Romanus ex agro Piceno, fecisse confessus est. Qui transscripsierit tabulas publicas. Id quoque L. Alenus fecit, quem chirographum sex primorum imitatus est. Quid hoc homine sollertia? Cognosce alias quaestiones, auri Tolossani, coniurationis Iugurthinae. Repete superiora, Tubuli de pecunia capta ob rem iudicandam: posteriora, de incestu rogatione Peducaea, tum haec cotidiana, sicae, veneni, peculatus, testamentorum etiam lege nova quaestiones. Inde illa actio: *OPE CONSILIOQUE TUO FURTUM AIO FACTUM ESSE*, inde tot iudicia de fide mala, tutelae, mandati, pro socio, fiduciae, reliqua, quae ex empto aut vendito aut conducto aut locato contra fidem fiunt, inde iudicium publicum rei privatae lege Plaetoria, inde everriculum malitiarum omnium, iudicium de dolo malo, quod C. Aquilius, familiaris noster, protulit: quem dolum idem Aquilius tum teneri putat, quem aliud sit simulatum, aliud actum. 75. Hanc igitur tantam a dis immortalibus arbitramur malorum sementem esse factam? Si enim rationem hominibus di dederunt, malitiam dederunt: est enim malitia versuta et fallax ratio nocendi: iidem etiam di fraudem dederunt, facinus caeteraque, quorum nihil nec suscipi sine ratione nec effici potest. *Utinam igitur, ut illa anus optat,*

*ne in nemore Pelio securibus*

*Caesa accidisset abiegnna ad terram trabes,*

sic istam calliditatem hominibus di ne dedissent! qua per pauci bene utuntur, qui tamen ipsi saepe a male utentibus opprimuntur, innumerabiles autem improbe utuntur, ut dominum hoc divinum rationis et consilii ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur.

XXXI. 76. Sed urgetis idemtidem hominum esse istam culpam, non deorum: ut si medicus gravitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset, etsi hi quidem homunculi,

sed tamen ridiculi. Quis enim te adhibuisset, dixerit quispiam, si ista non essent? Contra deum licet disputare liberior. In hominum vitiis aīs esse culpam. Eam dedisses hominibus rationem, quae vitia culpamque excluderet. Ubi igitur locus fuit errori deorum? Nam patrimonia spe bene tradendi relinquimus, qua possumus falli: deus falli qui potuit? An ut Sol, in currum quum Phaēthontem filium sustulit, aut Neptunus, quum Theseus Hippolytum perdidit, quum ter optandi a Neptuno patre habuissest potestatem? 77. Poētarum ista sunt, nos autem philosophi esse volunus, rerum auctores, non fabularum. Atque hi tamen ipsi di poētici si scissent perniciosa fore illa filiis, peccasse in beneficio putarentur. Et, si verum est, quod Aristo Chius dicere solebat, nocere audientibus philosophos iīs, qui bene dicta male interpretarentur: posse enim asotos ex Aristippi, acerbos e Zenonis schola exire: prorsus, si qui audierunt vitiosi essent discessuri, quod perverse philosophorum disputationem interpretarentur, tacere praestaret philosophis quam iīs, qui se audissent, nocere. 78. Sic, si homines rationem bono consilio a dis immortalibus datam in fraudem malitiamque convertunt, non dari illam quam dari humano generi melius fuit. Ut, si medicus sciat eum aegrotum, qui iussus sit vinum sumere, meracius sumpturum statimque peritrum, magna sit in culpa, sic vestra ista providentia reprehendenda, quae rationem dederit iīs, quos scierit ea perverse et improbe usuros. Nisi forte dicitis eam nescisse. Utinam quidem! Sed non audebitis. Non enim ignoro quantius nomen putetis.

XXXII. 79. Sed hic quidem locus concludi iam potest. Nam si stultitia consensu omnium philosophorum maius est malum, quam si omnia mala et fortunae et corporis ex altera parte ponantur, sapientiam autem nemo adsequitur, in summis malis omnes sumus, quibus vos optime consultum a dis immortalibus dicitis. Nam ut nihil interest utrum nemo valeat an nemo possit valere, sic non intelligo quid intersit utrum nemo sit sapiens an nemo esse possit. Ac nos quidem nimis multa de re apertissima. Telamo autem uno versu locum totum conficit, cur di homines negligant:

*Nam si carent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest.*

Debabant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant. 80. Sin id minus, bonis quidem certe consulere debebant. Cur igitur duo Scipiones, fortissimos et optimos viros, in Hispania Poenus oppressit? Cur Maximus extulit filium consularem? Cur Marcellum Hannibal interemit? Cur Paullum Cannae sustulerunt? Cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? Cur Africanum domestici parietes non texerunt? Sed haec vetera et alia permulta: propiora videamus. Cur avunculus meus, vir innocentissimus idemque doctissimus, P. Rutilius, in exsilio est? cur sodalis meus interfectus domui suae, Drusus? cur temperantiae prudentiaeque specimen ante simulacrum Vestae pontifex maximus est Q. Scaevola trucidatus? cur ante etiam tot civitatis principes a Cinna interempti? cur omnium perfidiosissimus C. Marius Q. Catulum praestantisima dignitate virum mori potuit iubere? 81. Dies deficiat, si velim numerare quibus bonis male evenerit, nec minus, si commemorem quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter septimum consul domui suae senex est mortuus? cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnavit? At reddit poenas. XXXIII. Prohiberi melius fuit impedirique ne tot summos viros interficeret quam ipsum aliquando poenas dare. Summo cruciatu supplicioque Q. Varius, homo importunissimus, periit: si, quia Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat, illos conservari melius fuit quam poenas sceleris Varium pendere. Duodequadraginta annos Dionysius tyrannus fuit opulentissimae et beatissimae civitatis. 82. Quam multos ante hunc in ipso Graeciae flore Pisistratus! At Phalaris, at Apollodorus poenas sustulit. Multis quidem ante cruciatis et necatis. Et praedones multi saepe poenas dant, nec tamen possumus dicere non plures captivos acerbe quam praedones necatos. Anaxarchum Democritum a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus, Zenonem Eleae in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate, cuius morti illacrimari soleo Platonem legens? Videsne igitur deorum iudicio, si vident res humanas, discrimen

esse sublatum? XXXIV. 83. Diogenes quidem Cynicus dicere solebat Harpalum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret. Dionysius, de quo ante dixi, quem fanum Proserpinæ Locris expilavisset, navigabat Syracusas: isque quem secundissimo vento cursum teneret, ridens: Videtisne, inquit, amici, quam bona a dis immortilibus navigatio sacrilegis detur? Idque homo acutus quem bene planeque perceperisset, in eadem sententia perseverabat: qui quem ad Peloponnesum classem appulisset et in fanum venisset Iovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iovem ornarat e manubii Karthaginiensium tyrannus Gelo, atque in eo etiam cavillatus est aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum, eique laneum pallium iniecit, quem id esse [aptum] ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapii Epidauri barbam auream demi iussit: neque enim convenire barbatum esse filium, quem in omnibus fanis pater imberbis esset. 84. Idem mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quod more veteris Graeciae inscriptum esset BONORUM DEORUM, uti se eorum bonitate velle dicebat. Idem Victoriales aureas et pateras et coronas, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat eaque se accipere, non auferre dicebat: esse enim stultiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere. Eumdemque ferunt haec, quae dixi, sublata de fanis in forum protulisse et per praeconem vendidisse, exactaque pecunia edixisse ut, quod quisque a sacrificiis haberet, id ante diem certam in suum quidque fanum referret. Ita ad impietatem in deos in homines adiunxit injuriam. XXXV. Hunc igitur nec Olympius Iuppiter fulmine percussit nec Aesculapius misero diurnoque morbo tabescerent interemit atque in suo lectulo mortuus in + Tympanidis rogum illatus est, eamque potestatem, quam ipse per scelus erat nanctus, quasi iustum et legitimam hereditatis loco filio tradidit. 85. Invita in hoc loco versatur oratio: videtur enim auctoritatem adferre peccandi, et recte videtur, nisi et virtutis et vitiorum sine ulla divina ratione grave

ipsius conscientiae pondus esset, qua sublata iacent omnia. Ut enim nec domus nec res publica ratione quadam et disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis praemia exstant ulla nec supplicia peccatis, sic mundi divina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum.

86. At enim minora di negligunt neque agellos singulorum nec viticulas persequuntur nec, si uredo aut grando quippiam nocuit, id Iovi animadvertendum fuit, ne in regnis quidem reges omnia minima curant: sic enim dicitis: quasi ego paullo ante de fundo Formiano P. Rutilii sim questus, non de amissa salute. XXXVI. Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque vitae a dis se habere, virtutem autem nemo umquam acceptam deo rettulit. 87. Nimirum recte: propter virtutem enim iure laudamur et in virtute recte gloriamur: quod non continget, si id donum a deo, non a nobis haberemus. At vero aut honoribus aucti aut re familiari aut si aliud quippiam nancti sumus fortuiti boni aut depulimus mali, tum dis gratias agimus, tum nihil nostrae laudi adsumptum arbitramur. Num quis, quod bonus vir esset, gratias dis egit umquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Iovemque optimum et maximum ob eas res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod salvos, incolumes, opulentos, copiosos. 88. Neque Herculi quisquam decumam vovit umquam, si sapiens factus esset. Quamquam Pythagoras, quem in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur: sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret. Ad rem autem ut redeam, iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. Quamvis licet Menti delubra et Virtuti et Fidei consecremus, tamen haec in nobis ipsis sita videmus: Spei, Salutis, Opis, Victoriae facultas a dis expetenda est. Improborum igitur prosperitates secundaeque res redargunt, ut Diogenes dicebat, vim omnem

deorum ac potestatem. XXXVII. 89. At non numquam bonos exitus habent boni. Eos quidem ad ripimus attribuimusque sine ulla ratione dis immortalibus. At Diagoras, quem Samothraciam venisset, Atheos ille qui dicitur, atque ei quidam amicus: 'Tu, qui deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabulis pictis quam multi votis vim tempestatis effugerint in portumque salvi pervenerint?' 'Ita fit' inquit: 'illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt in marique perierunt.' Idemque, quem ei naviganti vectores adversa tempestate timidi et perterriti dicerent non iniuria sibi illud accidere, qui illum in eamdem navem recepissent, ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes quaesivitque num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent. Sic enim res se habet, ut ad prosperram adversamve fortunam qualis sis aut quem ad modum vixeris nihil intersit. 90. Non animadvertis, inquit, omnia di, ne reges quidem. Quid est simile? Reges enim si scientes praetermittunt, magna culpa est. XXXVIII. At deo ne excusatio quidem est inscientiae. Quem vos praecclare defenditis, quem dicitis eam vim deorum esse, ut, etiam si quis morte poenas sceleris effugerit, expetantur eae poenae a liberis, a nepotibus, a posteris. O mirum aequitatem deorum! Ferretne civitas ulla latorem istius modi legis, ut condemnaretur filius aut nepos, si pater aut avus delinquisset?

*Quinam Tantalidarum internicioni modus  
Paretur? aut quaenam umquam ob mortem Myrili  
Poenis luendis dabitur satias supplici?*

91. Utrum poëtae Stoicos depravarint an Stoici poëtis derint auctoritatem non facile dixerim. Portenta enim ab utrisque et flagitia dicuntur. Neque enim, quem Hippo-nactis iambus laeserat aut qui erat Archilochi versus vulneratus, a deo immissum dolorem, non conceptum a se ipso continebat, nec, quem Aegisthi libidinem aut quem Paridis videmus, a deo causam requirimus, quem culpae paene vocem audiamus, nec ego multorum aegrorum salutem non ab Hippocrate potius quam ab Aesculapio datam iudico, nec Lacedaemoniorum disciplinam dicam umquam ab Apolline

potius Spartae quam a Lycurgo datam. Critolaus, inquam, evertit Corinthum, Karthaginem Hasdrubal. Hi duo illos oculos orae maritimae effoderunt, non iratus aliqui, quem omnino irasci posse negatis, deus. 92. At subvenire certe potuit et conservare urbes tantas atque tales. XXXIX. Vos enim ipsi dicere soletis nihil esse quod deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo: ut enim hominum membra nulla contentione mente ipsa ac voluntate moveantur, sic numine deorum omnia fingi, moveri mutarique posse. Neque id dicitis superstitione atque aniliter, sed physica constantique ratione: materiam enim rerum, ex qua et in qua omnia sint, totam esse flexibilem et commutabilem, ut nihil sit quod non ex ea quamvis subito fingi convertique possit, eius autem universae fictricem et moderatricem divinam esse providentiam: hanc igitur quocumque se moveat efficere posse quidquid velit. Itaque aut nescit quid possit aut negligit res humanas aut quid sit optimum non potest iudicare. Non curat singulos homines. 93. Non mirum, ne civitates quidem. Non eas? ne nationes quidem et gentes. Quod si has etiam contemnet, quid mirum est omne ab ea genus humanum esse contemptum? Sed quo modo iidem dicitis non omnia deos persecui, iidem vultis a dis immortalibus hominibus despertiri ac dividi somnia? Idcirco haec tecum, quia vestra est de somniorum veritate sententia. Atque iidem etiam vota suscipi dicitis oportere. Nempe singuli vovent, audit igitur mens divina etiam de singulis. Videtis ergo non esse eam tam occupatam quam putabatis? Fac esse distentam, caelum versantem, terram tuentem, maria moderantem, cur tam multos deos nihil agere et cessare patitur? cur non rebus humanis aliquos otiosos deos praeficit, qui a te, Balbe, innumerabiles explicati sunt? Haec fere dicere habui de natura deorum, non ut eam tollerem, sed ut intelligeretis quam esset obscura et quam difficiles explicatus haberet.

XL. 94. Quae quum dixisset, Cotta finem. Lucilius autem: Vehementius, inquit, Cotta, tu quidem invectus es in eam Stoicorum rationem, quae de providentia deorum ab illis sanctissime et providentissime constituta est. Sed quon-

iam advesperascat, dabis diem nobis aliquem, ut contra ista dicamus. Est enim mihi tecum pro aris et focis certamen et pro deorum templis atque delubris proque urbis muris, quos vos, pontifices, sanctos esse dicitis diligentiusque urbem religione quam ipsis moenibus cingitis: quae deserit a me, dum quidem spirare potero, nefas iudico. 95. Tum Cotta: Ego vero et opto redargui me, Balbe, et ea, quae disputavi, disserere malui quam iudicare et facile me a te vinci posse certo scio. Quippe, inquit Velleius, qui etiam somnia putet ad nos mitti ab Iove, quae ipsa tamen tam levia non sunt quam est Stoicorum de natura deorum oratio. Haec quum essent dieta, ita discessimus, ut Velleio Cottae disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videatur esse propensior.

## FRAGMENTA.

## EX LIBRO DE NATURA DEORUM TERTIO.

Intelligebat Cicero 'falsa esse quae homines adorarent: nam quum multa dixisset, quae ad eversionem religionum valerent', ait tamen 'non esse illa vulgo disputanda, ne suscepitas publice religiones disputatio talis extinguat.' Laetantius div. instt. lib. II. c. 3.

Cicero de natura deorum disputans sic ait: 'Primum igitur non est probabile eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam, sed habere et habuisse vim et naturam suam. Ut igitur faber, quum quid aedificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea uititur, quae sit parata, fectorque item cera, sic isti providentiae divinae materiam praesto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a deo materia facta, ne terra quidem et aqua et aëris et ignis a deo factus est.' Idem ibid. II. c. 8.

*Adduci .. primum hoc ut credamus non possumus, immortalē illam praestantissimamque naturam divisam esse per sexus et esse partem unam mares, partem esse alteram feminas. Quem quidem locum plene iam dudum homines pectoris vivi tam Romanis litteris explicavere quam Graecis, et ante omnes Tullius, Romani disertissimus generis, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter et libere quid super tali opinione sentiret pietate cum maiore monstravit. A quo si res sumere iudicii veritate conscriptas, non verborum luculentias pergerritis, perorata esset et haec causa nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet. Sed quid aucupia verborum splendoremque sermonis peti ab hoc dicam, quum sciam esse non paucos, qui aversentur et fugiant libros de hoc eius, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum prae-*

*sumpta vincentem, quumque alios audiam mussitare indignantes et dicere oportere statui per senatum, aboleantur ut haec scripta, quibus Christiana religio comprobetur et vetustatis opprimatur auctoritas?* Arnobius lib. III. cap. 6 sq.

Cicero de natura deorum lib. III. 'Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius quique dulitudine praeter caeteros sensus commovet?' Nonius Marcell. p. 96, 30. ed. Merc.

## EX LIBRIS DE NATURA DEORUM INCERTIS.

*Tullius in libris de natura deorum tria milia annorum dixit magnum annum tenere. Servius ad Virg. Aen. lib. III. v. 284. cl. horum librorum II. cap. 20. §. 51. et Fragm. Hortensii ap. Serv. ad Virg. Aen. lib. I. v. 269. et ad lib. III. v. 284.*

*... apud Ciceronem de N. D. LT., ubi de Cleomene Lacedaemonio... Maii vett. interpretes Virgilii p. 45. ed. Mediol.*

## M. TULLII CICERONIS

## DE DIVINATIONE

## LIBER PRIMUS.

## ARGUMENTUM.

M. Cicer<sup>o</sup> quum tres libros *de natura deorum* perfecisset, in quibus omnis eius loci quaestio continetur, ingressus est anno post urb. cond. 710. anno ante Chr. nat. 44. scribere *de divinatione*, quos libros una cum libro *de fato*, quem his erat adiuncturus, quasi supplementa illius quaestionis *de natura deorum* esse voluit. Facit autem, quum in villa Tusculana essent, Q. frater secum ita colloquenter, ut postquam Q. frater omne genus divinationis e disciplina Stoicorum defendisset, ipse altero libro contra eius sententiam quae sibi dicenda viderentur exponeret. In primo igitur libro Cicero, complurium populorum et philosophorum opinionibus de divinationis veritate et decretis in prooemio cap. 1—4. §. 1—7. explicatis, ipsum colloquium expunxit. Q. frater antiquissimam se sententiam sequi profitetur, omnium populorum gentiumque consensu comprobata. Esse enim duo divinandi genera, unum artificiosum, quod partim constet ex conjectura partim ex observatione diurna, alterum naturale, quod animus ad ripiat aut excipiat extrinsecus ex divinitate, unde omnes haustos animos libatosque habeamus. Nullam autem esse civitatem aut gentem quae non astrologorum, sortium, somniorum praedictione moveri soleat. Atque in his omnino magis eventa rerum spectari quam causas quaeri oportere arbitratur. Multa enim in rerum natura accidere, quae nemo dubitet quin vera sint, etiam si cur ita eveniant ignoret, cap. 5—13. §. 8—23. Neque vero propterea tollendam esse divinationem, quod quaedam falsa sint, quaedam non ita, uti praedicta sint, eveniant. Multas enim praedictiones eventum habuisse, quod negare nemo possit, nisi omnem annalibus fidem detrahatur, cap. 14—17. §. 24—33. Itaque se iis adsentiri, qui duo divinationis genera esse dixerunt, artis unum particeps, expers alterum. Carere autem arte eos, qui non ratione aut conjectura, observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi aut animo a curis vacuo liberoque praesentiant. Huc igitur referendas esse praedictiones per oracula, cap. 18. 19. §. 36—41. per somnia, cap. 20—30. §. 42—65. itemque vati

cinationes furentium, cap. 31. §. 65—67. Extremae huic disputationi Chrysippi argumentatio adiicitur, haec divinandi genera vera esse stantem, cap. 32. §. 68—71.

Deinde perlustrantur divinationis artificialis genera, ad quae haruspices, augures, coniectores pertineant. Eorumdem alia esse in disciplina et monumentis posita, alia in subita coniectura, cap. 33—37. §. 72—80. Tum exponit quibus Stoici rationibus confirmaverint esse re vera divinationem, cap. 38 seq. §. 81—87. Iam, qui divinationem esse negent, quod nulla sit eius ratio et causa, eos errare: nam quaerendum esse sitne divinatio necne, non quo modo fiat. Neque vero aut in vita communi aut a philosophis dubitari quin vere sit divinatio, cap. 40. §. 87—89. Recte etiam moveri animos hominum antiquitate clarissimis testimonis testata et consignata, cap. 41. §. 90—92. et in optima quaque re publica quum caetera divinandi genera tum auspicia semper valuisse, cap. 42—48. §. 93—108. Omnem vero divinationis vim et originem referendam esse ad deum, cap. 49—55. §. 109—126., ad fatum, cap. 56. §. 127—128., et ad naturam, cap. 57. 58. §. 129—132.

I. 1. Vetus opinio est iam usque ab heroicis ducta temporibus eaque et populi Romani et omnium gentium firmata consensu versari quamdam inter homines divinationem, quam Graeci *μαντικὴν* appellant, id est, praesensionem et scientiam rerum futurarum. Magnifica quidem res et salutaris, si modo est ulla, quaque proxime ad deorum vim natura mortalis possit accedere. Itaque ut alia nos melius multa quam Graeci, sic huic praestantissimae rei nomen nostri a divis, Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. 2. Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam neque tam immanem tamque barbarem, quae non significari futura et a quibusdam intelligi praedicique posse censeat. Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatibus repetam, propter planitatem magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum caelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traictiones motusque stellarum obseruitaverunt, quibus notatis quid quoque significaretur memoriae prodiderunt. Qua in natione Chaldaeis non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. Eamdem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus paene saeculis consecuti putantur. Cilicum autem et

Pisidarum gens et his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi, volatibus avium cantibusque ut certissimis signis declarari res futuras putant. 3. Quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est? II. Nec unum genus est divinationis publice privatimque celebratum. Nam, ut omittam caeteros populos, noster quam multa genera complexus est! Principio huius urbis parens Romulus non solum auspicio urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Deinde auguribus et reliqui reges usi et exactis regibus nihil publice sine auspiciis nec domi nec militiae gerebatur. Quumque magna vis videretur esse et in impetriendis consulendisque rebus et in monstris interpretandis ac procurandis in haruspicum disciplina, omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis quod neglectum ab iis videretur. 4. Et, quum duobus modis animi sine ratione et scientia motu ipsi suo soluto et libero incitarentur, uno furente, altero somniante, furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos e civitate esse voluerunt. Ex quo genere saepe hariolorum etiam et vatum furibundas praedictiones, ut Octaviano bello Cornelii Cullei, audiendas putaverunt. Nec vero somnia graviora, si quae ad rem publicam pertinere visa sunt, a summo consilio neglecta sunt. Quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospitae L. Iulius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Caeciliae Baliae filiae somnio.

III. 5. Atque haec, ut ego arbitror, veteres rerum magis eventis moniti quam ratione docti probaverunt. Philosophorum vero exquisita quaedam argumenta cur esset vera divinatio collecta sunt: e quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes praeter Epicurum balbutientem de natura deorum divinationem probaverunt, sed non uno modo. Nam quum Socrates omnesque Socratici Zenoque et ii, qui ab eo essent profecti, manerent

cic. IV. 2.

in antiquorum philosophorum sententia vetere Academia et Peripateticis consentientibus, quumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras iam ante tribuisse, qui etiam ipse augur vellet esse, plurimisque locis gravis auctor Democritus praesensionem rerum futurarum comprobaret, Dicaearchus Peripateticus caetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit, Cratippusque familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera reiecit. 6. Sed quum Stoici omnia fere illa defendarent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset et ea Cleanthes paullo uberiora fecisset, accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraculis, uno de somniis: quem subsequens unum librum Babylonius Diogenes edidit, eius auditor, duo Antipater, quinque noster Posidonius. Sed a Stoicis vel princeps eius disciplinae, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panaetius, nec tamen ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re invitissimis Stoicis Stoico facere licuit, id nos ut in reliquis rebus faciamus a Stoicis non concedetur? praesertim quum id, de quo Panaetio non liquet, reliquis eiusdem disciplinae solis luce videatur clarius. 7. Sed haec quidem laus Academiae praestantissimi philosophi iudicio et testimonio comprobata est. IV. Etenim nobismet ipsis quaerentibus quid sit de divinatione iudicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata sint, verentibusque ne temere vel falsae rei vel non satis cognitae adsentiamur faciendum vindetur ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in iis tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. Nam quum omnibus in rebus temeritas in adsentiendo errorque turpis est tum in eo loco maxime, in quo iudicandum est quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus: est enim periculum ne aut neglectis iis impia fraude aut susceptis anili superstitione obligemur.

V. 8. Quibus de rebus et alias saepe et paullo accuratius

super, quum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. Nam quum ambulandi causa in Lycium venissemus — id enim superiori Gymnasio nomen est —: Perlegi, inquit ille, tuum paullo ante tertium de natura deorum, in quo disputatio Cottae quamquam labefactavit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. Optime vero, inquam. Etenim ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet quam hominum deleat religionem. Tum Quintus: Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta et vero saepius, credo, ne communia iura migrare videatur, sed studio contra Stoicos disserendi deos mihi videtur funditus tollere. 9. Eius rationi non sane desidero quod respondeam: satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio, cuius disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est visa propensior. Sed, quod praetermissum est in illis libris, credo, quia commodius arbitratus es separatim id quaeri deque eo disseri, id est, de divinatione, quae est earum rerum, quae fortuitae putantur, praedictio atque praesensio, id, si placet, videamus quam habeat vim et quale sit. Ego enim sic existimo, si sint ea genera divinandi vera, de quibus accepimus quaeque colimus, esse deos, vicissimque, si di sint, esse qui divinent. VI. 10. Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quinte, defendis, si quidem ista sic reciprocantur, ut et, si divinatio sit, di sint et, si di sint, sit divinatio. Quorum neutrum tam facile quam tu arbitraris conceditur. Nam et natura significari futura sine deo possunt et, ut sint di, potest fieri ut nulla ab iis divinatio generi humano tributa sit. Atque ille: Mihi vero, inquit, satis est argumenti et esse deos et consulere rebus humanis, quod esse clara et perspicua divinationis genera iudico. De quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si vacas animo neque habes aliquid quod huic sermoni praevertendum putes. 11. Ego vero, inquam, philosophiae, Quinte, semper vaco. Hoc autem tempore, quum sit nihil aliud quod libenter agere possim, multo magis aveo audire de divinatione quid sentias.

Nihil, inquit, equidem novi nec quod praeter caeteros ipse sentiam. Nam quum antiquissimam sententiam tum

omnium populorum et gentium consensu comprobata se-  
quor. Duo sunt enim divinandi genera, quorum alterum  
artis est, alterum naturae. 12. Quae est autem gens aut  
quae civitas quae non aut extispicum aut monstra aut ful-  
gura interpretantium aut augurum aut astrologorum aut sorti-  
tum — ea enim fere artis sunt — aut somniorum aut vati-  
cationum — haec enim duo naturalia putantur — praedi-  
ctione moveatur? Quarum quidem rerum eventa magis ar-  
bitror quam causas quaeri oportere. Est enim vis et natura  
quaedam, quae cum observatis longo tempore significatio-  
nibus tum aliquo instinctu inflatuque divino futura praenun-  
ciat. VII. Qua re omittat urguere Carneades, quod facie-  
bat etiam Panaetius requirens Iuppiterne cornicem a laeva,  
corvum ab dextra canere iussisset. Observata sunt haec  
tempore immenso et [in] significatione eventus animadversa  
et notata. Nihil est autem quod non longinquitas temporum  
excidente memoria prodendisque monumentis efficere at-  
que adsequi possit. 13. Mirari licet quae sint animad-  
versa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus  
bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera, quorum vim  
atque naturam ratio numquam explicavit, utilitate et ars est  
et inventor probatus. Age ea, quae quamquam ex alio  
genere sunt, tamen divinationi sunt similia, videamus.

*Atque etiam ventos praemonstrat saepe futuros  
Inflatum mare, quum subito penitusque tumescit,  
Saxaque cana salis niveo spumata liquore  
Tristificas certant Neptuno reddere voces,  
Aut densus stridor quum celso e vertice montis  
Ortus adaugescit scopulorum saepe repulsus.*

VIII. Atque his rerum praesensionibus prognostica tua re-  
ferta sunt. Quis igitur elicere causas praesensionum potest?  
Etsi video Boëthum Stoicum esse conatum, qui hactenus  
aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quae in  
mari caelove fierent. 14. Illa vero cur eveniant quis pro-  
babiliter dixerit?

*Rava fulix itidem fugiens e gurgite ponti  
Nunciat horribiles clamans instare procellas,*

*Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.  
Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen  
Et matutinis acrecula vocibus instat,  
Vocibus instat et adsiduas iacit ore querelas,  
Quum primum gelidos rores aurora remittit.  
Fuscaque non numquam cursans per littora cornix  
Demersit caput et fluctum cervice recepit.*

IX. 15. Videmus haec signa numquam fere mentientia nec  
tamen cur ita fiat videmus.

*Vos quoque signa videtis, aquaï dulcis alumnae,  
Quum clamore paratis inanes fundere voces  
Absurdoque sono fontes et stagna cietis.*

Quis est qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed  
inest in bestiis et ranunculis natura quaedam significans  
aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum  
obscurior.

*Mollipedesque boves spectantes lumina caeli  
Naribus humiferum duxere ex aëre sucum.*

Non quaero cur, quoniam quid eveniat intelligo.

*Iam vero semper viridis semperque gravata  
Lentiscus triplici solita grandescere setu  
Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.*

16. Ne hoc quidem quaero, cur haec arbor una ter floreat  
aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet.  
Hoc sum contentus, quod, etiam si quo modo quidque fiat  
ignorem, quid fiat intelligo. Pro omni igitur divinatione  
idem quod pro iis rebus, quas commemoravi, respondebo.

X. Quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia  
ad morsus serpentum possit, quae nomen ex inventore rep-  
perit, rem ipsam inventor ex somnio, video, quod satis est:  
cur possit nescio. Sic ventorum et imbrium signa, quae  
dixi, rationem quam habeant non satis perspicio: vim et  
eventum agnosco, scio, approbo. Similiter quid fissum in  
extis, quid fibra valeat accipio: quae causa sit nescio.  
Atque horum quidem plena vita est: extis enim omnes fere

utimur. Quid? de fulgurum vi dubitare num possumus? Nonne quum multa alia mirabilia tum illud in primis: quum Summanus in fastigio Iovis optimi maximi, qui tum erat fictilis, e caelo ictus esset nec usquam eius simulacri caput inveniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt, idque inventum est eo loco, qui est ab haruspiciis demonstratus. XI. 17. Sed quo potius utar aut auctore aut teste quam te? cuius edidici etiam versus et libenter quidem, quos in secundo consulatus Urania Musa pronunciat:

- Principio aetherioflammatus Iuppiter igni  
Vertitur et totum collustrat lumine mundum  
Menteque divina caelum terrasque petissit,  
Quae penitus sensus hominum vitasque retentat  
Aetheris aeterni saepa atque inclusa cavernis. 5  
Et, si stellarum motus cursusque vagantes  
Nosse velis, quae sint signorum in sede locatae,  
Quae verbo et falsis Graiorum vocibus errant,  
Re vera certo lapsu spatioque feruntur,  
Omnia iam cernes divina mente notata.
- 18 Nam primum astrorum volucres te consule motus  
Concursusque graves stellarum ardore micantes  
Tu quoque, quum tumulos Albano in monte nivales  
Lustrasti et laeto mactasti lacte Latinas,  
Vidisti et claro tremulos ardore cometas, 15  
Multaque misceri nocturna strage putasti:  
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,  
Quum claram speciem concreto lumine luna  
Abdidit et subito stellanti nocte perempta est.  
Quid vero Phoebi fax, tristis nuncia belli, 20  
Quae magnum ad columen flammato ardore volabat,  
Praecipites caeli partes obitusque petissens,  
Aut quum terribili percussus fulmine civis  
Luce serenanti vitalia lumina liquit,  
Aut quum se gravido tremefacti corpore tellus? 25  
Iam vero variae nocturno tempore visae  
Terribiles formae bellum motusque monebant,

- Multaque per terras vates oracula furenti  
Pectore fundebant, tristes minitania casus,  
19 Atque ea, quae lapsu tandem cecidere vetusto, 30  
Haec fore perpetuis signis clarisque frequentans  
Ipse deum genitor caelo terrisque canebat.
- XII. Nunc ea, Torquato quae quandam et consule Cotta  
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,  
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus. 35  
Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo  
Ipse suos quandam tumulos ac templa petivit,  
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.  
Tum species ex aere vetus venerataque Naiuae  
Concidit elapsaeque vetusto numine leges, 40  
Et divum simulacra peremit fulminis ardor.
- 20 Hic silvestris erat Romani nominis altrix,  
Martia, quae parvos Mavortis semine natos  
Uberibus gravidis vitali rore rigabat,  
Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu 45  
Concidit atque avulsa pedum vestigia liquit.  
Tum quis non artis scripta ac monumenta volutans  
Voices tristificas chartis promebat Etruscis?  
Omnes civilem generosa a stirpe proiectam  
Vitare ingentem cladem pestemque monebant, 50  
Vel legum exitium constanti voce ferebant,  
Templa deumque adeo flammis urbemque iubebant  
Eripere et stragem horribilem caedemque vereri:  
Atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri,  
Ni prius excelsum ad columen formata decore 55  
Sancta Iovis species claros spectaret in ortus:  
Tum fore ut occultos populus sanctusque senatus  
Cernere conatus posset, si solis ad ortum  
Conversa, inde patrum sedes populique videret.
21. Haec tardata diu species multumque morata 60  
Consule te tandem celsa est in sede locata:  
Atque una fixi ac signati temporis hora  
Iuppiter excelsa clarabat scaeptrum columna,  
Et clades patriae flamma ferroque parata  
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat. 65

- XIII. *Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,  
Qui populos urbesque modo ac virtute regebant,  
Rite etiam vestri, quorum pietasque fidesque  
Praestit et longe vicit sapientia cunctos,  
Praecipue coluere vigenti numine divos.* 70  
*Haec adeo penitus cura videre sagaci  
Otia qui studiis laeti tenuere decoris,*
22. *Inque Academia umbrifera nitidoque Lycio  
Fuderunt claras fecundi pectoris artes.  
E quibus eruptum primo iam a flore iuventae  
Te patria in media virtutum mole locavit.  
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,  
Quod patriae vocis studiis nobisque sacrasti.* 75

Tu igitur animum poteris inducere contra ea, quae a me disputantur de divinatione, dicere, qui et gesseris ea, quae gessisti, et ea, quae pronunciavi, accuratissime scripseris? 23. Quid? quaeris, Carneades, cur haec ita fiant aut qua arte perspici possint? Nescire me fateor, evenire autem te ipsum dico videre. Casu, inquis. Itane vero? Quidquam potest casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? Quatuor tali iacti casu Venerium efficiunt. Num etiam centum Venerios, si cccc talos ieceris, casu futuros putas? Aspersa temere pigmenta in tabula oris lineamenta effingere possunt. Num etiam Veneris Coae pulcritudinem effungi posse aspersione fortuita putas? Sus rostro si humi A litteram impresserit, num propterea suspicari poteris Andromacham Ennii ab ea posse describi? Fingebat Carneades in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput exstisset Panisci: credo aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam factam a Scopa dices. Sic enim se profectores habet, ut numquam perfecte veritatem casus imitetur.

XIV. 24. At non numquam ea, quae praedicta sunt, minus eveniunt. Quae tandem id ars non habet? earum dico artium, quae coniectura continentur et sunt opinabiles. An medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. Quid? gubernatores nonne falluntur? An Achivorum exercitus et tot navium rectores non ita profecti sunt ab

Ilio, ut profectione laeti piscium lasciviam intuerentur, ultat Pacuvius, nec tuendi satietas capere posset?

*Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare,  
Tenebrae conduplicantur noctisque et nimbum occaecat  
nigror.*

Num igitur tot clarissimorum ducum regumque naufragium sustulit artem gubernandi? aut num imperatorum scientia nihil est, quia summus imperator nuper fugit amisso exercitu? aut num propterea nulla est rei publicae gerendae ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quaedam M. Catonem, non nulla etiam te ipsum sefellerunt? Similis est haruspicum responsio omnisque opinabilis divinatio: coniectura enim nititur, ultra quam progredi non potest. 25. Ea fallit fortasse non numquam, sed tamen ad veritatem saepissime dirigit. Est enim ab omni aeternitate repetita, in qua quum paene innumerabiliter res eodem modo evenirent iisdem signis antegressis, ars est effecta eadem saepe animadverendo ac notando.

XV. Auspicia vero vestra quam constant! quae quidem nunc a Romanis auguribus ignorantur — bona hoc tua venia dixerim —, a Cilicibus, Pamphyliis, Pisidis, Lyciis tenentur. 26. Nam quid ego hospitem nostrum, clarissimum atque optimum virum, Deiotarum regem commemorem? qui nihil umquam nisi auspicio gerit. Qui quum ex itinere quodam proposito, etiam constituto revertisset aquilae admonitus volatu, conclave illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. 27. Itaque, ut ex ipso audiebam, persaepe revertit ex itinere, quum iam progressus esset multorum dierum viam. Cuius quidem hoc praeclarissimum est, quod postea quam a Caesare tetrarchia, regno pecuniaque multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti secunda evenerint, poenitere: senatus enim auctoritatem et populi Romani libertatem atque imperii dignitatem suis armis esse defensam, sibique eas aves, quibus auctoribus officium et fidem secutus esset, bene consuluisse: antiquorem enim sibi fuisse possessiibus suis gloriam. Ille mihi videtur igitur vere angurari. Nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis.

Necesse enim est offa obiecta cadere frustum ex pulli ore, quum pascitur. 28. Quod autem scriptum habetis tripudium fieri, si ex ea quid in solum ceciderit, hoc quoque, quod dixi, coactum tripudium solistimum dicitis. Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegii amissa plane et deserta sunt.

XVI. Nihil fere quondam maioris rei nisi auspicato, ne privatim quidem, gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re omissa nomen tantum tenent. Nam ut nunc extis — quamquam id ipsum aliquanto minus quam olim —, sic tum avibus magnae res impetriri solebant. Itaque, sinistra dum non exquirimus, in dira et in vitiosa incurrimus. 29. Ut P. Claudius Appii Caeci filius eiusque collega L. Iunius classes maximas perdiderunt, quum vitio navigassent. Quod eodem modo evenit Agamemnoni: qui quum Achivi coepissent

*.... inter se strepere aperieque artem obterere extispicum,  
Solvore imperat secundo rumore adversaque avi.*

Sed quid vetera? M. Crasso quid acciderit videmus dirarum obnunciatione neglecta. In quo Appius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter virum bonum et civem egregium censor C. Ateium notavit, quod ementium auspicia subscriberet. Esto: fuerit hoc censoris, si iudicabat ementium. At illud minime auguris, quod ascripsit ob eam causam populum Romanum calamitatem maximam cepisse. Si enim ea causa calamitatis fuit, non in eo est culpa, qui obnunciavit, sed in eo, qui non paruit. Veram enim fuisse obnunciationem, ut ait idem augur et censor, exitus approbavit: quae si falsa fuisset, nullam adferre potuisset causam calamitatis. Etenim dirae, sicut caetera auspicia, ut omina, ut signa, non causas adferunt cur quid eveniat, sed nunciant eventura, nisi provideris. 30. Non igitur obnunciatio Ateii causam finxit calamitatis, sed signo obiecto monuit Crassum quid eventurum esset, nisi cavisset. Ita aut illa obnunciatio nihil valuit aut si, ut Appius iudicat, valuit, id valuit, ut peccatum haereat non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperarit.

XVII. Quid? lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum, quum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, id est incurvum et leniter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen invenit, quum situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaque deflagrasset, inventus est integer. 31. Quid? multis annis post Romulum Prisco regnante Tarquinio quis veterum scriptorum non loquitur quae sit ab Atto Navio per lituum regionum facta descriptio? Qui quum propter paupertatem suas puer pasceret, una ex iis amissa vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se deo daturum, quae maxima esset in vinea: itaque sue inventa ad meridiem spectans in vinea media dicitur constissee, quumque in quattuor partes vineam divisisset trisque partes aves abdixissent, quarta parte, quae erat reliqua, in regiones distributa mirabili magnitudine uvam, ut scriptum videmus, invenit. Qua re celebrata quum vicini omnes ad eum de rebus suis referrent, erat in magno nomine et gloria 32. Ex quo factum est ut eum ad se rex Priscus arcaseret. Cuius quum temptaret scientiam auguratus, dixit ei cogitare se quiddam: id possetne fieri consuluit. Ille augurio acto posse respondit. Tarquinius autem dixit se cogitasse cotem novacula posse praecidi. Tum Attum iussisse experiri. Ita cotem in comitium adlatam inspectante et rege et populo novacula esse discisam. Ex eo evenit ut et Tarquinius augure Atto Navio uteretur et populus de suis rebus ad eum referret. 33. Cotem autem illam et novaculam defossam in comitio supraque impositum puteal acceperimus. Negemus omnia, comburamus annales, facta haec esse dicamus, quidvis denique potius quam deos res humanae curare fateamur. Quid? quod scriptum apud te est de Ti. Graccho, nonne et augurum et haruspicum comprobant disciplinam? qui quum tabernaculum vitio cepisset imprudens, quod inauspicato pomoerium transgressus esset, comitia consulibus rogandis habuit. Nota res est et a te ipso mandata monumentis. Sed et ipse augur Ti. Gracchus auspiciorum auctoritatem confessione errati sui comproba-

vit et haruspicum disciplinae magna accessit auctoritas, qui recentibus comitiis in senatum introducti negaverunt iustum comitiorum rogatorem fuisse.

XVIII. 34. Iis igitur adsentior, qui duo genera divinationum esse dixerunt: unum quod particeps esset artis, alterum quod arte careret. Est enim ars in iis, qui novas res conjectura persequuntur, veteres observatione didicunt. Carent autem arte ii, qui non ratione aut conjectura observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi aut soluto liberoque motu futura praesentunt — quod et somniantibus saepe contingit et non numquam vaticinantibus per furorem —, ut Bacis Boeotius, ut Epimenides Cres, ut Sibylla Erythraea. Cuius generis oracula etiam habenda sunt, non ea, quae aequatis sortibus ducuntur, sed illa, quae instinctu divino adflatuque funduntur: etsi ipsa sors contemnenda non est, si et auctoritatem habet vetustatis, ut eae sunt sortes, quas e terra editas accepimus: quae tamen ductae ut in rem apte cadant fieri posse credo divinitus. Quorum omnium interpretes, ut grammatici poëtarum, proxime ad eorum, quos interpretantur, divinationem videntur accedere. 35. Quae est igitur ista calliditas res vetustate robustas calumniando velle pervertere? Non reperio causam. Latet fortasse obscuritate involuta naturae. Non enim me deus ista scire, sed his tantum modo uti voluit. Utar igitur nec adducar aut in extis totam Etruriam delirare aut eamdem gentem in fulguribus errare aut fallaciter portenta interpretari, quum terrae saepe fremitus, saepe mugitus, saepe motus multa nostrae rei publicae, multa caeteris civitatibus gravia et vera praedixerint. 36. Quid? qui irridetur, partus hic mulae nonne, quia fetus exstitit in sterilitate naturae, praeditus est ab haruspiciis incredibilis partus malorum? Quid? Ti. Gracchus P. F., qui bis consul et censor fuit, idemque et summus augur et vir sapiens civisque praestans, nonne, ut C. Gracchus filius eius scriptum reliquit, duobus angibus domi comprehensis haruspices convocavit? Qui quum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum: si feminam, ipsi, aequius esse censuit se maturam oppetere mortem quam P. Africani filiam

adolescentem: feminam emisit, ipse paucis post diebus est mortuus. XIX. Irrideamus haruspices, vanos, futilles esse dicamus, quorumque disciplinam et sapientissimus vir et eventus ac res comprobavit, contemnamus, contemnamus etiam Babylonem et eos, qui e Caucaso caeli signa servantes numeris et motibus stellarum cursus persequuntur. Condemnemus, inquam, hos aut stultitiae aut vanitatis aut impudentiae, qui cccclxx. milia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, et mentiri iudicemus nec saeculorum reliquorum iudicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere. 37. Age, barbari vani atque fallaces: num etiam Graiorum historia mentita est? Quae Croeso Pythius Apollo, ut de naturali divinatione dicam, quae Atheniensibus, quae Lacedaemoniis, quae Tegeatis, quae Argivis, quae Corinthiis responderit quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus nec ullum sine locuplete auctore atque teste: quae, quia nota tibi sunt, relinqu: defendo unum hoc. Numquam illud oraculum Delphis tam celebre et tam clarum fuisset neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum, nisi omnis aetas oraculorum illorum veritatem esset experta. Idem iam diu non facit. 38. Ut igitur nunc minore gloria est, quia minus oraculorum veritas excellit, sic tum nisi summa veritate in tanta gloria non fuisset. Potest autem vis illa terrae, quae mentem Pythiae divino adflatu concebat, evanuisse vetustate, ut quosdam exaruisse amnes aut in aliud cursum contortos et deflexos videmus. Sed, ut vis, acciderit: magna enim quaestio est: modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam perverterimus, multis saeculis verax fuisse id oraculum.

XX. 39. Sed omittamus oracula: veniamus ad somnia. De quibus disputans Chrysippus multis et minutis somniis colligendis facit idem quod Antipater, ea conquirens, quae Antiphontis interpretatione explicata declarant illa quidem acumen interpretis, sed exemplis grandioribus decuit uti. Dionysii mater, eius qui Syracusiorum tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, et doctum hominem et diligenter et aequaliter temporum illorum, quum praegnans hunc

ipsum Dionysium alvo contineret, somniavit se peperisse Satyriscum. Huic interpretes portentorum, qui Galeotatum in Sicilia nominabantur, responderunt, ut ait Philistus, eum, quem illa peperisset, clarissimum Graeciae diurna cum fortuna fore. 40. Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Graecorum poëtarum? Narrat enim et apud Ennius Vestalis illa:

*Eccita quam tremulis anus attulit artibus lumen,  
Talia tum memorat lacrimans, exterrita somno:  
Eurudica prognata, pater quam noster amavit,  
Vires vitaque corpus meum nunc deserit omne.  
Nam me visus homo pulcher per amoena salicta  
Et ripas raptare locosque novos: ita sola  
Postilla, germana soror, errare videbar  
Tardaque vestigare et quaerere te neque posse  
Corde capessere: semita nulla pedem stabilbat.*

41. *Exin compellare pater me voce videtur  
His verbis: "O gnata, tibi sunt ante ferendae  
Aerumnae, post ex fluvio fortuna resistet."  
Haec ecclat pater, germana, repente recessit  
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus:  
Quamquam multa manus ad caeli caerulea tempa  
Tendebam lacrumans et blanda voce vocabam,  
Vix aegro quum corde meo me somnus reliquit.*

XXI. 42. Haec, etiam si ficta sunt a poëta, non absunt tamen a consuetudine somniorum. Sit sane etiam illud commentarium, quo Priamus est conturbatus, quia

*... mater gravida parere se ardenter facem  
Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater  
Rex ipse Priamus somnio, mentis metu  
Perculus, curis sumptus suspirantibus,  
Exsacrificabat hostiis balantibus.  
Tum coniecturam postulat pacem petens,  
Ut se edoceret obsecrans Apollinem,  
Quo sese vertant tantae sortes somnum.  
Ibi ex oraclo voce divina edidit  
Apollo, puerum primus Priamo qui foret*

10

15

5

10

*Postilla natus, temperaret tollere:  
Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.*

43. Sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnum, quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eius modi est, ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt quaeque illi acciderunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt.

XXII. Sed propria videamus. Cuiusnam modi est Superbi Tarquinii somnum, de quo in Bruto Accii loquitur ipse?

44. *Quom iam quieti corpus nocturno impetu  
Dedi sopore placans artus languidos,  
Visust in somnis pastor ad me appellere  
Pecus lanigerum eximia pulcritudine:  
Duos consanguineos arietes inde eligi  
Praeclariorumque alterum immolare me:  
Deinde eius germanum cornibus connitier  
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari:  
Exin prostratum terra, graviter saucium,  
Resupinum in caelo contueri maximum ac  
Mirificum facinus: dextrorum orbem flammeum  
Radiatum solis liquier cursu novo.*

10

45. Eius igitur somnii a coniectoribus quae sit interpretatio facta videamus:

*Rex, quae in vita usurpant homines, cogitant, curant,  
vident,  
Quaeque agunt vigilantes agitantque, ea si cui in somno  
accidunt,  
Minus mirandum est, sed in re tanta haud temere impro-  
viso offerunt.  
Proin vide ne, quem tu esse hebetem deputes aequem ac  
pecus,  
Is sapientia munitum pectus egregium gerat  
Teque regno expellat: nam id, quod de sole ostentum  
est tibi,  
Populo commutationem rerum portendit fore*

5

*Perpropinquam. Haec bene verruncent populo. Nam  
quod ad dexteram  
Cepit cursum ab laeva signum praepotens, pulcherrime  
Auguratum est rem Romanam publicam summam fore.* 10

XXIII. 46. Ago nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor et discipulus Platonis, visam esse videre in somnis simulacula deorum, quae ipsa domi consecravisset: ex his Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere, qui quum terram attigisset, reservescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. Quod matris somnium immanis filii crudelitas comprobavit. Quid ego, quae magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dinonis Persicis proferam? Nam quum dormient ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus, quum se convolvens sol elaberetur et abiret: ei magos dixisse, quod genus sapientium et doctorum habebatur in Persis, ex triplici appetitione solis xxx. annos Cyrum regnaturum esse portendi. Quod ita contigit. Nam ad septuagesimum pervenit, quum xl. natus annos regnare coepisset. 47. Est profecto quiddam etiam in barbaris gentibus praesentiens atque divinans, si quidem ad mortem proficiens Calanus Indus, quum inscenderet in rogum ardentem: 'O praeclarum discessum' inquit 'e vita, quum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato in lucem animus excesserit!' Quumque Alexander eum rogarerit, si quid vellet, ut diceret: 'Optime' inquit 'propediem te videbo'. Quod ita contigit. Nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper a somniis, ad quae mox revertar. Qua nocte templum Ephesiae Diana deflagrit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum atque, ubi lucere coepisset, clamitasse magos pestem ac perniciem Asiae proxima nocte natam. Haec de Indis et magis. XXIV. 48. Redeamus ad somnia. Hannibalem Caelius scribit, quum columnam auream, quae esset in fano Iunonis Laciniae, auferre vellet dubitaretque utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse, quum-

que solidam invenisset statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Iunonem praedicere ne id faceret minarique, si id fecisset, se curaturam ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret, idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam et eam in summa columna collocavisse. 49. Hoc item in Sileni, quem Caelius sequitur, Graeca historia est: is autem diligentissime res Hannibal persecutus est: Hannibalem, quum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Iove in deorum concilium vocari: quo quum venisset, Iovem imperasse ut Italiae bellum inferret ducemque ei unum e concilio datum, quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse, tum ei ducem illum praecepsisse ne respiceret, illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse, tum visam beluam vastam et immanem circumPLICATAM serpentibus quacumque incederet omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere, et eum admiratum quaesisse de deo quodnam illud esset tale monstrum, et deum respondisse vastitatem esse Italiae praecepsisse ut pergeret protinus, quid retro atque a tergo fieret ne laboraret. 50. Apud Agathoem scriptum in historia est Hamilcarem Karthaginiensem, quum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem, se postridie cenaturum Syracusis: quum autem is dies illuxisset, magnam seditionem in castris eius inter Poenos et Siculos milites esse factam: quod quum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnium comprobavit. Plena exemplorum est historia, tum referta vita communis. 51. At vero P. Decius ille Q. F., qui primus e Deciis consul fuit, quum esset tribunus militum M. Valerio A. Cornelio consilibus a Samnitibusque premeretur noster exercitus, quum pericula proeliorum iniret audacius monereturque ut cautior esset, dixit, quod exstat in annalibus: sibi in somnis visum esse, quum in mediis hostibus versaretur, occidere cum maxima gloria. Et tum quidem incolmis exercitum obsidione liberavit. Post triennium autem, quum consul esset, devovit se et in aciem Latinorum irripit armatus. Quo eius

facto superati sunt et deleti Latini. Cuius mors ita gloria  
fuit, ut eamdem concupiseret filius. XXV. 52. Sed ve-  
niamus nunc, si placet, ad somnia philosophorum. Est  
apud Platonem Socrates, quum esset in custodia publica,  
dicens Critoni suo familiari sibi post tertium diem esse mori-  
endum: vidisse se in somnis pulcritudine eximia feminam,  
quae se nomine appellans diceret Homericum quemdam eius  
modi versum:

*Tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.*

Quod, ut est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socratus — qui vir et quantus! — in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia, quorum eventus mirabiles extiterunt. 53. Mentiri Xenophontem an delirare dicemus? Quid? singulari vir ingenio Aristoteles et paene divino ipsene errat an alios vult errare, quum scribit Eudemum Cyprium familiarem suum iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent: ei visum in quiete egregia facie iuvenem dicere fore ut per brevi convalesceret paucisque diebus interitulum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse redditum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, et convaluisse Eudemum et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, quum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse redditum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnum esse interpretatum, ut, quum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur. 54. Adiungamus philosophis doctissimum hominem, poëtam quidem divinum, Sophoclem, qui, quum ex aede Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem qui id fecisset. Quod semel ille iterumque neglexit. Ubi idem saepius, ascendit in Arium pagum: detulit rem. Areopagitae comprehendi iubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is quaestione

adhibita confessus est pateramque rettulit. Quo facto famum illud Indicis Herculis nominatum est.

XXVI. 55. Sed quid ego Graecorum? Nescio quo modo me magis nostra delectant. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Caelius. Quum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt. Qui ante quam fierent quumque iam populus consedisset, servus per circum, quum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin eidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret praesulem sibi non placuisse ludis idque ab eodem iussum esse eum senatui nunciare: illum non esse ausum. Iterum esse idem iussum et monitum ne vim suam experiri vellet: ne tum quidem esse ausum. Exin filium eius esse mortuum, eamdem in somnis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in euriam esse delatum, quumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu ludos illos iterum instauratos memoriae proditum est. 56. C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eumdem Caelium est, sibi in somnis quaesturam non petenti Ti. fratrem visum esse dicere, quam vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc, ante quam tribunus plebi C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Caelius et dixisse multis. Quo somnio quid inveniri potest certius?

XXVII. Quid? illa duo somnia, quae creberrime commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? unum de Simonide: qui quum ignotum quemdam projectum mortuum vidisset eumque humavisset haberetque in animo navem descendere, moneri visus est ne id faceret ab eo, quem sepultura adfecerat: si navigasset, eum naufragio esse peritum: itaque Simonidem redisse, perisse caeteros, qui tum navigassent. 57. Alterum ita traditum, clarum admodum somnium. Quum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem alterum. Qui ut cenati quiesce-

rent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur: eum primo perterritum somnio surrexisse: dein quum se collegisset idque visum pro nihil habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eumdem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur, se interfectum in plaustrum a caupone esse coniectum et supra stercus injectum, petere ut mane ad portam adesset, prius quam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero eum somnio commotum mane bubulco praesto ad portam fuisse, quae sisse ex eo quid esset in plastro: illum perterritum fuisse, mortuum erutum esse, cauponem re patefacta poenas dedisse.

XXVIII. 58. Quid hoc somnio dici potest divinius? Sed quid aut plura aut vetera quaerimus? Saepe tibi meum narravi, saepe ex te audivi tuum somnum: me, quum Asiae provinciae praeessem, vidisse in quiete, quum tunc equo advectus ad quamdam magni fluminis ripam, provectus subito atque delapsus in flumen, nusquam apparuisses, me contremuisse timore perterritum: tum te repente laetum existisse eodemque equo adversam ascendisse ripam nosque inter nos esse complexos. Facilis conjectura huius somnii, mihi que a peritis in Asia praedictum est fore eos eventus rerum, qui acciderunt. 59. Venio nunc ad tuum. Audivi equidem ex te ipso, sed mihi saepius noster Sallustius narravit, quum in illa fuga nobis gloria, patriae calamitosa in villa quadam campi Atinatis maneres magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arte et graviter dormitare coepisse. Itaque, quamquam iter instaret, te tamen silentium fieri iussisse neque esse passum te excitari: quum autem experrectus esses hora secunda fere, te sibi somnum narravisse: visum tibi esse, quum in locis solis maestus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quaerere ex te quid tristis esses, quumque tu te patria vi pulsum esse dixisses, prehendisse eum dexteram tuam et bono animo te iussisse esse lictorique proximo tradidisse, ut te in monumentum suum duceret, et dixisse in eo tibi salutem

fore. Tum et se exclamasse Sallustius narrat redditum tibi celerem et gloriosum paratum et te ipsum visum somnio delectari. Nam illud mihi ipsi celeriter nunciatum est, ut audiisset in monumento Marii de tuo reditu magnificentissimum illud senatus consultum esse factum referente optimo et clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro incredibili clamore et plausu comprobatum, dixisse te nihil illo Atinati somnio fieri posse divinias.

XXIX. 60. At multa falsa. Immo obscura fortasse nobis. Sed sint falsa quaedam, contra vera quid dicimus? quae quidem multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus. Nunc onusti cibo et vino perturbata et confusa cernimus. Vide quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Dicit enim: 'Quum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis sit particeps, sopita langueat, illa autem, in qua feritas quaedam sit atque agrestis immanitas, quum sit immoderato tumefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno immoderateque iactari. Itaque huic omnia visa obiiciuntur a mente ac ratione vacua, ut aut cum matre corpus miscere videatur aut cum quovis alio vel homine vel deo, saepe belua, atque etiam trucidare aliquem et impie cruentari multaque facere impure atque taetre cum temeritate et impudentia. 61. At qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta saturataque bonarum cogitationum epulis, eaque parte animi quae voluptate alitur, nec inopia enecta nec satietate adfluenti — quorum utrumque praestringere aciem mentis solet, sive deest naturae quippam sive abundat atque adfluit —, illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata atque restincta, tum eveniet duabus animi temerariis partibus compressis ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat et se vegetam ad somniandum acremque praebeat, tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia.' Haec verba ipsa Platonis expressi. XXX. 62. Epicurum igitur audiemus potius? Namque Carneades concertationis studio modo ait hoc, modo illud. At ille quid sentit? Sentit autem nihil umquam elegans nihil decorum. Hunc ergo antepones Platoni et So-

erati? qui ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minatos philosophos vincerent. Iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus adfectis, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque adferat. Ex quo etiam Pythagoriis interdictum putatur ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus tranquillitati mentis quaerentis vera contrariam. 63. Quum ergo est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura praevidet. Iacet enim corpus dormientis ut mortui, viget autem et vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, quum omnino corpore excesserit. Itaque appropinquate morte multo est divinior. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero adfecti, instare mortem. Itaque his occurunt plerumque imagines mortuorum, tumque vel maxime laudi student, eosque, qui secus quam decuit vixerunt, peccatorum suorum tum maxime poenitent. 64. Divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Posidonius, quo adfert Rhodium quemdam morientem sex aequales nominasse et dixisse qui primus eorum, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus esset. Sed tribus modis censet deorum appulsu homines somniare: uno quod praevideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognitione teneatur, altero quod plenus aer sit immortalium animorum, in quibus tamquam insignitae notae veritatis apparent, tertio quod ipsi di cum dormientibus colloquantur. Idque, ut modo dixi, facilius evenit appropinquate morte, ut animi futura augurentur. 65. Ex quo et illud est Calani, de quo ante dixi, et Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denunciat. XXXI. Neque enim illud verbum temere consuetudo approbavisset, si ea res nulla esset omnino:

*Praesagibat animus frustra me ire, quum exirem domo.*

'Sagire' enim sentire acute est: ex quo 'sagae' anus, quia multa scire volunt, et 'sagaces' dicti canes. Is igitur, qui ante sagit quam oblata res est, dicitur praesagire, id est, futura ante sentire.

66. Inest igitur in animis praesagatio extrinsecus inecta

ataque inclusa divinitus. Ea si exarsit acerius, furor appellatur, quum a corpore animus abstractus divino instinctu concilitatur.

*H. Sed quid oculis rabere visa es derepente ardentibus?*

*Ubi illa tua paullo ante sapiens virginalis modestia?*

*C. Mater, optumarum multo mulier melior mulierum,*

*Missa sum superstitionis hariolationibus:*

*Namque Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.*

*Virgines aequales vereor, patris mei meum factum pudebit,*

*Optimi viri. Mea mater, tui me miseret, mei piget.*

*Optumam progeniem Priamo peperisti extra me: hoc dolet;*

*Men obesse, illos prodesse, me obstare, illos obsequi.*

O poëma tenerum et moratum atque molle! Sed hoc minus ad rem. 67. Illud, quod volumus, expressum est, ut vaticinari furor vera soleat.

*Adest, adest fax oboluta sanguine atque incendio!*

*Multos annos latuit: cives, ferte opem et restinguite.*

Deus inclusus corpore humano iam, non Cassandra loquitur:

*Iamque mari magno classis cita*

*Texitur: exitium examen rapit:*

*Adveniet, fera velivolantibus*

*Navibus complebit manus littora.*

XXXII. 68. Tragoedias loqui videor et fabulas. At ex te ipso non commenticiam rem, sed factam eiusdem generis audivi: C. Coponium ad te venisse Dyrrachio, quum praetorio imperio classi Rhodiae praeesset, cum primis hominem prudentem atque doctum, eumque dixisse remigem quemdam e quinqueremi Rhodiorum vaticinatum madefactum iri minus xxx diebus Graeciam sanguine, rapinas Dyrrachii et concessionem in naves cum fuga fugientibusque misericordem respectum incendiorum fore, sed Rhodiorum classis propinquum redditum ac domum itionem dari: tum neque te ipsum non esse commotum Marcumque Varronem et M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos: paucis sane post diebus ex Pharsalica fuga venisse Labienum: qui quum interitum exercitus nunciavisset, reliqua vaticinationis brevi esse confecta. 69. Nam et ex

horreis direptum effusumque frumentum vias omnes angiportusque constraverat et naves subito perterriti metu concendiatis et noctu ad oppidum respicientes flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, videbatis, postremo a Rhodia classe deserti verum vatem fuisse sensistis.

70. Exposui quam brevissime potui somnii et furoris oracula, quae carere dixeram arte. Quorum amborum generum una ratio est, qua Cratippus noster uti solet, animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos et haustos. Ex quo intelligitur esse extra divinum animum humanus unde ducatur, humani autem animi eam partem, quae sensum, quae motum, quae appetitum habeat, non esse ab actione corporis seiugatam: quae autem pars animi rationis atque intelligentiae sit particeps, eam tum maxime vigere, quum plurimum absit a corpore. 71. Itaque expositis exemplis verarum vaticinationum et somniorum Cratippus solet rationem concludere hoc modo: 'Si sine oculis non potest extare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere, qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis extare, potest autem quis, quum divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere, satis est ad confirmandam divinationem semel aliquid esse ita divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur. Sunt autem eius generis innumerabilia, esse igitur divinationem confitendum est.'

XXXIII. 72. Quae vero aut conjectura explicantur aut eventis animadversa et notata sunt, ea genera divinandi, ut supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur: in quo haruspices, augures conjectoresque numerantur. Haec improbantur a Peripateticis, a Stoicis defenduntur. Quorum alia sunt posita in monumentis et disciplina, quod Etruscorum declarant et haruspicini et fulgurales et tonitruales libri, vestri etiam augurales, alia autem subito ex tempore conjectura explicantur, ut apud Homerum Calchas, qui ex passum numero belli Troiani annos auguratus est et ut in

Sullae scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, ut quum Sulla in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emerget, quum quidem C. Postumius haruspex oraret illum, ut in expeditiōnē exercitum educeret: id quum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitium castra cepit. 73. Facta conjectura etiam in Dionysio est paullo ante quam regnare coepit: qui quum per agrum Leontinum iter faciens equum ipse demisisset in flumen, submersus equus voraginibus non exstitit: quem quum maxima contentione non potuisset extrahere, discessit, ut ait Philistus, aegre ferens. Quum autem aliquantulum progressus esset, subito exaudivit hinnitum respxitque et equum alacrem laetus aspexit, cuius in iuba examen apium considerat. Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare cooperit. XXXIV. 74. Quid? Lacedaemoniis, paullo ante Leuctricam calamitatem, quae significatio facta est, quum in Herculis fano arma sonuerunt Herculisque simulacrum multo sudore manavit? At eodem tempore Thebis, ut ait Callisthenes, in templo Herculis valvae clausae repagulis subito se ipsae aperuerunt, armaque, quae fixa in parietibus fuerant, ea sunt humi inventa. Quumque eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic adsidue canere coepisse, ut nihil intermitterent: tum augures dixisse Boeotios Thebanorum esse victoriam, propterea quod avis illa victa silere soleret: canere, si viciasset. 75. Eademque tempestate multis signis Lacedaemoniis Leuctricae pugnae calamitas denunciabatur. Namque et in Lysandri, qui Lacedaemoniorum clarissimus fuerat, statua, quae Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus, stellaeque aureae, quae Delphis erant a Lacedaemoniis positae post navalem illam victoriam Lysandri, qua Athenienses conciderunt, qua in pugna quia Castor et Pollux cum Lacedaemoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellae aureae, quas dixi, Delphis positae, paullo ante Leuctricam pugnam deciderunt neque repartae sunt. 76. Maximum vero illud portentum iisdem Spartiatis fuit, quod, quum oraculum ab

Iove Dodonaeo petivissent de victoria sciscitantes legati que [vas] illud, in quo inerant sortes, collocavissent, simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortes psas et caetera, quae erant ad sortem parata, disturbavit et aliud alio dissipavit. Tum ea, quae praeposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur de salute Lacedaemoniis esse, non de victoria cogitandum. XXXV. 77. Quid? bello Punico secundo nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum magna cum clade rei publicae? Qui exercitu lustrato quum Arretium versus castra movisset et contra Hannibalem legiones duceret, et ipse et equus eius ante signum Iovis Statoris sine causa repente concidit nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret proelium. Idem quum tripudio auspicaretur, pullarius diem proelii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quaequivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Quum ille quiescendum respondisset, Flaminius: 'Praeclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur.' Itaque signa convelli et se sequi iussit. Quo tempore quum signifer primi hastati signum non posset mouere loco nec quidquam proficeretur, plures quum accederent, Flaminius re nunciata suo more neglexit. Itaque tribus horis concitus exercitus atque ipse interfectus est. 78. Magnum illud etiam, quod addidit Caelius, eo tempore ipso, quum hoc calamitosum fieret proelium, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multis oppida corruerint, multis locis labes factae sint terraeque desiderint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit. XXXVI. Fiunt certe divinationum conjecturae a peritis. Midae illi Phrygi, quum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt. Divitissimum fore praedictum est: quod evenit. At Platonii quum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est singulari illum suavitate orationis fore. Ita futura eloquentia provisa in infante est. 79. Quid? amores ac deliciae tuae Roscius num aut ipse aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? Qui quum esset in cunabulis educare-

turque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu lumine apposito experrecta nutrix animadvertisit puerum dormientem circumPLICatum serpentis amplexu. Quo aspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscius ad haruspices retulit, qui responderunt nihil illo puero clarus, nihil nobilis fore. Atque hanc speciem Pasiteles caelavit argento et noster expressit Archias versibus. Quid igitur exspectamus? an, dum in foro nobiscum di immortales, dum in viis versentur, dum domi? qui quidem ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe lateque diffundunt, quam tum terrae cavernis includunt, tum hominum naturis implicant. Nam terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. Quid enim? non videmus quam sint varia terrarum genera, ex quibus et mortifera quaedam pars est, ut et Ampsancti in Hirpinis et in Asia Plutonia, quae vidimus, et sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres, aliae quae acuta ingenia gignant, aliae quae retunsa: quae omnia fiunt et ex caeli varietate et ex dispari aspiratione terrarum.

80. Fit etiam saepe specie quadam, saepe vocum gravitate et cantibus ut pellantur animi vehementius, saepe etiam cura et timore, qualis est illa

*Flexanima tamquam lymphata aut Bacchi sacris  
Commota in tumulis Teucrum commemorans suum.*

XXXVII. Atque etiam illa concitatio declarat vim in animis esse divinam. Negat enim sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse, quod idem dicit Plato. Quem, si placet, appellat furem, dum modo is furor ita laudetur, ut in Phaedro Platonis laudatus est. Quid? vestra oratio in causis, quid? ipsa actio potest esse vehemens et gravis et copiosa, nisi est animus ipse commotior? Evidem etiam in te saepe vidi et, ut ad leviora veniamus, in Aesopo familiari tuo tantum ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quaedam abstraxisse a sensu mentis videretur.

81. Obiiciuntur etiam saepe formae, quae reapse nullae sunt, speciem autem offerunt: quod contigisse Brenno dicitur eiusque Gallicis copiis, quum fano Apollinis Delphici

nesarium bellum intulisset. Tum enim ferunt ex oraculo ec-fatam esse Pythiam:

*Ego providebo rem istam et aliae virgines.*

Ex quo factum ut viderentur virgines ferre arma contra et nive Gallorum obrueretur exercitus. XXXVIII. Aristoteles quidem eos etiam, qui valetudinis vitio furerent et melancholi dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens atque divinum. Ego autem haud scio an nec cardiacis hoc tribuendum sit nec phreneticis: animi enim integri, non vi-tiosi corporis est divinatio.

82. Quam quidem esse re vera hac Stoicorum ratione con-cluditur: 'Si sunt di neque ante declarant hominibus quae futura sint, aut non diligunt homines aut quid eventurum sit ignorant aut existimant nihil interesse hominum scire quid sit futurum aut non censem esse suae maiestatis praesignifi-care hominibus quae sint futura aut ea ne ipsi quidem di-significare possunt. At neque non diligunt nos — sunt enim benefici generique hominum amici —, neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta et designata sunt, neque nostra nihil interest scire ea, quae eventura sunt — erimus enim cautiores, si sciemus, neque hoc alienum ducunt maiestate sua, nihil est enim beneficentia praestantius —, neque non possunt futura praenoscere. 83. Non igitur sunt di nec significant futura. Sunt autem di, significant ergo. Et non, si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiam — frusta enim significant —, nec, si dant vias, non est divinatio: est igitur divinatio.'

XXXIX. 84. Hac ratione et Chrysippus et Diogenes et Antipater utitur. Quid est igitur cur dubitandum sit quin sint ea, quae disputavi, verissima, si ratio mecum facit, si evenia, si populi, si nationes, si Graeci, si barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poëtae, si sapientissimi viri, qui res publicas constituerunt, qui urbes considerunt? An dum bestiae loquantur exspectamus, hominum consentiente auctoritate contenti non sumus? 85. Nec vero quidquam aliud adfertur cur ea, quae dico, divinandi genera nulla sint, nisi

quod difficile dictu videtur quae cuiusque divinationis ratio, quae causa sit. Quid enim habet haruspex cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus et proferat diem? quid augur cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? quid astrologus cur stella Iovis aut Veneris coniuncta cum Luna ad ortus puerorum salutaris sit, Saturni Martisve contraria? cur autem deus dormientes nos moneat, vigilantes negligat? Quid deinde causae est cur Cassandra furens futura prospiciat, Priamus sapiens hoc idem facere non queat? 86. Cur fiat quidque quaeris? Recte omnino. Sed non nunc id agitur. Fiat necne fiat, id quaeritur. Ut, si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se adliciat et atrahat, rationem cur id fiat adserre nequeam, fieri omnino neges. Quod idem facis in divinatione, quam et cernimus ipsi et audimus et legimus et a patribus accepimus: neque ante philosophiam patefactam, quae nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit, et, postea quam philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. 87. Dixi de Pythagora, de Democrito, de So-crato, excepti de antiquis praeter Xenophanem neminem, ad iunxi veterem Academiam, Peripateticos, Stoicos. Unus dissentit Epicurus. Quid vero hoc turpius quam quod idem nullam censem gratuitam esse virtutem?

XL. Quis est autem quem non moveat clarissimis monu-mentis testata consignataque antiquitas? Calchanted augu-rem scribit Homerus longe optimum eumque ducem classium fuisse ad Ilium, auspiciorum credo scientia, non locorum. 88. Amphilius et Mopsus Argivorum reges fuerunt, sed iidem augures, eique urbes in ora maritima Ciliciae Graecas condi-derunt. Atque etiam ante hos Amphiaraus et Tiresias, non humiles et obscuri neque eorum similes, ut apud Ennium est,

*Qui sui quaestus causa factas suscitant sententias,*

sed clari et praestantes viri, qui avibus et signis admoniti futura dicebant. Quorum de altero etiam apud inferos Ho-merus ait 'solum sapere, caeteros umbrarum vagari modo.' Amphiaraum autem sic honoravit fama Graeciae, deus ut haberetur atque ut ab eius solo, in quo est humatus, ora-

cula peterentur. 89. Quid? Asiae rex Priamus nonne et Helenum filium et Cassandram filiam divinantes habebat alterum auguriis, alteram mentis incitatione et permotione divina? Quo in genere Marcios quosdam fratres, nobili loco natos, apud maiores nostros fuisse scriptum videmus. Quid? Polyidum Corinthium nonne Homerus et aliis multa et filio ad Troiam proficiscenti mortem praedixisse commemorat? Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant. Ut enim sapere, sic divinare regale ducebant, ut testis est nostra civitas, in qua et reges augures et postea privati eodem sacerdotio praediti rem publicam religionum auctoritate rexerunt. XLI. 90. Eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est, si quidem et in Gallia Druidae sunt, e quibus ipse Divitiacum Aedium hospitem tuum laudatoremque cognovi, qui et naturae rationem, quam φυσιολογίαν Graeci appellant, notam esse sibi profitebatur et partim auguriis, partim coniectura quae essent futura dicebat, et in Persis augurantur et divinant Magi, qui congregantur in fano commentandi causa atque inter se colloquendi, quod etiam idem vos quondam facere Nonis solebatis. 91. Nec quisquam rex Persarum potest esse qui non ante magorum disciplinam scientiamque percepit. Licet autem videre et genera quaedam et nationes huic scientiae deditas. Telmessus in Caria est, qua in urbe excellit haruspicum disciplina. Itemque Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram Clitudarum, haruspicinae nobilitate praestantes. In Syria Chaldaei cognitione astrorum sollertiaque ingeniorum antecellunt. 92. Etruria autem de caelo tacta scientissime animadvertisit, eademque interpretatur quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud maiores nostros senatus tum, quum florebat imperium, decrevit ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam tradarentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quaestum. Phryges autem et Pisidae et Cilices et Arabum natio avium significationibus plurimum obtemperant, quod idem factitatum in Umbria accepimus.

XLII. 93. Ac mihi quidem videntur e locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur, divinationum opportunitates esse ductae. Etenim Aegyptii et Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, quum ex terra nihil emineret quod contemplationi caeli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt, Etrusci autem, quod religione imbuti studiosius et crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt, quodque propter aëris crassitudinem de caelo apud eos multa siebant et quod ob eamdem causam multa inusitata partim e caelo, alia ex terra oriebantur, quaedam etiam ex hominum pecudumve conceptu [et satu], portentorum exercitatissimi interpretes exsiterunt. Quorum quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a maioribus posita declarant. Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. 94. Arabes autem et Phryges et Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos et montes hieme et aestate peragrantes, propterea facilis cantus avium et volatus notaverunt. Eademque et Pisidiae causa fuit et huic nostrae Umbriae. Tum Caria tota praecipueque Telmesses, quos ante dixi, quod agros uberrimos maximeque fertiles incolunt, in quibus multa propter secunditatem fingi gignique possunt, in ostentis animadver- tendis diligentes fuerunt.

XLIII. 95. Quis vero non videt in optima quoque re publica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuisse? Quis rex umquam fuit, quis populus qui non uteretur praedictione divina? neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis, quo maius erat certamen [et discrimen] salutis. Omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis [dum habent auspicia]. Externa videamus. Namque et Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos μάρτυες vocant, adhibuerunt, et Lacedaemonii regibus suis augurem adsessorem dederunt, itemque senibus — sic enim consilium publicum appellant — augurem interesse voluerunt, iidemque de rebus maioribus semper aut Delphis oraculum aut ab Hammone aut a Dodona petebant. 96. Lycurgus quidem,

qui Lacedaemoniorum rem publicam temperavit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. Quas cum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam, qui praeerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis in Pasiphaei fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant. 97. Ad nostra iam redeo. Quotiens senatus decemviros ad libros ire iussit, quantis in rebus quamque saepe responsis haruspicum paruit! Nam et quum duo visi soles essent et quum tres lunae et quum faces et quum sol nocte visus esset et quum e caelo fremitus auditus et quum caelum discessisse visum est atque in eo animadversi globi. Delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desedisset Apuliaque maximis terrae motibus conquassata esset, quibus portentis magna populo Romano bella perniciosaque seditiones denunciabantur. Inque his omnibus responsa haruspicum cum Sibyllae versibus congruebant. 98. Quid? quum Cumis Apollo sudavit, Capuae Victoria? quid? orfus androgyni nonne fatale quoddam monstrum fuit? quid? quum fluvius Atratus sanguine fluxit? quid? quum saepe lapidum, sanguinis non numquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber defluxit? quid? quum in Capitolio ictus Centaurus e caelo est, in Aventino portae et homines, Tusculi aedes Castoris et Pollucis Romaeque Pietatis? Nonne et haruspices ea responderunt, quae evenerunt, et in Sibyllae libris eadem repertae praedictiones sunt? XLIV. 99. Caeciliae Q. filiae somnio modo Marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitiae restitutum. Quod quidem somnum Sisenna quum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse, tum insolenter, credo ab Epicurio aliquo inductus, disputat somniis credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat exponitque initio belli Marsici et deorum simulacra sudavisse et sanguinem fluxisse et discessisse caelum et ex occulto auditas esse voces, quae pericula belli nunciant, et Lanuvii clipeos, quod haruspibus tristissimum visum esset, a muribus esse derosos. 100. Quid? quod in annalibus habemus Veienti bello, quum lacus Albanus praeter

modum crevisset, Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugisse eumque dixisse ex fatis, quae Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret, et, si lacus emissus lapsu et cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo Romano: sin autem ita esset eductus, ut ad mare pervenire non posset, tum salutare nostris fore. Ex quo illa admirabilis a maioribus Albanae aquae facta deductio est. Quum autem Veientes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur non omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere: in iisdem enim fatis scriptum Veientes habere 'fore ut brevi a Gallis Roma caperetur', quod quidem sexenio post Veios captos esse factum videmus. XLV. 101. Saepe etiam et in proeliis Fauni auditi et in rebus turbidis veridiae voces ex occulto missae esse dicuntur. Cuius generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima. Nam non multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestae, qui a Palati radice in novam viam devexus est, 'ut mur et portae reficerentur: futurum esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur.' Quod neglectum, quum caveri poterat, post acceptam illam maximam cladem expiatum est. Ara enim Aio Loquenti, quam saeptam videmus, exadversus eum locum consecrata est. Atque etiam scriptum a multis est, quum terrae motus factus esset, 'ut sue plena procuratio fieret', vocem ab aede Iunonis ex arce exstisset: quocirca Iunonem illam appellatam Monetam. Haec igitur et a dis significata et a nostris maioribus iudicata contemnimus?

102. Neque solum deorum voces Pythagorei observaverunt, sed etiam hominum quae vocant omnia. Quae maiores nostri quia valere censebant, idecirco omnibus rebus agendis: 'Quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset', praefabantur, rebusque divinis, quae publice fierent, ut 'faverent linguis' imperabatur, inque feriis imperandis ut 'litibus et iurgiis se abstinerent'. Itemque in lustranda colonia ab eo, qui eam deduceret, et quum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent eligebantur. Quod idem in dilectu consu-

les observant, ut primus miles fiat bono nomine. 103. Quae quidem a te scis et consule et imperatore summa religione esse servata. Praerogativam etiam maiores omen iustum comitiorum esse voluerunt. XLVI. Atque ego exempla omnium nota proferam. L. Paullus consul iterum, quem ei bellum ut cum rege Perse gereret obtigisset, ut ea ipsa die domum ad vesperum rediit, filiolam suam Tertiam, quae cum erat admodum parva, osculans animum advertit tristicum. 'Quid est?' inquit, 'mea Tertia? quid tristis es?' - 'Mi pater' inquit, 'Persa perii.' — Tum ille artius puellam complexus: 'Accipio omen' inquit 'mea filia.' Erat autem mortuus catellus eo nomine. 104. L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audivi, quem diceret Caeciliam Metelli, quem vellet sororis suae filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa, quod fieri more veterum solebat. Quum virgo staret et Caecilia in sella sederet neque diu ulla vox exstitisset, puellam defetigatam petisse a matertera, ut sibi concederet paullisper ut in eius sella requiesceret, illam autem dixisse: 'Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes.' Quod omen res consecuta est. Ipsa enim brevi mortua est, virgo autem nupsit cui Caecilia nupta fuerat. Haec posse contemni vel etiam rideri praeclare intelligo, sed id ipsum est deos non putare, quae ab iis significantur contemnere.

XLVII. 105. Quid de auguribus loquar? Tuae partes sunt tuum, inquam, auspiciorum patrocinium debet esse. Tibi App. Claudius augur consuli nunciavit addubitato Salutis augurio bellum domesticum triste ac turbulentum fore: quod paucis post mensibus exortum paucioribus a te est diebus oppressum. Cui quidem auguri vehementer adsentior. Solus enim multorum annorum memoria non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam. Quem irridebant collegae tui eumque tum Pisidam, tum Soranum augurem esse dicebant. Quibus nulla videbatur in auguriis aut auspiciis praesensio aut scientia veritatis futurae, sapienter aiebant ad opinionem imperitorum esse fictas religiones. Quod longe secus est: neque enim in pastoribus illis, quibus Romulus praefuit, nec in ipso Romulo haec calliditas esse potuit, ut

ad errorem multitudinis religionis simulacra fingerent. Sed difficultas laborque discendi disertam negligentiam reddidit. Malunt enim disserere nihil esse in auspiciis quam quid sit ediscere. 106. Quid est illo auspicio divinius, quod apud te in Mario est? ut utar potissimum te auctore:

*Hic Iovis altisoni subito pinnata satelles  
Arboris e trunko serpentis saucia morsu  
Subrigit ipsa feris transfigens unguibus anguem  
Semianimum et varia graviter cervice micantem.  
Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans, 5  
Iam satiata animos, iam duros ulta dolores,  
Abiuci efflantem et laceratum adfigit in unda,  
Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.  
Hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem  
Conspexit Marius, divini numinis augur,  
Faustaque signa suae laudis redditusque notavit,  
Partibus intonuit caeli pater ipse sinistris.  
Sic aquilae clarum firmavit Iuppiter omen.*

XLVIII. 107. Atque ille Romuli auguratus pastoralis, non urbanus fuit, nec fictus ad opiniones imperitorum, sed a certis acceptus et posteris traditus. Itaque Romulus augur, ut apud Ennum est, cum fratre item augure,

*Curantes magna cum cura tum cupientes  
Regni dant operam simul auspicio augurioque.  
Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam  
Solus avem servat. At Romulus pulcer in alto  
Quaerit Aventino, servat genus altivolantum. 5  
Certabant urbem Romam Remoramne vocarent.  
Omnibus cura viris ute ritter esset induperator.  
Exspectant veluti, consul quum mittere signum  
Vult, omnes avidi spectant ad carceris oras,  
108. Quam mox emittat pictis e faucibus currus:  
Sic exspectabat populus atque ora tenebat  
Rebus, utri magni victoria sit data regni.  
Interea sol albus recessit in infera noctis.  
Exin candida se radiis dedit icta foras lux.  
Et simul ex alto longe pulcherrima praepes 15  
11\**

*Laeva volavit avis: simul aureus exoritur sol.  
Cedunt de caelo ter quattor corpora sancta  
Avium, praepetibus sese pulcrisque locis dant.  
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,  
Auspicio regni stabilita scamna solumque.* 20

XLIX. 109. Sed unde huc digressa est, eodem redeat oratio. Si nihil queam disputare quam ob rem quidque fiat et tantum modo fieri ea, quae commemoravi, doceam, parumne Epicuro Carneadive respondeam? Quid? si etiam ratio exstat artificiosae praesensionis facilis, divinae autem paullo obscurior? Quae enim extis, quae fulguribus, quae portentis, quae astris praesentiuntur, haec notata sunt observatione diurna. Adfert autem vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam: quae potest esse etiam sine motu atque impulsu deorum, quum quid ex quoque eveniat et quid quamque rem significet crebra animadversione perspectum est. 110. Altera divinatio est naturalis, ut ante dixi: quae physica disputandi subtilitate referenda est ad naturam deorum, a qua, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos habemus, quumque omnia completa et referta sin aeterno sensu et mente divina, necesse est cognitione divinorum animorum animos humanos commoveri. Sed vigilantes animi vitae necessitatibus serviunt disiunguntque se a societate divina vincis corporis impediti. 111. Rarum est quoddam genus eorum, qui se a corpore avocent et ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur. Horum sunt auguria non divini impetus, sed rationis humanae: nam et natura futura praesentiunt, ut aquarum eluviones et deflagrationem futuram aliquando caeli atque terrarum. Alii autem in re publica exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem tyrannidem multo ante prospiciunt: quos prudentes possumus dicere, id est, prvidentes, divinos nullo modo possumus, non plus quam Milesium Thalem, qui, ut obiurgatores suos convinceret ostenderetque etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, ante quam florere coepisset, in agro Milesio coëmissæ dicitur. 112. Ani-

madverterat fortasse quadam scientia olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem solis, quae Astyage regnante facta est, praedixisse fertur. L. Multa medici, multa gubernatores, agricolae etiam multa praesentiunt, sed nullam eorum divinationem voco, ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedaemonii sunt, ut urbem et tecta linquerent armatique in agro excubarent, quod terrae motus instaret, tum, quum et urbs tota corruit et ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis avulsa est. Ne Pheracydes quidem ille Pythagorae magister potius divinus habebitur quam physicus, quod, quum vidisset haustam aquam de iugi puteo, terrae motus dixit instare. 113. Nec vero umquam animus hominis naturaliter divinat, nisi quum ita solitus est et vacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore. Quod autem vatis contingit aut dormientibus. Itaque ea duo genera a Dicaearcho probantur et, ut dixi, a Cratippo nostro. si propterea, quod ea proficiscuntur a natura, sint summa sane, modo ne sola: sin autem nihil esse in observatione putant, multa tollunt, quibus vitae ratio continetur. Sed quoniam dant aliquid idque non parvum vaticinationes cum somniis, nihil est quod cum his magno opere pugnemus, praesertim quum sint qui omnino nullam divinationem probent. 114. Ergo et ii, quorum animi spretis corporibus evolant atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati atque incitati cernunt illa profecto, quae vaticinantes prænunciant, multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhaerent, ut ii, qui sono quodam vocum et Phrygiis cantibus incitantur. Multos nemora silvaeque, multos amnes aut maria commovent, quorum furibunda mens videt ante multo quae sunt futura. Quo de genere illa sunt:

*Eheu videte!*

*Iudicabit inclutum iudicium inter deas tris aliquis:  
Quo iudicio Lacedaemonia mulier, Furiarum una, ad-  
veniet.*

Eodem enim modo multa a vaticinantibus saepe praedicta sunt, neque solum verbis, sed etiam

*Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant.*

115. Similiter Marcius et Publicius vates cecinisse dicuntur. Quo de genere Apollinis opera prolata sunt. Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum quibus inflatae mentes oracula funderent.

116. Atque haec quidem vatum ratio est, nec dissimilis sane somniorum. Nam quae vigilantibus accidenti vatis, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in somnis, liberque est sensibus et omni impeditione curarum iacente et mortuo paene corpore. Qui quia vixit ab omni aeternitate versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia, quae in natura rerum sunt, videt, si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est affectus, ut sopito corpore ipse viglet. Haec somniantis est divinatio. 116. Hic magna quaedam exoritur neque ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphontis interpretatio, eodemque modo et oraculorum et vaticinationum sunt explanatores, ut grammatici poëtarum. Nam ut aurum et argentum, aes, ferrum frustra natura divina genuisset, nisi eadem docuisset quem ad modum ad eorum venas perveniretur, nec fruges terrae bacave arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus et conditiones tradidisset: materia deinde quid iuvaret, nisi confectionis eius fabricam haberemus? sic cum omni utilitate, quam di hominibus dederunt, ars aliqua coniuncta est, per quam illa utilitas percipi possit. Item igitur somniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum.

117. Quo modo autem aut vates aut somniantes ea videant, quae nusquam etiam tunc sint, magna quaestio est. Sed explorata si sint ea, quae ante quaeri debeant, sint haec, quae quaerimus, faciliora. Continet enim totam hanc quaestionem ea ratio, quae est de natura deorum, quae a te secundo libro est explicata dilucide. Quam si obtinemus, stabit illud, quod hunc locum continet, de quo agimus: 'esse deos et eorum providentia mundum administrari eosdemque consulere rebus humanis nec solum universis, verum etiam singulis.' Haec si tenemus, quae mihi quidem non videntur posse convelli, profecto hominibus a dis futura signifi-

cari necesse est. LII. 118. Sed distinguendum videtur quoniam modo. Nam non placet Stoicis singulis iecorum fissis aut avium cantibus interesse deum: neque enim decorum est nec dis dignum nec fieri ullo pacto potest, sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrent. alia in extis, alia in avibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furentium vocibus. Ea quibus bene percepta sunt, ii non saepe falluntur. Male coniecta maleque interpretata falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscientia. Hoc autem posito atque concessso, esse quamdam vim divinam hominum vitam continentem, non difficile est, quae fieri certe videmus, ea qua ratione fiant suspicari. Nam et ad hostiam diligendam potest dux esse vis quaedam sentiens, quae est toto confusa mundo, et tum ipsum, quum immolare velis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid aut supersit: parvis enim momentis multa natura aut adfingit aut mutat aut detrahit. 119. Quod ne dubitare possumus, maximo est arguento quod paulo ante interitum Caesaris contigit: qui quum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit et cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal quod sanguinem habeat sine corde esse posse? Qua ille rei novitate [non est] percensus, quum Spurinna diceret timendum esse ne et consilium et vita deficeret: earum enim rerum utrumque a corde proficiisci. Postero die caput in iecore non fuit. Quae quidem illi portendebantur a dis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret. Quum igitur eae partes in extis non reperiuntur, sine quibus victima illa vivere nequisset, intelligendum est in ipso immolationis tempore eas partes, quae absint, interisse. LIII. 120. Eademque efficit in avibus divina mens, ut tum hoc, tum illuc volent alites, tum in hac, tum in illa parte se occultent, tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. Nam si omne animal, ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino, membraque quocumque vult flectit, conterquet, porrigit, contrahit, eaque ante efficit paene quam cogitat, quanto id deo est facilius, cuius numini parent

omnia? 121. Idemque mittit et signa nobis eius generis, qualia permulta historia tradidit, quale scriptum illud videamus: si luna paullo ante solis ortum defecisset in signo Leonis, fore ut armis Darius et Persae ab Alexandro et Macedonibus proelio vincerentur Dariusque moreretur, et, si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam et adulterium domi, et, si mulier leonem peperisse visa esset, fore ut ab exteris gentibus vinceretur ea res publica, in qua id contigisset. Eiusdem generis etiam illud est, quod scribit Herodotus, Croesi filium, quum esset infans, locutum, quo ostento regnum patris et domum funditus concidisse. Caput arsisse Servio Tullio dormienti quae historia non prodidit? Ut igitur, qui se tradet ita quieti, praeparato animo quum bonis cogitationibus tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa et vera cernit in somnis, sic castus animus purusque vigilantis et ad astrorum et ad avium reliquorumque signorum et ad extorum veritatem est paratior. LIV. 122. Hoc nimis est illud, quod de Socrate accepimus quodque ab ipso in libris Socraticorum saepe dicitur, esse divinum quiddam, quod *δαιμόνιον* appellat, cui semper ipse paruerit, numquam impellenti, saepe revocanti. Et Socrates quidem — quo quem auctorem meliorem quaerimus? — Xenophonti consulenti sequereturne Cyrum, postea quam exposuit quae ipsi videbantur: 'Et nostrum quidem' inquit 'humanum est consilium, sed de rebus et obscuris et incertis ad Apollinem censeo referendum', ad quem etiam Athenienses publice de maioribus rebus semper rettulerunt. 123. Scriptum est item, quum Critonis sui familiaris oculum adligatum vidisset, quaevisse quid esset: quum autem ille respondisset in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse, tum Socrates: 'Non enim paruisti mihi revocanti, quum uterer qua soleo praesagitione divina.' Idem etiam Socrates, quum apud Delium male pugnatum esset Lachete praetore fugeretque cum ipso Lachete, ut ventum est in trivium, eadem qua caeteri fugere noluit. Quibus quaerentibus cur non eadem via pergeret, deterri se a deo dixit. Tum quidem ii, qui alia via fugerant, in hostium equitatum

inciderunt. Per multa collecta sunt ab Antipatro, quae mirabiliter a Socrate divinata sunt. Quae praetermittam: tibi enim nota sunt, mihi ad commemorandum non necessaria. 124. Illud tamen eius philosophi magnificum ac paene divinum, quod, quum impiis sententiis damnatus esset, aequissimo animo se dixit mori: neque enim domo egredienti neque illud suggestum, in quo causam dixerat, ascendentis signum sibi ullum quod consuesset a deo quasi mali alicuius impendens datum.

LV. Evidem sic arbitror, etiam si multa fallant eos, qui aut arte aut coniectura divinare videantur, esse tamen divinationem: homines autem ut in caeteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere ut aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum, potest aliquod latuisse aut ipsum aut quod esset illi contrarium. Mihi autem ad hoc, de quo dispergo, probandum satis est non modo plura, sed etiam pauciora divine praesensa et praedicta reperi. 125. Quin etiam hoc non dubitans dixerim, si unum aliquid ita sit praedictum praesensumque, ut, quum evenerit, ita cadat, ut praedictum sit, neque in eo quidquam casu et fortuito factum esse appareat, esse certe divinationem idque esse omnibus confitendum.

Quocirca primum mihi videtur, ut Posidonius facit, a deo, de quo satis dictum est, deinde a fato, deinde a natura vis omnis divinandi ratioque repetenda. Fieri igitur omnia fato ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Graeci *εἴρηση*, id est, ordinem seriemque causarum, quum causae causa nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Quod quum ita sit, nihil est factum quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas id ipsum efficientes natura contineat. 126. Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, causa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint et quae instant fiant et quae sequuntur futura sint. Ita fit ut et observatione notari possit quae res quamque causam plenumque consequatur, etiam si non semper: nam id quidem affirmare difficile est: easdemque causas veri simile est rerum

futurorum cerni ab iis, qui aut per furorem eas aut in quiete videant. LVI. 127. Praeterea quum fato omnia fiant — id quod alio loco ostendetur —, si quis mortalis possit esse, qui colligationem causarum omnium persipiat animo, nihil eum profecto fallat. Qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quae futura sint. Quod quum nemo facere nisi deus possit, relinquendum est homini ut signis quibusdam consequentia declarantibus futura praesentiat. Non enim illa, quae futura sunt, subito existunt, sed est quasi rudentis explicatio sic traductio temporis nihil novi efficientis et primum quidque replicantis. Quod et ii vident, quibus naturalis divinatio data est, et ii, quibus cursus rerum observando notatus est. Qui etsi causas ipsas non cernunt, signa tamen causarum et notas cernunt: ad quas adhibita memoria et diligentia ex monumentis superiorum efficitur ea divinatio, quae artificiosa dicitur, extorum, fulgurum, ostendorum signorumque caelestium. 128. Non est igitur ut mirandum sit ea praesentiri a divinantibus, quae nusquam sint. Sunt enim omnia, sed tempore absunt. Atque ut in seminibus vis inest earum rerum, quae ex iis progignuntur, sic in causis conditae sunt res futurae, quas esse futuras aut concilata mens aut soluta somno cernit aut ratis aut coniectura praesentit. Atque ut ii, qui solis et lunae reliquorumque siderum ortus, obitus motusque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum sit multo ante praedicunt, sic qui cursum rerum eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt, aut semper aut, si id difficile est, plerumque, quod si ne id quidem conceditur, non numquam certe quid futurum sit intelligunt. Atque haec quidem et quaedam huius modi argumenta cur sit divinatio ducuntur a fato.

LVII. 129. A natura autem alia quaedam ratio est, quae docet quanta sit animi vis seiuneta a corporis sensibus: quod maxime contingit aut dormientibus aut mente permotis. Ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se quid quisque sentiat, ex quo fit ut homines, etiam quum taciti optent quid aut voveant, non dubitent quin di illud exaudiant, sic animi hominum, quum aut

somno soluti vacant corpore aut mente permoti per se ipsi liberi incitati moventur, cernunt ea, quae permixti cum corpore animi videre non possunt. 130. Atque hanc quidem rationem naturae difficile est fortasse traducere ad id genus divinationis, quod ex arte profectum dicimus, sed tamen id quoque rimatur quantum potest Posidonius. Esse censem in natura signa quaedam rerum futurarum. Etenim Ceos acceptimus ortum Caniculae diligenter quotannis solere servare coniecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubrisne an pestilens annus futurus sit. Nam si obscurior quasi caliginosa stella exstiterit, pingue et concretum esse caelum, ut eius aspiratio gravis et pestilens futura sit: sin illustris et perlucida stella apparuerit, significari caelum esse tenue purumque et propterea salubre. 131. Democritus autem censem sapienter instituisse veteres ut hostiarum immolatarum inspicentur exta, quorum ex habitu atque ex colore tum salubritatis, tum pestilentiae signa percipi, non numquam etiam, quae sit vel sterilitas agrorum vel fertilitas futura. Quae si a natura profecta observatio atque usus agnoscit, multa adferre potuit dies, quae animadvertiscuntur, ut ille Pacuvianus qui in Chryse physicus inducit minime naturam rerum cognosse videatur:

*Nam istis, qui linguam avium intelligunt,  
Plusque ex alieno iecore sapiunt quam ex suo,  
Magis audiendum quam auscultandum censeo.*

Cur? queso, quum ipse paucis interpositis versibus dicas satis luculente:

*Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget,  
creat,  
Sepelit recipitque in sese omnia, omniumque idem est  
pater:  
Indidemque eademque oriuntur de integro atque eodem  
occidunt.*

Quid est igitur cur, quum domus sit omnium una eaque communis quumque animi hominum semper fuerint futuri que sint, cur ii quid ex quoque eveniat et quid quamque

rem significet perspicere non possint? Haec habui, inquit, de divinatione quae dicerem.

LVIII. 132. Nunc illa testabor, non me sortilegos neque eos, qui quaestus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere. Non habeo denique nauci Marsum augurem, non haruspices vicanos, non de circo astrologos, non Iiacos coniectores, non interpretes somniorum. Non enim sunt ii aut scientia aut arte divini,

*Sed superstitionis vates impudentesque harioli,  
Aut inertes aut insani aut quibus egestas imperat:  
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:  
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachumam ipsi petunt.  
De his divitiis sibi deducant drachumam, reddant caetera.*

Atque haec quidem Ennius, qui paucis ante versibus 'esse deos' censet, 'sed eos non curare opinatur quid agat humanum genus.' Ego autem, qui et curare arbitror et monere etiam ac multa praedicere, levitate, vanitate, malitia exclusa divinationem probo. Quae cum dixisset Quintus: Praeclare tu quidem, inquam, paratus \*\*.

[Desunt pauca quaedam.]

M. TULLII CICERONIS  
DE DIVINATIONE

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Hoc altero de divinatione libro Cicero postquam de libris suis ante hos de divinatione libros scriptis et de studiis suis omnino exposuit, cap. 1. 2. §. 1—7., contra rationem Stoicam a Q. fratre ibro superiore explanatam et defensam disputare instituit. Initium

facit a Carneadis argumento nullam esse divinationem censentis, quod nulla sit divinationis tamquam matres. Nullam enim esse divinationem aequae earum rerum, quae sensibus percipientur, neque earum, quae arte tractentur, neque earum, quae in re publica versentur, cap. 3. 4. §. 8—12. Praeterea non concedendum videri divinationem esse praedictionem et praesensionem rerum fortuitarum: primum enim ventos, eventus morborum, multa alia esse fortuita, non tamen e Stoicorum mente divinationi subiecta: deinde si fortuita dicantur, quae neque ratione neque arte provideri possint, quod in fortuna posita sint, nullam posse earum rerum esse praesensionem. Sin autem Stoici negent esse fortunam et omnia, quae sint quaeque futura sint, ex omni aeternitate fataliter definita esse indicent, nihil prodesse divinationem, cap. 5—8. §. 12—21., et vero inutilem hominibus esse futurarum rerum scientiam, cap. 9. §. 22—24., et quod dicant mala omnia ad ferendum leviora fore rebus divinis procuratis, nihil id esse, quod, si nihil fiat extra fatum, nihil levari re divina possit, cap. 10. §. 25. 26. Deinceps singula divinationis genera, quae cap. 11. §. 26. 27. denuo partitur, refutare adgreditur. Ac de haruspicina quidem disputat, id est, de extis cap. 12—16. §. 28—37., de fulguribus cap. 17—21. §. 38—49., de ostentis cap. 22—32. §. 49—69. Deinde monstrat quam vana sint auspicia, cap. 33—40. §. 70—84. Tum de sortibus agit, cap. 41. §. 85—87., et de Chaldaeorum praedictionibus astrologicis earumque vanitate, cap. 42—47. §. 87—99. Quae reliqua sunt duo naturalis divinationis genera, cap. 48. §. 100., alterum praedictionis furore quadam natae, quo etiam librorum Sibyllinorum aliorumque oraculorum sortes et vaticinia refert, cap. 49—57. §. 101—118., somniorum alterum cap. 58—71. §. 119—142. attingit. In disputationis conclusione religionem tuendam, sed confutandam superstitionem esse graviter admonet, cap. 72. §. 148—150.

1. Quaerenti mihi multumque et diu cogitanti quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, nulla maior occurrebat quam si optimarum artium vias traderem meis civibus: quod com pluribus iam libris me arbitror consecutum. Nam et cohortati sumus ut maxime potuimus ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus 'Hortensius', et quod genus philosophandi minime adrogans maximeque et constans et elegans arbitraremur quattuor 'Academicis' libris ostendimus.
2. Quumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur intelligi posset. Totidem subse-

cuti libri 'Tusculanarum disputationum' res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. 3. Quibus rebus editis tres libri perfecti sunt 'de natura deorum', in quibus omnis eius loci quaestio continetur. Quae ut plene esset cumulateque perfecta, 'de divinatione' ingressi sumus his libris scribere. Quibus, ut est in animo, 'de fato' si adiunxerimus, erit abunde satis factum toti huic quaestioni. Atque his libris adnumerandi sunt sex 'de re publica', quos tunc scripsimus, quum gubernacula rei publicae tenebamus. Magnus locus philosophiaeque proprius a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime. Nam quid ego de 'consolatione' dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur, caeteris item multum illam profuturam puto. Interiectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum 'de senectute' misimus. In primisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur et fortis, 'Cato' noster in horum librorum numero ponendus est. 4. Quumque Aristoteles itemque Theophrastus, excellentes viri quum subtilitate tum copia, cum philosophia dicendi etiam pracepta coniunxerint, nostri quoque oratorii libri in eundem librorum numerum referendi videntur. Ita tres erunt 'de oratore', quartus 'Brutus', quintus 'orator'. II. Adhuc haec erant. Ad reliqua alacri tendebamus animo sic parati, ut, nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur qui non Latinis litteris illustratus pateret. Quod enim munus rei publicae adferre maius meliusve possumus quam si docemus atque erudimus iuuentutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit. 5. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in re publica late patere poterit industria. Evidem ex his etiam

fructum capio laboris mei, qui iam aetate proiecti in nostris libris acquiescunt: quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies incitat: quos quidem plures quam rebar esse cognovi. Magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egeant. 6. Quod adsequar profecto, si instituta perfecero. Ac mihi quidem explicandae philosophiae causam attulit casus gravis civitatis, quum in armis civilibus nec tueri meo more rem publicam nec nihil agere poteram nec quid potius quod quidem me dignum esset agerem reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives vel gratiam potius habebunt, quod, quum esset in unius potestate res publica, neque ego me abdidi neque deserui neque adfixi neque ita gessi quasi homini aut temporibus iratus neque porro ita aut adulatus aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae poeniteret. Id enim ipsum a Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. 7. Quod quum accidisset nostrae rei publicae, tum pristinis orbi munib[us] haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur et prodessemus civibus nostris qua re cumque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, contionabamur, philosophiam nobis pro rei publicae prociatione substitutam putabamus. Nunc, quoniam de re publica consuli coepti sumus, tribuenda est opera rei publicae vel omnis potius in ea cogitatio et cura ponenda, tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit a publico officio et munere. Sed haec alias pluribus: nunc ad instutam disputationem revertamur.

III. 8. Nam quum de divinatione Quintus frater ea disseruisse, quae superiore libro scripta sunt, satisque ambulatum videretur, tum in bibliotheca, quae in Lycio est, adsedimus. Atque ego: Accurate tu quidem, inquam, Quinte, et Stoice Stoicorum sententiam defendisti, quodque me maxime delectat, plurimis nostris exemplis usus es et iis quidem claris et illustribus. Dicendum est mihi igitur ad ea, quae sunt a te dicta, sed ita, nihil ut adfirmem, quaeram

omnia, dubitans plerumque et mihi ipse diffidens. Si enim aliquid certi haberem quod dicerem, ego ipse divinarem, qui esse divinationem nego. 9. Etenim me movet illud, quod in primis Carneades quaerere solebat, quarumnam rerum divinatio esset, earumne, quae sensibus perciperentur? At eas quidem cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus. Num quid ergo in iis rebus est quod provisione aut per motione mentis magis quam natura ipsa sentiamus? aut num nescio qui ille divinus, si oculus captus sit, ut Tiresias fuit, possit quae alba sint, quae nigra dicere, aut, si surdus sit, varietates vocum aut modos noscere? Ad nullam igitur earum rerum, quae sensu accipiuntur, divinatio adhibetur. Atqui ne in iis quidem rebus, quae arte tractantur, divinatione opus est. Etenim ad aegros non vates aut hariolos, sed medicos solemus adducere, nec vero, qui fidibus aut tibiis uti volunt, ab haruspiciis accipiunt earum tractationem, sed a musicis. 10. Eadem if litteris ratio est reliisque rebus, quarum est disciplina. Num censes eos, qui divinare dicuntur, posse respondere somaiorne quam terra sit an tantus quantus videatur? lunaque suc lumine an solis utatur? sol, luna quem motum habeant, quem quinque stellae, quae errare dicuntur? Nec haec qui divini habentur profitentur se esse dicturos, nec eorum, quae in geometria describuntur, quae vera, quae falsa sint: sunt enim ea mathematicorum, non hariolorum. IV. De illis vero rebus, quae in philosophia versantur, num quid est quod quisquam divinorum aut respondere soleat aut consuli quid bonum sit, quid malum, quid neutrum? Sunt enim haec propria philosophorum. 11. Quid? de officio num quis haruspicem consultit, quem ad modum sit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis vivendum? quem ad modum utendum pecunia, quem ad modum honore, quem ad modum imperio? Ad sapientes haec, non ad divinos referri solent. Quid? quae a dialecticis aut physicis tractantur, num quis eorum divinare potest unusne mundus sit an plures, quae sint initia rerum, ex quibus nascuntur omnia? Physicorum est ista prudentia. Quo modo autem mentientem, quem *ψευδόμενον* vocant, dissolvas aut quem

ad modum soriti resistas, — quem, si necesse sit, Latino verbo liceat ‘acervalem’ appellare, sed nihil opus est: ut enim ipsa philosophia et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est — : ergo haec quoque dialectici dicent, non divini. Quid? quum quaeritur qui sit optimus rei publicae status, quae leges, qui mores aut utiles aut inutiles, haruspicesne ex Etruria arcessentur an principes stant et delecti viri periti rerum civilium? 12. Quod si nec earum rerum, quae subiectae sensibus sunt, ulla divinatio est, nec earum, quae artibus continentur, nec earum, quae in philosophia disseruntur, nec earum, quae in re publica versantur, quarum rerum sit nihil prorsus intelligo. Nam aut omnium debet esse aut aliqua ei materia danda est in qua versari possit. Sed nec omnium divinatio est, ut ratio docuit, nec locus nec materia invenitur cui divinationem praeficere possimus. Vide igitur ne nulla sit divinatio. V. Est quidem Graecus vulgaris in hanc sententiam versus:

*Bene qui coniiciet, vatem hunc perhabebo optimum.*

Num igitur aut quae tempestas impendeat vates melius coniiciet quam gubernator aut morbi naturam acutius quam medicus aut belli administrationem prudentius quam imperator coniectura adsequetur?

13. Sed animadverte, Quinte, te caute et ab iis coniecturis, quae haberent artem atque prudentiam, et ab iis rebus, quae sensibus aut artificiis perciperentur, abducere divinationem, eamque ita definire, divinationem esse earum rerum praedictionem et praesensionem, quae essent fortuitae. Primum eodem revolveris. Nam et medici et gubernatoris et imperatoris praesensio est rerum fortuitarum. Num igitur aut haruspex aut augur aut vates quis aut somnians melius coniecerit aut e morbo evasurum aegrotum aut e periculo navem aut ex insidiis exercitum quam medicus, quam gubernator, quam imperator? 14. Atqui ne illa quidem divinantis esse dicebas, ventos aut imbres impendentes quibusdam praesentire signis — in quo nostra quaedam Aratea memoriter a te pronunciata sunt — , etsi haec ipsa fortuita sunt: plerumque enim, non semper eveniunt. Quae est

igitur aut ubi versatur fortuitarum rerum praesensio, quam divinationem vocas? Quae enim praesentiri aut arte aut ratione aut usu aut coniectura possunt, ea non divinis tribuenda putas, sed peritis. Ita relinquitur ut ea fortuita divinari possint, quae nulla nec arte nec sapientia provideri possunt, ut, si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset naufragio esse peritum, divinaset profecto. Nulla enim arte alia id nec sapientia scire potuisset. Talium ergo rerum, quae in fortuna positae sunt, praesensio divinatio est. VI. 15. Potestne igitur earum rerum, quae nihil habent rationis qua re futurae sint, esse ulla praesensio? Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus nisi quum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atque evenire vel aliter cadere atque evenire potuerit? Quo modo ergo id, quod temere fit caeco casu et volubilitate fortunae, praesentiri et praedici potest? 16. Medicus morbum ingravescerem ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator, et tamen hi ipsi saepe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur, ut agricola, quum florem oleae videt, bacam quoque se visurum putat, non sine ratione ille quidem, sed non numquani tamen fallitur. Quod si falluntur ii, qui nihil sine aliqua probabili coniectura ac ratione dicunt, quid existimandum est de coniectura eorum, qui exitis aut avibus aut ostentis aut oraclis aut somniis futura praesentiunt? Nondum dico quam haec signa nulla sint, fissum iecoris, corvi cantus, volatus aquilae, stellae trajectio, voces furentium, sortes, somnia: de quibus singulis dicam suo loco, nunc de universis. 17. Qui potest provideri quidquam futurum esse quod neque causam habet ullam neque notam cur futurum sit? Solis defectiones, itemque lunae praedicuntur in multos annos ab iis, qui siderum [cursus et] motus numeris persequuntur. Ea praedicunt enim, quae naturae necessitas perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunae, quando illa e regione solis facta incurrat in umbram terrae, quae est meta noctis, ut eam obscurari nesse sit, quandoque eadem luna subiecta atque opposita soli nostris oculis eius lumen obscuret, quo in signo quae-

que errantium stellarum quoque tempore futura sit, qui exortus quoque die signi alicuius aut qui occasus futurus sit. Haec qui ante dicunt quam rationem sequantur vides. VII. 18. Qui thesaurum inventum iri aut hereditatem ventram dicunt quid sequuntur? aut in qua rerum natura inest id futurum? Quod si haec eaque, quae sunt eiusdem generis, habent aliquam talem necessitatem, quid est tandem quod casu fieri aut forte fortuna putemus? Nihil enim est tam contrarium rationi et constantiae quam fortuna, ut mihi ne in deum quidem cadere videatur ut sciat quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet: sin certe eveniet, nulla fortuna est: est autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla praesensio est. 19. Aut si negas esse fortunam et omnia, quae fiunt quaeque futura sunt, ex omni aeternitate definita dicis esse fataliter, muta definitionem divinationis, quam dicebas praesensionem esse rerum fortuitarum. Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire, nisi quod ab omni aeternitate certum fuerit esse futurum rato tempore, quae potest esse fortuna? qua sublata qui locus est divinationi? quae a te fortuitarum rerum est dicta praesensio. Quamquam dicebas omnia, quae fierent futurave essent, fato contineri. Anile sane et plenum superstitionis fati nomen ipsum: sed tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur: de quo alias, nunc quod necesse est. VIII. 20. Si omnia fato, quid mihi divinatio prodest? Quod enim is, qui divinat, praedicit, id vero futurum est, ut ne illud quidem sciām quale sit, quod Deiotarum familiarem nostrum et necessarium ex itinere aquila revocavit. Qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum suisset, quod proxima nocte corruit. Ruina igitur oppressus esset. At id neque, si fatum fuerat, effugisset, nec, si non fuerat, in eum casum incidisset. Quid ergo adiuvat divinatio? aut quid est quod me moneant aut sortes aut exta aut ulla praedictio? Si enim fatum fuit, classes populi Romani bello Punico primo alteram naufragio, alteram a Poenis depressam interire, etiam si tripudium solistimum pulli fecissent L. Junio et P. Cludio consulibus, classes tamen interissent. Sin, quum auspiciis obtemperatum esset, in-

teriturae classes non fuerunt, non interierunt fato: vultis autem omnia fato: nulla igitur est divinatio. 21. Quod si fatum fuit bello Punico secundo exercitum populi Romani ad lacum Trasumenum interire, num id vitari potuit, si Flaminius consul iis signis iisque auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruisse? Certe non potuit. Aut igitur non fato interiit exercitus — mutari enim fata non possunt — aut, si fato — quod certe vobis ita dicendum est —, etiam si obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset. Ubi est igitur divinatio ista Stoicorum? quae, si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest, ut cautores simus: quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud, quod futurum est: sin autem in potest flecti, nullum est fatum: ita ne divinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum est. Nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat.

IX. 22. Atque ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quae enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset quos eventus senectutis esset habiturus? Abeamus a fabulis, propiora videamus. Clarissimorum hominum nostrae civitatis gravissimos exitus in ‘consolatione’ collegimus. Quid igitur? ut omittamus superiores, Marcone Crasso putas utile fuisse tum, quem maximis opibus fortunisque florebat, scire sibi imperfecto Publio filio exercituque deleto trans Euphratem cum ignorantia et dedecore esse pereundum? An Cn. Pompeium censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximum rerum gloria laetaturum fuisse, si sciret se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amissio exercitu, post mortem vero ea consecutura, quae sine lacrimis non possumus dicere? 23. Quid vero Caesarem putamus, si divinasset fore ut in eo senatu, quem maiore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeia, ante ipsius Pompeii simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi vitam acturum fuisse! Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est

quam scientia. 24. Nam illud quidem dici, praesertim a Stoicis, nullo modo potest: ‘Non isset ad arma Pompeius: non transisset Crassus Euphratem: non suscepisset bellum civile Caesar.’ Non igitur fatales exitus habuerunt. Vultis autem evenire omnia fato: nihil ergo illis profuisset divinare. Atque etiam omnem fructum vitae superioris perdidissent. Quid enim posset iis esse laetum exitus suos cogitantibus? Ita, quoquo se verterint Stoici, iaceat necesse est omnis eorum sollertia. Si enim id, quod eventurum est, vel hoc vel illo modo potest evenire, fortuna valet plurimum. Quae autem fortuita sunt, certa esse non possunt. Sin autem certum est quid quaque de re quoque tempore futurum sit, quid est quod me adiuvent haruspices, quum res tristissimas portendi dixerunt?

X. 25. Addunt ad extremum omnia levius casura rebus divinis procuratis. Si [enim] nihil fit extra fatum, nihil levare divina potest. Hoc sentit Homerus, quum querentem Iovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. Hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam versus:

*Quod sorte paratum est, id summum exsuperat Iovem.*

Totum omnino fatum etiam Atellanio versu iure mihi esse irrisum videtur, sed in rebus tam severis non est iocandi locus. Concludatur igitur ratio. Si enim provideri nihil potest futurum esse eorum, quae casu fiunt, quia esse certa non possunt, divinatio nulla est. Sin autem idcirco possunt provideri, quia certa sunt et fatalia, rursus divinatio nulla est. Eam enim tu fortuitarum rerum esse dicebas. 26. Sed haec fuerit nobis tamquam levis armaturae prima orationis excusio: nunc comminus agamus experiamurque, si possimus cornua commovere disputationis tuae.

XI. Duo enim genera divinandi esse dicebas, unum artificiosum, alterum naturale: artificiosum constare partim ex coniectura, partim ex observatione diurna: naturale, quod animus adriperet aut exciperet extrinsecus ex divinitate, unde omnes animos haustos aut acceptos aut libatos habemus. Artificiosae divinationis illa fere genera ponebas,

extispicum eorumque, qui ex fulguribus ostentisqae praedicerent, tum augurum eorumque, qui signis aut omnibus uterentur, omneque genus conjecturale in hoc fere genere ponebas. 27. Illud autem naturale aut concitatione mentis edi et quasi fundi videbatur aut animo per somnum sensibus et curis vacuo provideri. Duxisti autem divinationem omnem a tribus rebus, a deo, a fato, a natura. Sed tamen quum explicare nihil posses, pugnasti commenticiorum exemplorum mirifica copia. De quo primum hoc libet dicere. Hoc ego philosophi non esse arbitror, testibus uti, qui aut casu veri aut malitia falsi fictique esse possunt: argumentis et rationibus oportet qua re quidque ita sit docere, non eventis, iis praesertim, quibus mihi liceat non credere.

XII. 28. Ut ordiar ab haruspicina, quam ego rei publicae causa communisque religionis colendam censeo. Sed soli sumus: licet verum exquirere sine invidia, mihi praesertim de plerisque dubitanti. Inspiciamus, si placet, exta primum. Persuaderi igitur cuiquam potest ea, quae significari dicuntur extis, cognita esse ab haruspicibus observatione diurna? Quam diurna ista fuit? aut quam longinquum tempore observari potuit? aut quo modo est collata inter ipsos, quae pars inimica, quae pars familiaris esset, quod fissum periculum, quod commodum aliquod ostenderet? An haec inter se haruspices Etrusci, Elii, Aegyptii, Poeni contulerunt? At id, praeterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest. Alios enim alio more videmus exta interpretari nec esse unam omnium disciplinam. 29. Et certe, si est in extis aliqua vis quae declarat futura, necesse est eam aut cum rerum natura esse coniunctam aut conformari quodam modo numine deorum viue divina. Cum rerum natura tanta tamque praeclera in omnes partes motusque diffusa quid habere potest commune, non dicam gallinaceum fel — sunt enim qui vel argutissima haec exta esse dicant —, sed tauri opimi iecur aut cor aut pulmo? quid habet natura tale quod declarare possit quid futurum sit? XIII. 30. Democritus tamen non inscite nugatur, ut physicus, quo genere nihil adrogantius:

*Quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.*

Verum is tamen habitu extorum et colore declarari censem haec dumtaxat, pubuli genus et earum rerum, quas terra procreet, vel ubertatem vel tenuitatem: salubritatem etiam aut pestilentiam extis significari putat. O mortalem beatum, cui certo scio iudicium numquam defuisse! Huncine hominem tantis delectatum esse nugis, ut non videret tum futurum id veri simile esse, omnium quum pecudum exta eodem tempore in eundem habitum se coloremque converterent? Sed si eadem hora aliae pecudis iecur nitidum atque plenum est, aliae horridum et exile, quid est quod declarari possit habitu extorum et colore? 31. an hoc eiusdem modi est, quale Pherecydeum illud, quod est a te dictum? qui quum aquam vidisset ex puteo haustam, terrae motum dixit futurum. Parum, credo, impudenter, quod, quum factus est motus, dicere audent quae vis id effecerit: etiamne futurum esse aquae iugis colore praesentiunt? Multa istius modi dicuntur in scholis, sed credere omnia vide ne non sit necesse. 32. Verum sint sane ista Democritea vera: quando ea nos extis exquirimus? aut quando aliquid eius modi ab haruspice inspectis extis audivimus? Ab aqua aut ab igni pericula monent: tum hereditates, tum damna denunciant: fissum familiare et vitale tractant: caput iecoris ex omni parte diligentissime considerant: si vero id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius. XIV. 33. Haec observari certe non potuerunt, ut supra docui. Sunt igitur artis inventa, non vetustatis, si est ars ulla rerum incognitarum. Cum rerum autem natura quam cognitionem habent? quae ut uno consensu iuncta sit et continens, quod video placuisse physicis eisque maxime, qui omne, quod esset, unum esse dixerunt, quid habere mundus potest cum thesauri inventione coniunctum? Si enim ex extis pecuniae mihi amplificatio ostenditur idque fit natura, primum exta sunt coniuncta mundo, deinde meum lucrum natura rerum continetur. Nonne pudet physicos haec dicere? Ut enim iam sit aliqua in natura rerum contagio, quam esse concedo: multa enim Stoici colligunt: nam et muscularum iecusecula bruma dicuntur augeri et puleum aridum florescere brumali ipso die et inflatas rumpi vesiculos et semina malorum, quae

in iis mediis inclusa sint, in contrarias partes se vertere, iam nervos in fidibus aliis pulsis resonare alios, ostreisque et conchylis omnibus contingere ut cum luna pariter crecent pariterque decrescant, arboresque ut hiemali tempore cum luna simul senescentes, qui tum exsiccatae sint, tempestive caedi putentur.

34. Quid de fretis aut de marinis aestibus plura dicam? quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur. Sesenta licet eiusdem modi proferri, ut distantium rerum cognatio naturalis appareat. Demus hoc: nihil enim huic disputationi adversatur: num etiam, si fissum cuiusdam modi fuerit in iecore, lucrum ostenditur? Qua ex contagione naturae et quasi concentu atque consensu, quam *συνάθειαν* Graeci appellant, convenire potest aut fissum iecoris cum lucello meo aut meus quaesticulus cum caelo, terra rerumque natura? XV. Concedam hoc ipsum, si vis, etsi magnam iacturam causae fecero, si ullam esse convenientiam naturae cum extis concessero. 35. Sed tamen eo concesso qui evenit ut is, qui impetrare velit, convenientem hostiam rebus suis immolet? Hoc erat, quod ego non rebar posse dissolvi. At quam festive dissolvitur! Pudet me non tui quidem, cuius etiam memoriam admiror, sed Chrysippi, Antipatri, Posidonii, qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictum a te, ad hostiam diligendam ducem esse vim quamdam sentientem atque divinam, quae toto confusa mundo sit. Illud vero multo etiam melius, quod et a te usurpatum est et dicitur ab illis: quum immolare quispiam velit, tum fieri extorum mutationem, ut aut absit aliquid aut supersit: deorum enim numini parere omnia. 36. Haec iam, mihi crede, ne aniculae quidem existimant. An censes eumdem vitulum si alias delegerit, sine capite iecur inventum iri: si alias, cum capite? Haec decessio capitis aut accessio subitone fieri potest, ut se exta ad immolatoris fortunam accommodent? Non perspicitis aleam quamdam esse in hostiis diligendis, praesertim quum res ipsa doceat? Quum enim tristissima exta sine capite fuerunt, quibus nihil videtur esse dirius, proxima hostia litatur saepe pulcher-

rime. Ubi igitur illae minae superiorum extorum? aut quae tam subito facta est deorum tanta placatio?

XVI. Sed aduers in tauri opimi extis immolante Caesare cor non fuisse: id quia non potuerit accidere, ut sine corde victima illa viveret, iudicandum esse tum interisse cor, quum immolaretur. 37. Qui fit ut alterum intelligas, sine corde non potuisse bovem vivere, alterum non videoas, cor subito non potuisse nescio quo avolare? Ego enim possum vel nescire quae vis sit cordis ad vivendum vel suspicari contactum aliquo morbo bovis exile et exiguum et vietum cor et dissimile cordis fuisse. Tu vero quid habes qua re putes, si paullo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interisse? An, quod aspergit vestitu purpureo excordem Caesarem, ipse corde privatus est? Urbem philosophiae, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. Nam, dum haruspincinam veram esse vultis, physiologiam totam pervertitis. Caput est in iecore, cor in extis: iam abscedet, simul ac molam et vinum insperseris: deus id eripiet, vis aliqua conficiet aut exedet. Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet et erit aliquid quod aut ex nihilo oriatur aut in nihilum subito occidat. Quis hoc physicus dixit umquam? Haruspices dicunt. His igitur quam physicis potius credendum existimas? XVII. 38. Quid? quum pluribus dis immolatur, qui tandem evenit ut litetur aliis, aliis non litetur? Quae autem inconstancia deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, saepe etiam inter proximos, ut Apollinis exta bona sint, Diana non bona? Quid est tam perspicuum quam, quum fortuito hostiae adducantur, talia cuique exta esse, qualis cuique obtigerit hostia? At enim id ipsum habet aliquid divini, quae cuique hostia obtingat, tamquam in sortibus, quae cui ducatur. Mox de sortibus. Quamquam tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum. 39. An, quum in Aequimelium misimus qui adferat agnum quem immolemus, is mihi agnus adfertur, qui habet exta rebus accommodata, et ad eum agnum non casu, sed duce deo servus deducitur? Nam si casum in eo quoque

dicis esse quasi sortem quamdam cum deorum voluntate coniunctam, doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. Non enim ignoras quam ista derideant. 40. Et quidem illi facilius facere possunt. Deos enim ipsos iocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perflabiles et habitantes tamquam inter duos lucos sic inter duos mundos propter metum ruinarum, eosque habere putat eadem membra quae nos nec usum ullum habere membrorum. Ergo hic circuitione quadam deos tollens recte non dubitat divinationem tollere. Sed non, ut hic sibi constat, item Stoici. Illius enim deus 'nihil habens nec sui nec alieni negotii' non potest hominibus divinationem impertire. Vester autem deus potest non impertire, ut nihilo minus mundum regat et hominibus consulat. 41. Cur igitur vos induitis in eas captiones, quas numquam explicitis? Ita enim, quum magis properant, concludere solent: 'Si di sunt, est divinatio: sunt autem di: est ergo divinatio.' Multo est probabilius: 'Non est autem divinatio: non sunt ergo di.' Vide quam temere committant ut, si nulla sit divinatio, nulli sint di. Divinatio enim perspicue tollitur, deos esse retinendum est.

XVIII. 42. Atque hac extispicum divinatione sublata omnis haruspicina sublata est. Ostenta enim sequuntur et fulgura. Valet autem in fulguribus observatio diurna, in ostentis ratio plerumque conjecturaque adhibetur. Quid est igitur quod observatum sit in fulgere? Caelum in xvi partes divisorunt Etrusci. Facile id quidem fuit, quattuor, quas nos habemus, duplicare: post idem iterum facere, ut ex eo dicerent fulmen qua ex parte venisset. Primum id quid interest? deinde quid significat? Nonne perspicuum est ex prima admiratione hominum, quod tonitrua iactusque fulminum extimissent, credisse ea efficere rerum omnium praepotentem lovem? Itaque in nostris commentariis scriptum habemus: 'Iove tonante fulgorante comitia populi habere nefas.' 43. Hoc fortasse rei publicae causa constitutum est. Comitiorum enim non habendorum causas esse voluerunt. Itaque comitiorum solum vitium est fulmen, quod idem omnibus rebus optimum auspicium habemus, si

sinistrum fuit. Sed de auspiciis alio loco, nunc de fulguribus. XIX. Quid igitur minus a physicis dici debet quam quidquam certi significari rebus incertis? Non enim te puto esse eum, qui Iovi fulmen fabricatos esse Cyclopas in Aetna putas. 44. Nam esset mirabile, quo modo id Iuppiter totiens iaceret, quum unum haberet: nec vero fulminibus homines quid aut faciendum esset aut cavendum moneret. Placet enim Stoicis eos anhelitus terrae, qui frigidi sint, quum fluere cooperint, ventos esse: quum autem se innumbem induerint eiusque tenuissimam quamque partem coepint dividere atque disrumpere idque crebrius facere et vehementius, tum et fulgores et tonitrua exsistere: si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Quod igitur vi naturae, nulla constantia, nullo rato tempore videmus effici, ex eo significationem rerum consequentium quaerimus? Scilicet, si ista Iuppiter significaret, tam multa frustra fulmina emitteret! 45. Quid enim proficit, quum in medium mare fulmen iecit? quid, quum in altissimos montes, quod plerumque fit? quid, quum in desertas solitudines? quid quum in earum gentium oras, in quibus haec ne observantur quidem? XX. At inventum est caput in Tiberi. Quasi ego artem aliquam istorum esse negem! Divinationem nego. Caeli enim distributio, quam ante dixi, et certarum rerum notatio docet unde fulmen venerit, quo concederit: quid significet autem nulla ratio docet. Sed urgues me meis versibus:

*Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo  
Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit  
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.*

Tum statua Nattae, tum simulacra deorum Romulusque et Remus cum altrice belua vi fulminis icti conciderunt, deque his rebus haruspicum exsisterunt responsa verissima. 46. Mirabile autem illud, quod eo ipso tempore, quo fieret indicium coniurationis in senatu, signum Iovis biennio post quam erat locatum in Capitolio collocabatur. 'Tu igitur animum induces, — sic enim tecum agebas — causam istam et contra facta tua et contra scripta defendere?' Frater es: eo vereor. Verum quid tibi hic tandem nocet? resne, quae

talis est, an ego, qui verum explicari volo? Itaque nihil contra dico, a te rationem totius haruspicinae peto. Sed te mirificam in latebram conieci. Quod enim intelligeres fore ut premerere, quum ex te causas unius cuiusque divinationis exquirerem, multa verba fecisti te, quum res videres, rationem causamque non quaerere, quid fieret, non cur fieret, ad rem pertinere. Quasi ego aut fieri concederem aut esset philosophi causam cur quidque fieret non quaerere. 47. Et eo quidem loco et prognostica nostra pronunciabas et genera herbarum, scammoneam aristolochiamque radicem, quarum causam ignorares, vim et effectum videres. XXI. Dissimile totum. Nam et prognosticorum causas persecuti sunt et Boëthus Stoicus, qui est a te nominatus, et noster etiam Posidonius, et si causae non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsae observari animadverique possunt. Nattae vero statua aut aera legum de caelo tacta quid habent observatum ac vetustum? Pinarii Nattae nobiles: a nobilitate igitur periculum. Hoc tam callide Iuppiter cogitavit! Romulus lactens fulmine ictus: urbi igitur periculum ostenditur, ei quam ille condidit. Quam scite per notas nos certiores facit luppiter! At eodem tempore signum Iovis collocabatur, quo coniuratio indicabatur. Et tu scilicet mavis numine deorum id factum quam casu arbitrari et redemptor, qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam, non inertia aut inopia tardior fuit, sed a dis immortalibus ad istam horam reservatus est. 48. Non equidem plane despero ista esse vera, sed nescio et discere a te volo. Nam quum mihi quaedam casu viderentur sic evenire, ut praedicta essent a divinantibus, dixisti multa de casu, ut Venerium iaci posse casu quattuor talis iactis, quadringentis centum Venerios non posse casu consistere. Primum nescio cur non possint, sed non pugno: abundas enim similibus. Habes et respirationem pigmentorum et rostrum suis et alia permulta. Idem Carneadem fingere dicis de capite Panisci. Quasi non potuerit id evenire casu et non in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita! Illa enim ipsa efficiuntur detractione, nec quidquam illuc adfertur a Praxitele, sed quum multa sunt detracta et ad lineamenta oris perventum est,

tum intelligas illud, quod iam expolitum sit, intus fuisse. 49. Potest igitur tale aliquid etiam sua sponte in lapicidinis Chiorum exstisset. Sed sit hoc fictum. Quid? in nubibus numquam animadvertisisti leonis formam aut hippocentauri? Potest igitur, quod modo negabas, veritatem casus imitari.

XXII. Sed quoniam de extis et de fulguribus satis est disputatum, ostenta restant, ut tota haruspicina sit pertractata. Mulae partus prolatus est a te: res mirabilis, propterea quia non saepe fit, sed si fieri non potuisset, facta non esset. Atque hoc contra omnia ostenta valeat, numquam quod fieri non potuerit esse factum: sin potuerit, non esse mirandum. Causarum enim ignoratio in re nova mirationem facit. Eadem ignoratio si in rebus usitatis est, non miramur. Nam qui mulam peperisse miratur, is quo modo equa pariat aut omnino quae natura partum animantis faciat ignorat. Sed quod crebro videt non miratur, etiam si cur fiat nescit. Quod ante non vidit, id si evenit, ostentum esse censem. Utrum igitur, quum concepit mula an quum peperit, ostentum est? 50. Conceptio contra naturam fortasse, sed partus prope necessarius. XXIII. Sed quid plura? ortum videamus haruspicinae: sic facilime quid habeat auctoritatis iudicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, quum terra araretur et sulcus altius esset impressus, extitisse repente et eum adsatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Eius aspectu quum obstipuisset bubuleus clamoremque maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum totamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisse, tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius verba exceperint litterisque mandaverint: omnem autem orationem fuisse eam, qua haruspicinae disciplina contineretur: eam postea crevisse rebus novis cognoscendis et ad eadem illa principia referendis. Haec accepimus ab jpsis, haec scripta conservant, hunc fontem habent disciplinae. 51. Num ergo opus est ad haec refellenda Carneade? num Epicuro? Estne quisquam ita desipiens qui credit exaratum esse deum dicam an hominem? Si deum, cur se contra naturam in terram abdidit, ut pate-

factus aratro lucem aspiceret? Quid? idem nonne poterat deus hominibus disciplinam superiore e loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terra oppressus vivere? unde porro illa potuit, quae docebat alios, ipse didicisse? Sed ego insipientior quam illi ipsi, qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem. XXIV. Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat quod non rideret haruspex, haruspicem quum visisset. 52. Quota enim quaeque res evenit praedicta ab istis? aut si evenit quippiam, quid adferri potest cur non casu id evenerit? Rex Prusias, quum Hannibali apud eum exsulanti depugnari placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. 'An tu' inquit 'carunculae vitulinae mavis quam imperatori veteri credere?' Quid ipse Caesar, quum a summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit? Quod ni fecisset, unum in locum omnes adversariorum copiae convenienter. Quid ego haruspicum responsa commemorem — possum equidem innumerabilia —, quae aut nullos habuerunt exitus aut contrarios? 53. Hoc civili bello, di immortales! quam multa luserunt! quae nobis in Graeciam Roma responsa haruspicum missa sunt, quae dicta Pompeio! Etenim ille admodum extis et ostentis movebatur. Non lubet commemorare nec vero necesse est, tibi praesertim, qui interfueristi. Vides tamen omnia fere contra ac dicta sint evenisse. Sed haec hactenus. Nunc ad ostenta veniamus. XXV. 54. Multa me consule a me ipso scripta recitasti, multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti, multa ante Lacedaemoniorum malam pugnam in Leuctris a Callisthene commemorata dixisti. De quibus dicam equidem singulis quoad videbitur, sed dicendum etiam est de universis. Quae est enim ista a dis profecta significatio et quasi denunciatio calamitatum? Quid autem volunt ea di immortales primum significantes, quae sine interpretibus non possimus intelligere, deinde ea, quae cavere nequeamus? At hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis impendentes calamitates praedicant, quas illi effugere nullo modo possint, ut medici, quamquam intelligent saepe, tamen numquam aegris dicunt

illo morbo eos esse morituros. Omnis enim praedictio malum probatur, quum ad praedictionem cautio adiungitur. 55. Quid igitur aut ostenta aut eorum interpretes vel Lacedaemonios olim vel nuper nostros adiuverunt? Quae si signa deorum putanda sunt, cur tam obscura fuerunt? Si enim, ut intelligeremus quid esset eventurum, aperte declarari oportebat, aut ne occulte quidem, si ea sciri noblebant. XXVI. Iam vero coniectura omnis, in qua nititur divinatio, ingenii hominum in multas ac diversas aut etiam contrarias partes saepe diducitur. Ut enim in causis iudicialibus alia coniectura est accusatoris, alia defensoris, et tamen utriusque creditibilis, sic in omnibus iis rebus, quae coniectura investigari videntur, anceps reperitur oratio. Quas autem res tum natura, tum casus adfert — non numquam etiam errorem creat similitudo —, magna stultitia est earum rerum deos facere effectores, causas rerum non quaerere. 56. Tu vates Boeotios erdis Lebadiae vidiisse ex gallorum gallinaceorum cantu victoram esse Thebanorum, quia galli victi silere solent, canere victores. Hoc igitur per gallinas Iuppiter tantae civitati signum dabat? An illae aves, nisi quum vicerunt, canere non solent? At tum caneabant nec vicerant. Id enim est, inquies, ostentum. Magnum vero, quasi pisces, non galli cecinerint. Quod autem est tempus quo illi non cantent vel nocturnum vel diurnum? Quod si victores alacritate et quasi laetitia ad canendum excitantur, potuit accidisse alia quoque laetitia qua ad cantum moverentur. 57. Democritus quidem optimis verbis causam explicat cur ante lucem galli canant. Depulso enim de pectore et in omne corpus diviso et modificato cibo cantus edere quiete satiatos: qui quidem silentio noctis, ut ait Ennius,

*favent fauibus russis*

*Cantu plausuque premunt alas.*

Quum igitur hoc animal tam sit canorum sua sponte, quid in mentem venit Callistheni dicere deos gallis signum dedisse cantandi, quum id vel natura vel casus efficere potuisse? XXVII. Sanguinem pluisse senatu nunciatum est, Atratum etiam fluvium fluxisse sanguine, deorum sudasse simu-

lacra. Num censes his nunciis Thalem aut Anaxagoram aut quemquam physicum crediturum fuisse? Nec enim sanguis nec sudor nisi e corpore est. Sed et decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse et humor adlapsus extrinsecus, ut in tectoriis videntur austro, sudorem videtur imitari. Atque haec in bello plura et maiora videntur timentibus, eadem non tam animadvertisuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu et periculo quum creduntur facilius tum finguntur impunius. 59. Nos autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut, si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus? Ante vero Marsicum bellum, quod clipeos Lanuvii, ut a te est dictum, mures rosissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi vero quidquam intersit mures diem noctem aliquid rodentes seuta an cribra corroserint. Nam si ista sequimur, quod Platonis 'politiam' nuper apud me mures corroserunt, de re publica debui pertimescere, aut, si Epicuri 'de voluptate' liber corrosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.

XXVIII. 60. An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentuosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una ratio est. Quidquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necessere est, ut etiam si praeter consuetudinem extiterit, praeter naturam tamen non possit existere. Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si poteris. Si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa, eumque terrorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturae ratione depellito. Ita te nec terrae fremitus nec caeli discessus nec lapideus aut sanguineus imber nec traiectio stellae nec faces visae terrebunt. 61. Quorum omnium causas si a Chrysippo quaeram, ipse ille divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuito naturalemque rationem omnium reddet. Nihil enim fieri sine causa potest nec quidquam fit, quod fieri non potest. Nec, si id factum est, quod potuit fieri, portentum debet videri. Nulla igitur portenta sunt. Nam si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est. Saepius enim mulam pe-

risse arbitror quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur nec id, quod non potuerit fieri, factum umquam esse, nec, quod potuerit, id portentum esse: ita omnino nullum esse portentum. 62. Quod etiam coniector quidam et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur ei, qui [quiddam] ad eum retulisset quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumiectus fuisse: 'Tum esset' inquit 'ostentum, si anguem vectis circumplicavisset.' Hoc ille responso satis aperte declaravit nihil habendum esse portentum, quod fieri posset.

XXIX. C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit duobus anguis domi comprehensis haruspices a patre convocatos. Qui magis anguis quam lacertis, quam muribus? Quia sunt haec cotidiana, angues non item. Quasi vero referat, quod fieri potest, quam id saepe fiat. Ego tamen miror, si emissio seminae anguis mortem adferebat Ti. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliae, cur alteram utram emiserit. Nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. At mors insecura Gracchum est. Causa quidem, credo, aliqua morbi gravioris, non emissione serpentis: neque enim tanta est infelicitas haruspicum, ut ne casu quidem umquam fiat quod futurum illi esse dixerint. XXX. 63. Nam illud mirarer, si crederem, quod apud Homerum Calchantem dixisti ex passum numero belli Troiani annos auguratum: de cuius conjectura sic apud Homerum, ut nos otiosi convertimus, loquitur Agamemnon:

*Ferte, viri, et duros animo tolerate labores,  
Auguris ut nostri Calchantis fata queamus  
Scire, ratosne habeant an vanos pectoris orsus.  
Namque omnes memori portentum mente retentant,  
Qui non funestis liquerunt lumina fatis. 5  
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,  
Quae Priamo cladem et Troiae pestemque ferebant,  
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,  
Aurigeris divum placantes numina tauris,  
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai, 10  
Vidimus immanni specie tortuque draconem*

- Terribilem, Iovis ut pulsu penetraret ab ara:  
 Qui platani in ramo foliorum tegmine saeptos  
 Corripuit pullos: quos quum consumeret octo,  
 Nona super tremulo genitrix clangore volabat:* 15  
*Cui ferus immani laniavit viscera morsu.*
64. *Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremisit,  
 Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem  
 Abdidit et duro firmavit tegmina saxo.* 20  
*Nos autem timidi stantes mirabile monstrum  
 Vidimus in mediis divum versarier aris.  
 Tum Calchas haec est fidenti voce locutus:  
 Quidnam torpentes subito obstipuistis, Achivi?  
 Nobis haec portenta deum dedit ipse creator,  
 Tarda et sera nimis, sed fama ac laude peremni.* 25  
*Nam quot aves taetra maclatas dente videtis,  
 Tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos:  
 Quae decimo cadet et poena satiabit Achivos.  
 Edidit haec Calchas: quae iam matura videtis.*

65. Quae tandem ista auguratio est ex passeribus annorum potius quam aut mensium aut dierum? Cur autem de passerulis coniecturam facit, in quibus nullum erat monstrum, de dracone silet, qui, id quod fieri non potuit, lapideus dicitur factus? Postremo quid simile habet passer annis? Nam de angue illo, qui Sullae apparuit immolanti, utrumque memini, et Sullam, quum in expeditionem educturus esset, immolavisse et anguem ab ara exstisset eoque die rem praecclare esse gestam non haruspices consilio, sed imperatoris.

XXXI. 66. Atque haec ostentorum genera mirabile nihil habent. Quae quum facta sunt, tum ad coniecturam aliqua interpretatione revocantur, ut illa tritici grana in os pueri Midiae congesta aut apes, quas dixisti in labris Platonis condidisse pueri, non tam mirabilia sint quam coniecta belle: quae tamen vel ipsa falsa esse vel ea, quae praedicta sunt, fortuito cecidisse potuerunt. De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit angui, sed ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum, in Solonio praesertim, ubi ad focum angues nundinari solent. Nam quod haruspices respon-

derunt nihil illo clarius, nihil nobilius fore, miror deos immortales histrioni futuro claritatem ostendisse, nullam ostendisse Africano. 67. Atque etiam a te Flaminiana ostenta collecta sunt. Quod ipse et equus eius repente conciderit: non sane mirabile hoc quidem! Quod evelli primi hastati signum non potuerit: timide fortasse signifer evellebat quod fidenter fixerat. Nam Dionysii equus quid attulit admirationis, quod emersit e flumine quodque habuit apes in iuba? Sed quia brevi tempore regnare coepit, quod acciderat casu, vim habuit ostenti. At Lacedaemoniis in Herculis fano arma sonuerunt eiusdemque dei Thebis valvae clausae subito se aperuerunt, eaque scuta, quae fuerant sublime fixa, sunt humi inventa. Horum quum fieri nihil potuerit sine aliquo motu, quid est cur divinitus ea potius quam casu facta esse dicamus? XXXII. 68. At in Lysandri statuae capite Delphis exstitit corona ex asperis herbis et quidem subita. Itane? censes ante coronam herbae exstisset quam conceptum esse semen? herbam autem asperam, credo, avium congestu, non humano satu. Iam quidquid in capite est, id coronae simile videri potest. Nam quod eodem tempore stellas aureas Castoris et Pollucis Delphis positas decidisse neque eas usquam repertas esse dixisti, furum id magis factum quam deorum videtur. 69. Simiae vero Dodonaeae improbitatem historiis Graecis mandatam esse demiror. Quid minus mirum quam illam monstruosissimam bestiam urnam evertisse, sortes dissupavisse? Et negant historici Lacedaemoniis ullum ostentum hoc tristius accidisse. Nam illa praedicta Veientium, si lacus Albanus redundasset isque in mare fluxisset, Romam perituram, si repressus esset, Veios.... ita aqua Albana deducta, ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem urbemque retinendam. At paullo post audita vox est monentis ut providerent ne a Gallis Roma caperetur: ex eo Aio Loquenti aram in nova via consecratam. Quid ergo? Aius iste Loquens, quum eum nemo norat, et aiebat et loquebatur et ex eo nomen invenit: postea quam et sedem et aram et nomen invenit, obmutuit? Quod idem dici de Moneta potest: a qua praeterquam de sue plena quid umquam moniti sumus?

XXXIII. 70. Satis multa de ostentis. Auspicio restant et sortes eae, quae ducuntur, non illae, quae vaticinatione funduntur, quae oracula verius dicimus, de quibus tum dicimus, quum ad naturalem divinationem venerimus. Restat etiam de Chaldaeis. Sed primum auspicio videamus. Difficilis auguri locus ad contra dicendum. Marso fortasse, sed Romano facilimus. Non enim sumus ii nos augures, qui avium reliquorumve signorum observatione futura dicamus. Et tamen credo Romulum, qui urbem auspicato condidit, nabuisse opinionem esse in providendis rebus augurandi scientiam — errabat enim multis in rebus antiquitas —, quam vel usu iam vel doctrina vel vetustate immutatam videmus. Retinetur autem et ad opinionem vulgi et ad magnas utilitates rei publicae mos, religio, disciplina, ius augurum, collegii auctoritas. 71. Nec vero non omni supplicio digni P. Claudius L. Iunius consules, qui contra auspicio navigarunt. Parensum enim fuit religioni nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Iure igitur alter populi iudicio damnatus est, alter mortem sibi ipse concivit. Flaminius non paruit auspiciis. Itaque periit cum exercitu. At anno post Paullus paruit. Num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu? Etenim, ut sint auspicia, quae nulla sunt, haec certe, quibus utimur, sive tripudio sive de caelo, simulacra sunt auspiciorum, auspicio nullo modo. XXXIV. 'Q. FABI, TE MIHI IN AUSPICIO ESSE VOLO': respondet 'AUDIVI.' Hic apud maiores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet. Peritum autem esse necesse est eum, qui silentium quid sit intelligat: id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. 72. Hoc intelligere perfecti auguris est. Illi autem, qui in auspicio adhibetur, quum ita imperavit is, qui auspicatur: 'DICITO, SI SILENTIUM ESSE VIDEBITUR', nec suspicit nec circumspicit: statim respondet 'SILENTIUM ESSE VIDERI.' Tum ille: 'DICITO, SI PASCUNTUR'... 'PASCUNTUR'... Quae aves? aut ubi? Attulit, inquit, in cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius. Hae sunt igitur aves internunciae Iovis, quae pascantur necne quid refert? Nihil ad auspicio: sed quia, quum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere et terram pavire, terripavium primo, post terripodium dictum est:

hoc quidem iam tripodium dicitur. Quum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripodium solistimum nunciatur. XXXV. 73. Ergo hoc auspicium divini quidquam habere potest quod tam sit coactum et expressum? Quo antiquissimos augures non esse usos argumento est, quod decretum collegii vetus habemus omnem avem tripodium facere posse. Tum igitur esset auspicium, si modo esset ei liberum se ostendisse, tum avis illa videri posset interpres et satelles Iovis. Nunc vero inclusa in cavea et fame enecta si in offam pulsis invadit et si aliquid ex ore cecidit, hoc tu auspicium aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas? 74. Iam de caelo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? Nunc imperant pullario: ille renunciat. Fulmen sinistrum auspicium optimum habemus ad omnes res praeterquam ad comitia: quod quidem institutum rei publicae causa est, ut comitiorum vel in iudiciis populi vel in iure legum vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpres. At Ti. Gracchi litteris Scipio et Figulus consules, quum augures iudicassent eos vitio creatos esse, magistratus abdicaverunt. Quis negat augurum disciplinam esse? Divinationem nego. At haruspices divini: quos quum Ti. Gracchus propter mortem repentinam eius, qui in praerogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non iustum rogatorem fuisse dixerunt. 75. Primum vide ne in eum dixerint, qui rogator centuriae fuisse. Is enim erat mortuus. Id autem sine divinatione conjectura poterant dicere. Deinde fortasse casu, qui nullo modo est ex hoc genere tollendus. Quid enim scire Etrusci haruspices aut de tabernaculo recte capto aut de pomoerii iure potuerunt? Equidem adsentior C. Marcello potius quam App. Claudio, qui ambo mei collegae fuerunt, existimoque ius augurum, etsi divinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea rei publicae causa conservatum ac retentum.

XXXVI. 76. Sed de hoc loco plura in aliis, nunc hactenus. Externa enim auguria, quae sunt non tam artificiosa quam superstitionis, videamus. Omnibus fere avibus utuntur, nos admodum paucis. Alia illis sinistra sunt, alia nostris. Solebat ex me Deiotarus percunctari nostri augurii

disciplinam, ego ex illo sui. Di immortales, quantum differebat! ut quaedam essent etiam contraria. Atque ille iis semper utebatur, nos, nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam multum iis utimur? Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerunt. Quam multi anni sunt, quum bella a proconsulibus et a praetoribus administrantur, qui auspicia non habent! 77. Itaque nec amnes transeunt auspicato nec tripudio auspicantur. Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, iam M. Marcellus ille quinquiens consul totum omisit, idem imperator, idem augur optimus. Ubi ergo avium divinatio? quae, quoniam ab iis, qui auspicia nulla habent, bella administrantur, ab urbanis retenta videtur, a bellicis esse sublata. Et quidem ille dicebat, si quando rem agere vellet, ne impediretur auspicis, lectica operta facere iter se solere. Huic simile est, quod nos augures praecepimus, ne iuge auspicium obveniat, ut iumenta iubeant diungere. 78. Quid est aliud nolle moneri a Iove nisi efficere ut aut ne fieri possit auspicium aut, si fiat, videri?

XXXVII. Nam illud admodum ridiculum, quod negas Deiotarum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiens facta sint, poenitere, quod fidem secutus amicitiamque populi Romani functus sit officio: antiquorem enim sibi fuisse laudem et gloriam quam regnum et possessiones suas. Credo id quidem, sed nihil ad auspicia. Nec enim ei cornix canere potuit recte eum facere, quod populi Romani libertatem defendere pararet. Ipse hoc sentiebat, sicuti sensit. 79. Aves eventus significant aut adversos aut secundos: virtutis auspicis video esse usum Deiotarum, quae vetat spectare fortunam, dum praestetur fides. Aves vero, si prosperos eventus ostenderunt, certe fefellerunt. Fugit e proelio cum Pompeio. Grave tempus. Discessit ab eo. Luctuosa res. Caesarem eodem tempore hostem et hospitem vidi. Quid hoc tristius? Is quum ei Trogmorum tetrarchiam eripuisset et adseculae suo Pergameno nescio cui deditisset eidemque detraxisset Armeniam a senatu datam quumque ab eo magnificissimo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit et hospitem et regem. Sed labor longius: ad propositum re-

vertar. Si eventa quaerimus, quae exquiruntur avibus, nullo modo prospera Deiotaro: sin officia, a virtute ipsius, non ab auspiciis petita sunt. XXXVIII. 80. Omitte igitur lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi: contemne cotem Atti Navii. Nihil debet esse in philosophia commenticiis fabellis loci. Illud erat philosophi, totius augurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam. Quae est igitur natura quae volucres hoc et illuc passim vagantes efficiat ut significant aliquid et tum vetent agere, tum iubeant aut cantu aut volatu? Cur autem aliis a laeva, aliis a dextra datum est avibus ut ratum auspicium facere possint? Quo modo autem haec aut quando aut a quibus inventa dicemus? Etrusci tamen habent exaratum puerum auctorem disciplinae suae. Nos quem? Attumne Navium? At aliquot annis antiquior Romulus et Remus, ambo augures, ut accepimus. An Pisidarum aut Cilicum aut Phrygum ista inventa dicemus? Placet igitur humanitatis expertes habere divinitatis auctores? XXXIX. 81. At omnes reges, populi, nationes utuntur auspicis. Quasi vero quidquam sit tam valde quam nihil sapere vulgare aut quasi tibi ipsi in iudicando placeat multitudine! Quotus quisque est qui voluptatem neget esse bonum? plerique etiam summum bonum dicunt. Num igitur eorum frequentia Stoici de sententia deterrentur? aut num plerisque in rebus sequitur eorum auctoritatem multitudo? Quid mirum igitur, si in auspicis et in omni divinatione imbecilli animi persustitiosa ista concipient, verum dispicere non possint? 82. Quae autem est inter augures conveniens et coniuncta constantia? Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius:

*Quum tonuit laevum bene tempestate serena.*

At Homericus Ajax apud Achillem querens de ferocitate Troianorum nescio quid modo nunciat:

*Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.*

Ita nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora. Quamquam haud ignoro quae bona sint sinistra nos dicere, etiam si dextra sint. Sed certe nostri sinistrum nomina-

verunt externique dextrum, quia plerumque melius id videbatur. 83. Haec quanta dissensio est! Quid? quod animis avibus utuntur, aliis signis, aliter observant, alia respondent? Non necesse est fateri partim horum errore susceptum esse, partim superstitione, multa fallendo? XL. Atque his superstitionibus non dubitasti etiam omnia adiungere. Aemilia Paullo Persam perisse, quod pater omen accepit: Caecilia sororis filiae sedes suas tradere. Iam illa 'Favete linguis' et 'praerogativam omen comitorum', hoc est, ipsum esse contra se copiosum et disertum. Quando enim illa observans quieto et libero animo esse poteris, ut ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? Itane? Si quis aliquid ex sua re atque ex suo sermone dixerit et eius verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages aut cogitabis, ea res tibi aut timorem adferet aut alacritatem? 84. Quum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens 'Cauneas!' clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caveret ne iret: non fuisse peritum, si omni paruisse. Quae si suscipiamus, pedis offensio nobis et abruptio corrugiae et sternutamenta erunt observanda.

XLI. Sortes restant et Chaldae, ut ad vates veniamus et ad somnia. 85. Dicendum igitur putas de sortibus. Quid enim sors est? Idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis aut ad quaestum aut ad superstitionem aut ad errorem. Atque ut in haruspicina fecimus, sic videamus clarissimarum sortium quae tradatur inventio. Numerum Suffucium Praenestinorum monumenta declarant, honestum hominem et nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minacibus, quum iuberetur certo in loco silicem caedere, perterritum visis irridentibus suis civibus id agere coepisse: itaque perfracto saxo sortes erupisse in robore insculptas priscarum litterarum notis. Is est hodie locus saeptus religiose propter Iovis pueri, qui lactens cum Iunone Fortunae in gremio sedens, mammam appetens, castissime colitur a matribus. 86. Eodemque tempore in eo loco, ubi Fortunae nunc

est aedes, mel ex olea fluxisse dicunt haruspicesque dixisse summa nobilitate illas sortes futuras eorumque iussu ex illa olea arcum esse factam eoque conditas sortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi, quae Fortunae monitu pueri manu miscentur atque ducuntur? Quo modo autem istae positae in illo loco? quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? Nihil est, inquit, quod deus efficere non possit. Utinam sapientes Stoicos effecisset, ne omnia cum superstitione sollicitudine et miseria crederent! Sed hoc quidem genus divinationis vita iam communis explosit. Fani pulcritudo et vetustas Praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen atque id in vulgus. 87. Quis enim magistratus aut quis vir illustrior utitur sortibus? Caeteris vero in locis sortes plane refrixerunt. Quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse Fortunam. Ergo hoc divinationis genus omittamus.

XLII. Ad Chaldaeorum monstra veniamus: de quibus Eudoxus, Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorum hominum facile princeps, sic opinatur, id quod scriptum reliquit: 'Chaldaei in praedictione et in notatione cuiusque vitae ex natali die minime esse credendum'. 88. Nominat etiam Panaetius, qui unus e Stoicis astrologorum praedicta reiecit, Archelaum et Cassandrum, summos astrologos illius aetatis, qua erat ipse, quum in caeteris astrologiae partibus excellerent, hoc praedictionis genere non usos. Scylax Halicarnasseus, familiaris Panaetii, excellens in astrologia idemque in regenda sua civitate princeps, totum hoc Chaldaicum praedicendi genus repudiavit. 89. Sed, ut ratione utamur, omissis testibus, sic isti disputatione, qui haec Chaldaeorum natalicia praedicta defendunt. Vim quamdam esse aiunt signifero in orbe, qui Graece ζῳδιακὸς dicitur, talem, ut eius orbis una quaeque pars alia modo moveat immutetque caelum, perinde ut quaeque stellae in iis finitimisque partibus sint quoque tempore, eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quae vocantur errantia. Quum autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus eius, qui nascatur, aut in eam, quae con-

iunctum aliquid habeat aut consentiens, ea triangula illi et quadrata nominant. Etenim quum tempore anni tempestatum atque caeli conversiones commutationesque tantae fiant accessu stellarum et recessu, quumque ea vi solis efficiantur, quae videmus, non veri simile solum, sed etiam verum esse censem, perinde, utcumque temperatus sit aëris, ita pueros orientes animari atque formari ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitae, casus cuiusque eventusque fingi. XLIII. 90. O delirationem incredibilem! Non enim omnis error stultitia est dicenda. Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid, ut praedicere possint dumtaxat quali quisque natura et ad quam quisque maxime rem aptus futurus sit. Caetera, quae profiteantur, negat ullo modo posse sciri: etenim geminorum formas esse similes, vitam atque fortunam plerumque disparem. Procles et Eurysthenes, Lacedaemoniorum reges, gemini fratres fuerunt. 91. At hi nec totidem annos vixerunt: anno enim Procli vita brevior fuit, multumque is fratri rerum gestarum gloria praestitit. At ego id ipsum, quod vir optimus, Diogenes, Chaldaeis quasi quadam praevaricatione concedit, nego posse intelligi. Etenim quum, ut ipsi dicunt, ortus nascientium luna moderetur, eaque animadvertiscant et notent sidera natalicia Chaldae, quaecumque lunae iuncta videantur, oculorum fallacissimo sensu iudicant ea, quae ratione atque animo videre debebant. Docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate luna feratur, terram paene contingens, quantum absit a proxima Mercurii stella, multo autem longius a Veneris, deinde alio intervallo distet a sole, cuius lumine collustrari putatur. Reliqua vero tria intervalla infinita et immensa, a sole ad Martis, inde ad Iovis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad caelum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. 92. Quae potest igitur contagio ex infinito paene intervallo pertinere ad lunam vel potius ad terram?

XLIV. Quid? quum dicunt id, quod iis dicere necesse est, omnes omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra quae incolatur, eosdem esse eademque omnibus, qui eodem statu caeli et stellarum nati sint, accidere necesse

esse, nonne eius modi sunt, ut ne caeli quidem naturam interpres istos caeli nosse appareat? Quum enim illi orbes, qui caelum quasi medium dividunt et aspectum nostrum definiunt, qui a Graecis ὄργαντες nominantur, a nobis 'finientes' rectissime nominari possunt, varietatem maximam habeant aliisque in aliis locis sint, necesse est ortus occasusque siderum non fieri eodem tempore apud omnes. 93. Quod si eorum vi caelum modo hoc, modo illo modo temperatur, qui potest eadem vis esse nascientium, quum caeli tanta sit dissimilitudo? In his locis, quae nos incolimus, post solstitium Canicula exoritur et quidem aliquot diebus, apud Troglodytas, ut scribitur, ante solstitium, ut, si iam concedamus aliquid vim caelestem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum sit illis eos, qui nascuntur eodem tempore, posse in dissimiles incidere naturas propter caeli dissimilitudinem. Quod minime illis placet. Volunt enim illi omnes eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem condicione nasci. XLV. 94. Sed quae tanta dementia est, ut in maximis motibus mutationibusque caeli nihil intersit, qui ventus, qui imber, quae tempestas ubique sit? — quarum rerum in proximis locis tantae dissimilitudines saepe sunt, ut alia Tusculi, alia Romae eveniat saepe tempestas: quod qui navigant maxime animadvertisunt, quum in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas saepe sentiant: haec igitur quum sit tum serenitas, tum perturbatio caeli, estne sanorum hominum hoc ad nascientium ortus pertinere non dicere — quod certe non pertinet: illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intelligi autem vix potest, quae a luna caeterisque sideribus caeli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere? Quid? quod non intelligunt seminum vim, quae ad gignendum procreandumque plurimum valeat, funditus tolli mediocris erroris est? Quis enim non videt et formas et mores et plerosque status ac motus effingere a parentibus liberos? quod non contingere, si haec non vis et natura gignentium efficeret, sed temperatio lunae caerulea moderatio. 95. Quid? quod uno et eodem temporis punto nati dissimiles et naturas et vitas et casus habent, parumne

declarat nihil ad agendam vitam nascendi tempus pertinere? nisi forte putamus neminem eodem tempore ipso et conceptum et natum quo Africanum. Num quis igitur talis fuit?

XLVI. 96. Quid? illudne dubium est quin multi, quum ita nati essent, ut quaedam contra naturam depravata haberent, restituerentur et corrigerentur ab natura, quum se ipsa revocasset, aut arte atque medicina, ut, quorum linguae sic inhaererent, ut loqui non possent, eae scalpello resectae liberarentur? Multi etiam naturae vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt, ut Demosthenem scribit Phalereus, quum rho dicere nequiret, exercitatione fecisse ut planissime diceret. Quod si haec astro ingenerata et tradita essent, nulla res ea mutare posset. Quid? dissimilitudo locorum nonne dissimiles hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile est, quid inter Indos et Persas, Aethiopas et Syros differat corporibus animis, ut incredibilis varietas dissimilitudoque sit. 97. Ex quo intelligitur plus terrarum situs quam lunae tactus ad nascendum valere. Nam, quod aiunt, quadringenta septuaginta milia annorum in periclitandis experiendisque pueris, quicumque essent nati, Babylonios posuisse, fallunt. Si enim esset factitatum, non esset desitum: neminem autem habemus auctorem qui id aut fieri dicat aut factum sciat. XLVII. Videsne me non ea dicere, quae Carneades, sed ea, quae princeps Stoicorum Panaetius dixerit? Ego autem etiam haec requiro: Omnesne, qui Cannensi pugna ceciderunt, uno astro fuerint? Exitus quidem omnium unus et idem fuit. Quid? qui ingenio atque animo singulares, num astro quoque uno? Quod enim tempus quo non innumerabiles nascantur? At certe similis nemo Homer. 98. Et, si ad rem pertinet quo modo caelo affecto compositisque sideribus quodque animal oriatur, valeat id necesse est etiam in rebus inanimis. Quo quid dici potest absurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostrae natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque, in iugo quum esset luna, natam esse dicebat nec eius fata canere dubitabat. 99. O vim maximam erroris! Eliamne urbis na-

talis dies ad vim stellarum et lunae pertinebat? Fac in puer referre qua affectione caeli primum spiritum duxerit: num hoc in latere aut in caemento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? Sed quid plura? cotidie refelluntur. Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Caesari a Chaldaeis dicta memini, neminem eorum nisi in senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moritum! ut mihi permirum videatur quemquam extare qui etiam nunc credit iis, quorum praedicta cotidie videat re et even- tis refelli.

XLVIII. 100. Restant duo divinandi genera, quae habere dicimur a natura, non ab arte, vaticinandi et somniandi. De quibus, Quinte, inquam, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet: his enim, quae adhuc disputasti, prorsus adsentior, et, vere ut loquar, quamquam tua me oratio confirmavit, tamen etiam mea sponte nimis superstiosam de divinatione Stoicorum sententiam iudicabam: haec me Peripateticorum ratio magis movebat et veteris Dicaearchi et eius, qui nunc floret, Cratippi, qui censent esse in mentibus hominum tamquam oraculum aliquod, ex quo futura praesentiant, si aut furore divino incitatus animus aut somno relaxatus solute moveatur ac libere. His de generibus quid sentias et quibus ea rationibus infirmes audire sane velim.

XLIX. 101. Quae cum ille dixisset, tum ego rursus quasi ab alio principio sum exorsus dicere. Non ignoro, inquam, Quinte, te semper ita sensisse, ut de caeteris divinandi generibus dubitares, ista duo, furoris et somnii, quae a libera mente fluere viderentur, probares. Dicam igitur de ipsis duabus generibus mihi quid videatur, si prius et Stoicorum conclusio rationis et Cratippi nostri quid valeat videro. Dixisti enim et Chrysippum et Diogenem et Antipatrum concludere hoc modo: 'Si sunt di neque ante declarant hominibus quae futura sint, aut non diligunt homines aut quid eventurum sit ignorant aut existimant nihil interesse hominum scire quid sit futurum aut non censem esse suae maiestatis praesignificare hominibus quae sint futura aut ea ne ipsi quidem di significare possunt. 102. A'

neque non diligunt nos: sunt enim benefici generique hominum amici: neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta et designata sunt: neque nostra nihil interest scire ea, quae futura sint: erimus enim cautores, si sciemus: neque hoc alienum ducunt maiestate sua, nihil est enim beneficentia praestantius: neque non possunt futura praenoscere. Non igitur di sunt nec significant nobis futura: sunt autem di: significant ergo. Et non, si significant futura, nullas dant nobis vias ad significationum scientiam: frustra enim significant, neque, si dant vias, non est divinatio: est igitur divinatio.<sup>103</sup> 103. O acutos homines! quam paucis verbis negotium confectum putant! Ea sumunt ad concludendum, quorum iis nihil conceditur. Conclusio autem rationis ea probanda est, in qua ex rebus non dubiis id, quod dubitatur, efficitur. L. Videsne Epicurum, quem hebetem et rudem dicere solent Stoici, quem ad modum, quod in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum esse conluserit? 'Quod finitum est' inquit 'habet extremum'. Quis hoc non dederit? 'Quod autem habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus.' Hoc quoque est concedendum. 'At, quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus.' Ne hoc quidem negari potest. 'Nihil igitur quum habeat extremum, infinitum sit necesse est.'<sup>104</sup> 104. Videsne ut ad rem dubiam concessis rebus pervenerit? Hoc vos dialectici non facitis, nec solum ea non sumitis ad concludendum, quae ab omnibus concedantur, sed ea sumitis, quibus concessis nihilo magis efficiatur quod velitis. Primum enim hoc sumitis: 'Si sunt di, benefici in homines sunt.' Quis hoc vobis dabit? Epicurusne, qui negat quidquam deos nec alieni curare nec sui? an noster Ennius? qui magno plausu loquitur ad sentiente populo:

*Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,  
Sed eos non curare opinor quid agat humanum genus*

Et quidem cur sic opinetur rationem subiicit. Sed nihil est necesse dicere quae sequuntur, tantum sat est intelligi id sumere istos pro certo, quod dubium controversumque sit.

L. 105 Sequitur porro: 'Nihil deos ignorare, quod omnia

sint ab iis constituta.' Hic vero quanta pugna est doctissimorum hominum negantium esse haec a dis immortalibus constituta! At 'nostra interest scire ea, quae eventura sint.' Magnus Dicaearchi liber est nescire ea melius esse quam scire. Negant 'id esse alienum maiestate deorum'. Scilicet casas omnium introspicere, ut videant quid cuique conductat. 106. 'Neque non possunt futura praenoscere.' Negant posse ii, quibus non placet esse certum quid futurum sit. Videsne igitur, quae dubia sint, ea sumi pro certis atque concessis? Deinde contorquent et ita concludunt: Non igitur et sunt di nec significant futura': id enim iam perfectum arbitrantur. Deinde adsumunt: 'Sunt autem di', quod ipsum non ab omnibus conceditur: 'significant ergo.' Ne id quidem sequitur: possunt enim non significare et tamen esse di. 'Nec, si significant, non dant vias alias ad scientiam significationis.' At id quoque potest ut non dent homini, ipsi habeant. Cur enim Tuscis potius quam Romanis darent? 'Nec, si dant vias, nulla est divinatio.' Fac dare deos, quod absurdum est: quid refert, si accipere non possumus? Extremum est: 'Est igitur divinatio.' Sit extremum: effectum tamen non est. Ex falsis enim, ut ab ipsis didicimus, verum effici non potest. Iacet igitur tota conclusio.

LII. 107. Veniamus nunc ad optimum virum, familiarem nostrum, Cratippum. 'Si sine oculis' inquit 'non potest extare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere, qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis extare, potest autem, quum quis divinationem habeat, errare aliquando nec vera cernere, satis est ad confirmandam divinationem semel aliquid ita esse divinatum, nihil ut fortuito cecidisse videatur. Sunt autem eius generis innumerabilia. Esse igitur divinationem confitendum est.' Festive et breviter. Sed quum bis sumpsit quod voluit, etiam si faciles nos ad concedendum haberit, id tamen, quod adsumit, concedi nullo modo potest.

108. 'Si' inquit 'aliquando oculi peccent, tamen, quia recte

aliquando viderint, inest in iis vis videndi.' Item: 'Si quis semel aliquid in divinatione viderit, is, etiam quum peccet, tamen existimandus est habere vim divinandi.' LIII. Vide, quaeo, Cratippe noster, quam sint ista similia. Nam mihi non videntur. Oculi enim vera cernentes utuntur natura atque sensu: animi, si quando vel vaticinando vel somniando vera viderunt, usi sunt fortuna atque casu. Nisi forte concessuros tibi existimas eos, qui somnia pro somniis habent, si quando aliquod somnium verum evaserit, non id fortuito accidisse. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea, quae *λημματα* appellant dialectici, sed nos Latine loqui malamus: adsumptio tamen, quam *πρόσληψιν* iidem vocant, non dabitur. 109. Adsumit autem Cratippus hoc modo: 'Sunt autem innumerabiles praesensiones non fortuitae.' At ego dico nullam. Vide quanta sit controversia. Iam adsumptione non concessa nulla conclusio est. At impudentes sumus, qui, quum tam perspicuum sit, non concedamus. Quid est perspicuum? Multa vera, inquit, evadere. Quid, quod multo plura falsa? Nonne ipsa varietas, quae est propria fortunae, fortunam esse causam, non naturam docet? Deinde, si tua ista conclusio, Cratippe, vera est — tecum enim mihi res est —, nonne intelligis eadem uti posse et haruspices et fulgoratores et interpretes ostentorum et augures et sortilegos et Chaldaeos? quorum generum nullum est, ex quo non aliquid, sicut praedictum sit, evaserit. Ergo aut ea quoque genera divinandi sunt, quae tu rectissime improbas, aut, si ea non sunt, non intelligo cur haec duo sint, quae relinquimus. Qua ergo ratione haec inducis, eadem illa possunt esse, quae tollis.

LIV. 110. Quid vero habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut, quae sapiens non videat, ea videat insanus et is, qui humanos sensus amiserit, divinos adsecutus sit? Sibyllae versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur. Quorum interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur eum, quem re vera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem et in quod tempus est? Callide enim, qui illa compo-

suit, perfecit ut quodcumque accidisset praedictum videretur hominum et temporum definitione sublata. 111. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furens quum ipsum poëma declarat — est enim magis artis et diligentiae quam incitationis et motus —, tum vero ea, quae *ἀνοστιχίς* dicitur, quum deinceps ex primis versuum litteris aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis: Q. ENNIUS FECIT. Id certe magis est attenti animi quam furens. 112. Atque in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiae primis litteris illius sententiae carmen omne praetexitur. Hoc scriptoris est non furens, adhibentis diligentiam, non insani. Quam ob rem Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus, ut, id quod proditum est a maioribus, iniussu senatus ne legantur quidem libri valentque ad deponendas potius quam ad suscipiendas reliquias: cum antistitibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris quam regem proferant, quem Romae posthaec nec di nec homines esse patientur. LV. At multi saepe vera vaticinati, ut Cassandra,

*Iamque mari magno . . .*

eademque paullo post:

*Eheu videte . . .*

113. Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quae delectationis habeant quantum voles, verbis sententiis, numeris cantibus adiuentur: auctoritatem quidem nullam debemus nec fidem commenticiis rebus adiungere. Eodemque modo nec ego Publicio nescio cui nec Marciis vatibus nec Apollinis opertis credendum existimo: quorum partim facta aperte, partim effutita temere, numquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti probata sunt. 114. Quid? inquires: remex ille de classe Coponii nonne ea praedixit, quae facta sunt? Ille vero, et ea quidem, quae omnes eo tempore ne acciderent timebamus. Castra enim in Thessalia castris collata audiebamus, videbaturque nobis exercitus Caesaris et audaciae plus habere, quippe qui patriae bellum intulisset, et roboris propter vetustatem. Casun.

autem proelii nemo nostrum erat quin timeret, sed ita, ut constantibus hominibus par erat, non aperte. Ille autem Graecus, quid mirum, si magnitudine timoris, ut plerumque fit, a constantia atque a mente atque a se ipse discessit? qua perturbatione animi, quae, sanus quam esset, timebat ne evenirent, ea demens eventura esse dicebat. Utrum tandem, per deos atque homines! magis veri simile est vesanum remigem an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, me, Catonem, Varronem, Coponium ipsum, consilia deorum immortalium perspicere potuisse?

LVI. 115. Sed iam ad te venio,

*Sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides,  
Unde superstitionis primum saeva evasit vox fera.*

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis et quae ad dialecticum deferenda sint. Nam quam illa sors edita est opulentissimo regi Asiae:

*Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim,  
hostium vim sese perversum putavit, pervertit autem suam.* 116. *Utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisse.* Cur autem hoc credam umquam editum Croeso? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Croeso quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim est qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum:

*Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.*

Primum Latine Apollo numquam locutus est. Deinde ista sors inaudita Graecis est. Praeterea Pyrrhi temporibus iam Apollo versus facere desierat. Postremo, quamquam semper fuit, ut apud Ennium est,

*..... stolidum genus Aeacidarum,  
Bellipotentes sunt magis quam sapientipotentes,*

tamen hanc amphiboliā versus intelligere potuisse, 'vincere te Romanos' nihilo magis in se quam in Romanos va-

lere. Nam illa amphibolia, quae Croesum decepit, vel Chrysippum potuisse fallere, haec vero ne Epicurum quidem. LVII. 117. Sed, quod caput est, cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed iam diu, iam ut nihil possit esse contemptius? Hoc loco quum urguntur, evanuisse aiunt vetustate vim loci eius, unde an helitus ille terrae fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut salsa mento putes loqui, quae evanescunt vetustate. De vi loci agitur neque solum naturali, sed etiam divina, quae quo tandem modo evanuit? Vetustate, inquietus. Quae vetustas est quae vim divinam confidere possit? quid tam divinum autem quam adflatius ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero versuque pronunciet? Quando autem ista vis evanuit? An postquam homines minus creduli esse cooperunt? 118. Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope ccc fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo facere. Hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret. Quo licet existimare in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Sed nescio quo modo isti philosophi superstitionis et paene fanatici quidvis malle videntur quam se non ineptos. Evanuisse mavultis et extinctum esse id, quod, si umquam fuisse, certe aeternum esset, quam ea, quae non sunt credenda, non credere.

LVIII. 119. Similis est error in somniis: quorum quidem defensio repetita quam longe est! Divinos animos censem esse nostros eosque esse tractos extrinsecus animorumque consentientium multitudine completum esse mundum: hac igitur mentis et ipsius divinitate et coniunctione cum externis mentibus cerni quae sint futura. Contra autem animum Zeno et quasi labi putat atque concidere et ipsum esse dormire. Iam Pythagoras et Plato, locupletissimi auctores, quo in somnis certiora videamus, praeparatos quadam cultu atque victu proficiendi ad dormiendum iubent: faba quidem Pythagorei utique abstinere, quasi vero eo cibo mens, non venter infletur. Sed nescio quo modo nihil tam absurde dici potest quod non dicatur ab

aliquo philosophorum. 120. Utrum igitur censemus dormientium animos per sene ipsos in somniando moveri an, ut Democritus censem, externa et adventicia visione pulsari? Sive enim sic est sive illo modo, videri possunt permulta somniantibus falsa pro veris. Nam et navigantibus moveri videntur ea, quae stant, et quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernae lumina. Quid dicam insanis, quid ebriis quam multa falsa videantur? Quod si eius modi visis credendum non est, cur somniis credatur nescio. Nam tam licet de his erroribus, si velis, quam de somniis disputare, ut ea, quae stant, si moveri videantur, terrae motum significare dicas aut repentinam aliquam fugam, gemino autem lucernae lumine declarari dissensionem ac seditionem moveri. LIX. 121. Iam ex insanorum aut ebriorum visis innumerabilia coniectura trahi possunt quae futura videantur. Quis est enim qui totum diem iaculans non aliquando colliniet? Totas noctes somniamus, neque ulla est fere qua non dormiamus, et miramur aliquando id, quod somniamus, evadere? Quid est tam incertum quam talorum iactus? tamen nemo est quin saepe iactans Venerium iaciat aliquando, non numquam etiam iterum ac tertium. Num igitur, ut inepti, Veneris id impulsu fieri malumus quam casu dicere? Quod si caeteris temporibus falsis visis credendum non est, non video quid praecipui somnus habeat, in quo valeant falsa pro veris. 122. Quod si ita natura paratum esset, ut ea dormientes agerent, quae somniarent, adligandi omnes essent qui cubitum irent. Maiores enim quam ulli insanii efficerent motus somniantes. Quod si insanorum visis fides non est habenda, quia falsa sunt, cur credatur somniantium visis, quae multo etiam perturbatoria sunt, non intelligo. An quod insani sua visa coniectori non narrant, narrant qui somniaverunt? Quaero etiam, si velim scribere quid aut legere aut canere vel voce vel fidibus aut geometricum quiddam aut physicum aut dialecticum explicare, somniumne exspectandum sit an ars adhibenda, sine qua nihil earum rerum nec fieri nec expediti potest? Atqui, ne si navigare quidem velim, ita gubernarem, ut somniaverim. Praesens enim poena sit. 123. Qui igitur convenit aegros a coniectore

sommiorum potius quam a medico petere medicinam? An Aesculapius an Serapis potest nobis praescribere per somnum curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non potest? et sine medico medicinam dabit Minerva, Musae scribendi, legendi, caeterarum artium scientiam somniantibus non dabunt? At si curatio daretur valetudinis, haec quoque, quae dixi, darentur. Quae quoniam non dantur, medicina non datur. Qua sublata tollitur omnis auctoritas sommiorum.

LX. 124. Sed haec quoque in promptu fuerint: nunc interiora videamus. Aut enim divina vis quaedam consuls nobis sommiorum significaciones facit aut coniectores ex quadam convenientia et coniunctione naturae, quam vocant *συμπάθειαν*, quid cuique rei conveniat ex somniis et quid quamque rem sequatur intelligunt aut eorum neutrum est, sed quaedam observatio constans atque diurna est, quum quid visum secundum quietem sit, quid evenire et quid sequi soleat. Primum igitur intelligendum est nullam vim esse divinam effectricem sommiorum. Atque illud quidem perspicuum est, nulla visa sommiorum proficiunt a numine deorum: nostra enim causa di id facerent, ut pro videre futura possemus. 125. Quotus igitur est quisque qui somniis pareat, qui intelligat, qui meminerit? quam multi vero qui contemnunt eamque superstitionem imbecilli animi atque anilis putent! Quid est igitur cur his hominibus consulens deus somniis moneat eos, qui illa non modo cura, sed ne memoria quidem digna ducant? Nec enim ignorare deus potest qua mente quisque sit, nec frustra ac sine causa quid facere dignum deo est, quod abhorret etiam ab hominis constantia. Ita si pleraque somnia aut ignorantur aut negliguntur, aut nescit hoc deus aut frustra sommiorum significacione utitur. Sed horum neutrum in deum cadit. Nihil igitur a deo somniis significari fatendum est. LXI. 126. Illud etiam requiro, cur, si deus ista visa nobis providendi causa dat, non vigilantibus potius det quam dormientibus. Sive enim externus et adventicius pulsus animos dormientium commovet sive per se ipsi animi moventur sive quae causa alia est cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere

videamur, eadem causa vigilantibus esse poterat: idque si nostra causa di secundum quietem facerent, vigilantibus idem facerent, praesertim quum Chrysippus Academicos refellens permulto clariora et certiora esse dicat quae vigilantibus videantur quam quae somniantibus. Fuit igitur divina beneficentia dignius, quum consulerent nobis, clariora visa dare vigilantibus quam obscuriora per somnum. Quod quoniam non fit, somnia divina putanda non sunt. 127. Iam vero quid opus est circuitione et amfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum potius quam directo? Deus, si quidem nobis consulebat 'Hoc facito, Hoc ne feceris' diceret, idque visum vigilanti potius quam dormienti daret? LXII. Iam vero quis dicere audeat vera omnia esse somnia? *Aliquot somnia vera*, inquit Ennius, *sed omnia non est necesse*. Quae est tandem ista distinctio? quae vera, quae falsa habet? Et si vera a deo mittuntur, falsa unde nascuntur? Nam si ea quoque divina, quid inconstantius deo? quid inscitius autem est quam mentes mortalium falsis et mendacibus visis concitare? Sin vera visa divina sunt, falsa autem et inania humana, quae est ista designandi licentia, ut hoc deus, hoc natura fecerit potius quam aut omnia deus, quod negatis, aut omnia natura? quod quoniam illud negatis, hoc necessario confitendum est. 128. Naturam autem eam dico, qua numquam animus insistens agitatione et motu esse vacuus potest. Is quum languore corporis nec membris uti nec sensibus potest, incidit in visa varia et incerta ex reliquis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit aut cogitaverit. Quarum perturbatione mirabiles interdum existunt species somniorum. Quae si alia falsa, alia vera, qua nota internoscantur scire sane velim. Si nulla est, quid istos interpretes audiamus? Sin quaepiam est, aveo audire quae sit. Sed haerebunt. LXIII. 129. Venit enim iam in contentionem utrum sit probabilius, deosne immortales rerum omnium praestantia excellentes concursare omnium mortalium, qui ubique sunt, non modo lectos, verum etiam grabatos, et, quum sterten tes aliquos viderint, obiicere his visa quaedam tortuosa et obscura, quae illi exterriti somnio ad coniectorem mane de-

ferant, an natura fieri, ut mobiliter animus agitatus quod vigilans viderit dormiens videre videatur. Utrum philosophia dignus sagarum superstitione ista interpretari an explicatione naturae? ut, si iam fieri possit vera coniectura somniorum, tamen isti, qui profitentur, eam facere non possint: ex levissimo enim et indoctissimo genere constant. Stoici autem tui negant quemquam nisi sapientem divinum esse posse. 130. Chrysippus quidem divinationem definit his verbis, 'vim cognoscentem et videntem et explicantem signa quae a dis hominibus portendantur', officium autem esse eius praenoscere di erga homines mente qua sint quidque significant quem ad modumque ea procurentur atque expientur. Idemque somniorum coniectationem definit hoc modo, 'esse vim cernentem et explanantem, quae a dis hominibus significantur in somnis'. Quid ergo? ad haec mediocri opus est prudentia an et ingenio praestanti et eruditione perfecta? Talem autem cognovimus neminem. LXIV. 131. Vide igitur ne, etiam si divinationem tibi esse concessero, quod numquam faciam, neminem tamen divinum reperire possimus. Qualis autem ista mens est deorum, si neque ea nobis significant in somnis, quae ipsi per nos intelligamus, neque ea, quorum interpretes habere possimus? Similes enim sunt di, si ea nobis obiiciunt, quorum neque scientiam neque explanatorem habeamus, tamquam si Poeni aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete. 132. Iam vero quo pertinent obscuritates et aenigmata somniorum? Intelligi enim a nobis di velle debebant ea, quae nostra causa nos monerent. Quid? poëta nemo, nemo physicus obscurus? Ille vero nimis etiam obscurus Euphorion. 133. At non Homerus. Uter igitur melior? Valde Heraclitus obscurus, minime Democritus. Num igitur conferendi? Mea causa me mones quod non intelligam? Quid me igitur mones? Ut si quis medicus aegroto imperiet, ut sumat

*Terrigenam, herbigradum, domiportam, sanguine cassam*  
potius quam hominum more 'cochleam' dicere. Nam Pacuvianus Amphio:

*Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera.  
Capite brevi, cervice anguina, aspectu truci,  
Eviscerata, inanima, cum animati sono,  
quum dixisset obscurius, tum Astici respondent:  
Non intelligimus, nisi si aperte dixeris.*

At ille uno verbo:

*Testudo.*

Non potueras hoc igitur a principio, eitharista, dicere? LXV. 134. Defert ad coniectorem quidam somniasse se ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. Est hoc in Chrysippi libro somnum. Respondit coniector thesaurum defossum esse sub lecto. Fodit: inventit auri aliquantum, idque circumdatum argento. Misit coniectori quantum visum est de argento. Tum ille: Nihilne, inquit, de vitello? Id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse, reliquum argentum. Nemone igitur umquam alias ovum somniavit? cur ergo hic nescio qui thesaurum solus invenit? Quam multi inopes digni praesidio deorum nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur! Quam autem ob causam tam est obscure admonitus, ut ex ovo nasceretur thesauri similitudo potius quam aperte thesaurum quaerere iuberetur, sicut aperte Simonides vetitus est navigare? 135. Ergo obscura somnia minime consentanea maiestati deorum. LXVI. Ad aperta et clara veniamus, quale est de illo imperfecto a caupone Megaris, quale de Simonide, qui ab eo, quem humarat, vetitus est navigare, quale etiam de Alexandro, quod a te praeteritum esse miror: qui, quum Ptolemaeus familiaris eius in proelio telo venenato ictus esset eoque vulnere summo cum dolore moreretur, Alexander adsidens somno est consopitus. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre et simul dicere quo illa loci nasceretur — neque is longe aberat ab eo loco —, eius autem esse vim tantam, ut Ptolemaeum facile sanaret. Quum Alexander expperrectus narrasset amicis somnum, emisisse qui illam radiculam quaererent: qua inventa et Ptolemaeus sanatus dicitur et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. 136. Multa etiam

sunt a te ex historiis prolata somnia, matris Phalaridis, Cyri superioris, matris Dionysii, Poeni Hamilcaris, Hannibalis, P. Decii: pervulgatum iam illud de praesule, Gracchi etiam et recens Caeciliae Baliae filiae somnum. Sed haec externa ob eamque causam ignota nobis sunt, non nulla etiam facta fortasse. Quis enim auctor istorum? De nostris somniis quid habemus dicere? tu de mero me et equo ad ripam, ego de Mario cum fascibus laureatis me in suum deduci iubente monumentum. LXVII. Omnia somniorum, Quinte, una ratio est: quae, per deos immortales! videamus ne nostra superstitione et depravatione supereretur. 137. Quem enim tu Marium visum a me putas? Speciem, credo, eius et imaginem, ut Democrito videtur. Unde profectam imaginem? A corporibus enim solidis et a certis figuris vult fluere imagines. Quod igitur Marii corpus erat? Ex eo, inquit, quod fuerat. Plena sunt imaginum omnia. Ista igitur me imago Marii in campum Atinatem persequebatur. Nulla enim species cogitari potest nisi pulsu imaginum. 138. Quid ergo? istae imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut simul atque velimus accurrant? Etiame earum rerum, quae nullae sunt? Quae est enim forma tam inusitata, tam nulla quam non sibi ipse fingere animus possit? ut, quae numquam vidi mus, ea tamen informata habeamus, oppidorum situs, hominum figurae. 139. Num igitur, quum aut muros Babylo nis aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? Omnia igitur, quae volumus, nota nobis esse possunt: nihil est enim de quo cogitare nequeamus. Nullae ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus nec omnino fluunt ullae, nec cognovi quemquam qui maiore auctoritate nihil diceret. Animorum est ea vis eaque natura, ut vigeant vigilantes nullo adventicio pulsu, sed suo motu incredibili quadam celeritate. Hi quum sustinentur membris et corpore et sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt. Quum autem haec subtracta sunt desertusque animus languore corporis, tum agitatur ipse per sese. Itaque in eo et formae versantur et actiones, et multa audiri, multa dici videntur. 140. Haec scilicet in imbecillo remissoque animo multa omnibus modis confusa et variata versantur, maximeque

reliquiae earum rerum moventur in animis et agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus aut egimus, ut mihi temporibus illis multum in animo Marius versabatur recordanti quam ille gravem suum casum magno animo, quam constanti tulisset. Hanc credo causam de illo somniandi fuisse.

LXVIII. Tibi autem de me cum sollicitudine cogitanti subito sum visus emersus e flumine. Inerant enim in utriusque nostrum animis vigilantium cognitionum vestigia. At quaedam adiuncta sunt, ut mihi de monumento Marii, tibi quod equus, in quo ego vehebar, mecum una demersus rurus apparuit. 141. An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu non numquam, forte, temere concurrerent? Alexandro draco loqui visus est. Potest omnino hoc esse falsum, potest verum, sed, utrum est, non est mirabile. Non enim audivit ille draconem loquentem, sed est visus audire, et quidem, quo maius sit, quem radicem ore teneret, locutus est. Sed nihil est magnum somnianti. Quaero autem cur Alexandro tam illustre somnium, tam certum, nec huic eidem alias, nec multa caeteris. Mihi quidem praeter hoc Marianum nihil sane quod meminerim. Frustra igitur consumptae tot noctes tam longa in aetate. 142. Nunc quidem propter intermissionem forensis operae et lucubrationes detraxi et meridianas addidi, quibus uti antea non solebam, nec tam multum dormiens ullo somnio sum admonitus, tantis praesertim de rebus, nec mihi magis umquam videor quam, quem aut in foro magistratus aut in curia senatum video, somniare.

LXIX. Etenim — ex divisione hoc secundum est — quae est continuatio coniunctioque naturae, quam, ut dixi, vocant *συμάθειαν*, eius modi, ut thesaurus ex ovo intelligi debeat? Nam medici ex quibusdam rebus et advenientes et crescentes morbos intelligent, non nullas etiam valetudinis significaciones, ut hoc ipsum, ‘pleni enectine simus,’ ex quodam genere somniorum intelligi posse dicunt. Thesaurus vero et hereditas et honos et Victoria et multa generis eiusdem qua cum somniis naturali cognitione iunguntur?

143. Dicitur quidam, quem in somnis complexu Venerio jungeretur, calculos eiecisse. Video sympathiam: visum est

enim tale obiectum dormienti, ut id, quod everit, naturae vis, non opinio erroris efficerit. Quae igitur natura obtulit illam speciem Simonidi, a qua vetaretur navigare? aut quid naturae copulatum habuit Alcibiadis quod scribitur somnium? qui paullo ante interitum visus est in somnis amicae esse amictus amiculo. Is quum esset projectus inhumatus ab omnibusque desertus iaceret, amica corpus eius texit suo pallio. Ergo hoc inerat in rebus futuris et causas naturales habebat? an et ut videretur et ut eveniret casus effecit?

LXX. 144. Quid? ipsorum interpretum conjecturae nonne magis ingenia declarant eorum quam vim consensumque naturae? Cursor ad Olympia proficisci cogitans visus est in somnis curru quadrigarum vehi. Mane ad conjectorem. At ille: Vincas, inquit. Id enim celeritas significat et vis equorum. Post idem ad Antiphontem. Is autem: Vincare, inquit, necesse est. An non intelligis quattuor ante te cucurrisse? Ecce alius cursor — atque horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri —: sed ad cursorem redeo: ad interpretem detulit aquilam se in somnis visum esse factum. At ille: Vicisti. Ista enim avi volat nulla vehementius. Huic quidem Antiphon: Baro, inquit, victum te esse non vides? Ista enim avis insectans alias aves et agitans semper ipsa postrema est. 145. Parere quaedam matrona cupiens dubitans essetne praegnans visa est in quiete obsignata habere naturam. Rettulit. Negavit eam, quoniam obsignata fuisse, concipere potuisse. At alter praegnantem esse dixit. Nam inane obsignari nihil solere. Quae est ista ars conjectoris eludentis ingenio? An ea, quae dixi, et innumerabilia, quae collecta habent Stoici, quidquam significant nisi acumen hominum ex similitudine aliqua conjectaram modo huc, modo illuc ducentium? Medici signa quaedam habent ex venis et ex spiritu aegroti, multisque ex aliis futura praesentient. Gubernatores quum exsultantes lolligines viderunt aut delphinos se in portum coniuentes, tempestatem significari putant. Haec ratione explicari et ad naturam facile revocari possunt, ea vero, quae paullo ante dixi, nullo modo.

LXXI. 146. At enim observatio diurna — haec enim pars una restat — notandis rebus fecit artem. Ain tandem? somnia observari possunt? Quonam modo? Sunt enim innumerabiles varietates. Nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest quod non possimus somniare. Quo modo igitur haec infinita et semper nova aut memoria complecti aut observando notare possumus? Astrologi motus errantium stellarum notaverunt. Inventus est enim ordo in iis stellis, qui non putabatur. Cedo tandem qui sit ordo aut quae concursatio somniorum? Quo modo autem distingui possunt vera somnia a falsis, quum eadem et aliis alter evadant et iisdem non semper eodem modo? ut mihi mirum videatur, quum mendaci homini ne verum quidem dicenti credere soleamus, quo modo isti, si somnium verum evasit aliquod, non ex multis potius uni fidem deroget quam ex uno innumerabilia confirment.

147. Si igitur neque deus est effector somniorum neque naturae societas ulla cum somniis neque observatione inventiri potuit scientia, effectum est ut nihil prorsus somniis tribuendum sit, praesertim quum illi ipsi, qui ea vident, nihil divinent, ii, qui interpretantur, conjecturam adhibeant, non naturam, casus autem innumerabilibus paene saeculis in omnibus plura mirabilia quam in somniorum visis effecerit, neque conjectura, quae in varias partes duci possit, non numquam etiam in contrarias quidquam sit incertius. LXXII. 148. Explodatur haec quoque somniorum divinatio pariter cum caeteris. Nam, ut vere loquamur, supersticio fusa per gentes oppressit omnium fere animos atque hominum imbecillitatem occupavit. Quod et in iis libris dictum est, qui sunt de natura deorum, et hac disputatione id maxime egimus. Multum enim et nobismet ipsis et nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissetsemus. Nec vero — id enim diligenter intelligi volo — superstitione tollenda religio tollitur. Nam et maiorum instituta tueri sacris caerimoniisque retinendis sapientis est et esse praestantem aliquam aeternamque naturam et eam suspiciendam admirandamque hominum generi pulcritudo mundi ordoque rerum caelestium cogit confiteri. 149. Quam ob rem, ut religio propaganda

etiam est, quae est iuncta cum cognitione naturae, sic superstitionis stirpes omnes eiicienda. Instat enim et urguit et quo te cumque verteris persequitur, sive tu vatem sive tu omen audieris, sive immolaris sive avem aspexeris, si Chaldaeum, si haruspicem videris, si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de caelo, si ostenti simile natum factumve quippam: quorum necesse est plerumque aliquid eveniat ut numquam liceat quieta mente consistere. > 150. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. At ex eo ipso plurimae curae metusque nascentur. Qui quidem ipsi per se minus valerent et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent nec ii quidem contemptissimi, sed in primis acuti et consequentia et repugnantia videntes, qui prope iam absoluti et perfecti putantur. Quorum licentiae nisi Carneades restitisset, haud scio an soli iam philosophi iudicarentur. Cum quibus omnifere nobis disceptatio contentioque est, non quod eos maxime contemnamus, sed quod videntur acutissime sententias suas prudentissimeque defendere. Quum autem proprium sit Academicae iudicium suum nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur, conferre causas et quid in quamque sententiam dici possit expromere, nulla adhibita sua auctoritate iudicium audientium relinquere integrum ac liberum, tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam, eaque inter nos, si tibi, Quinte frater, placebit, quam saepissime utemur. Mihi vero, inquit ille, nihil potest esse iucundius. Quae quum essent dicta, surreximus.

M. TULLII CICERONIS  
D E F A T O  
LIBRI QUAE MANSERUNT.

A R G U M E N T U M.

Hoc libro M. Tullius exponit sermonem a se habitum cum A. Hirtio consule designato a. u. c. 710. a. ante Chr. nat. 44. post C. Caesaris interitum in Puteolano de fato, ut is liber quasi supplementum esset trium librorum de natura deorum et duorum librorum de divinatione, conf. lib. *de divin.* II. cap. 1. §. 3. et hac disputatione contra Posidonium suscepta, cuius ipsum principium amisum est, docere conatur, si fati nullum esset nomen, nulla natura et vis, si forte, temere, casu aut pleraque fierent aut omnia, non aliter ac nunc omnia eventura, nihil igitur attinere inculcare fatum, quo sublatio ratio rerum omnium ad naturam fortunam referretur, cap. I—3. §. 1—6. Deinde sequitur disputatio cum Chrysippo de contagione rerum et de naturae coniunctione, quam *συμπάθειαν* vocant: qua Cicero docet effici ut alii ad alia propensiores sint ob causas naturales et rerum antecessiones, non vero ut voluntatum nostrarum atque appetitionum tales sint causae, cap. 4—8. §. 7—16. Iam ad Diodori *περὶ δυνατῶν* sententiam se vertit nihil posse fieri censentis nisi quod verum aut sit aut futurum sit, cap. 9. §. 17—20. Tum ad Chrysippum pergit ita ratiocinantem: si sit motus sine causa, non omnem enunciationem aut veram aut falsam fore: nam, quod non habeat causas efficientes, id nec verum nec falsum fore: motum igitur sine causa nullum esse, quo posito rerum antecessoribus fieri omnia: id si ita sit, fato fieri omnia. Ad haec Cicero concedit quidem motum nullum sine causa esse neque vero quaecumque fiant fieri omnia causis antecedentibus. Voluntatis enim nostrae non esse causas externas et antecedentes, cap. 10—12. §. 21—29. Hic disserit etiam de ignava ratione, id est de *ἀργῷ λόγῳ*, qua admissa omnem e vita tolli

actionem liberam docet Chrysippi et Carneadi rationes sequens, cap. 13—16. §. 30—38. Denique quum duae fuissent veterum philosophorum sententiae, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis adferret, altera eorum, qui sine ullo fato esse animorum motus voluntarios putarent, Chrysippum ait medium ferire voluisse, sed tamen magis ad eorum accedere sententiam, qui necessitate motus animos liberos esse arbitrentur, cap. 17—19. §. 39—45. Utetumque se res habeat, hoc certe modo ad hanc causam disceptandam non ab atomis errantibus et de via declinantibus Epicurio more praesidium petendum videri, cap. 20. §. 46—48. [Vix operae precium est me hic commemorare illam spem atque opinionem, quam nuper Itali quidam excitaverunt, esse et initium huius libri et alia fragmenta in codice palimpsesto inventa, vanam omnino ac falsam fuisse. Quis enim, qui quidem harum rerum peritus est, hoc exordium ferat, quod L. C. Ferrucci se dixit in codice palimpsesto repperisse? 'DE FATO DISPUTACIO. FATUM ESSE NUM TUM IOVIS O. M. PLACITUMQUE DEORUM IMMORTALIUM, FIDES EST PHILOSOPHORUM ET VULGI COMMUNIS. SED QUIA PHILOSOPHUS NEMO VEL HABERI, VEL DICI SOLET, NISI PARUMPER A VULGO DESCISCAT; ICCIRCO VISUM EST NONNULLIS, FATI NECESSITATEM AUT ANTECESSIONE CAUSARUM AUT RATIONE VOLUNTATUM ATQUE APPETITIONUM VARIA, QUASI FULMEN, E CAELO DEDUCERE. Quia pertinet ad mores, quos ἡθος illi vocant, nos eam partem philosophiae de moribus appellare solemus etc.' Sed recte iam Fr. Ritschelius, intelligentissimus harum rerum arbiter, de hoc invento prorsus incredibili iudicavit in Museo Rhenano Nov Ser. vol. IX. p. 473 sqq.]

*Deest principium.*

I. 1. .... quia pertinet ad mores, quod ἡθος illi vocant, nos eam partem philosophiae 'de moribus' appellare solemus, sed decet augentem linguam Latinam nominare moralē, explicandaque vis est ratioque enunciationum, quae Graeci *ἀξιώματα* vocant: quae de re futura quum aliquid dicunt deque eo, quod possit fieri aut non possit, quam vim habeant obscura quaestio est, quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant, totaque est λογική, quam rationem disseundi voco. Quod autem in illis libris feci, qui sunt 'de natura deorum', itemque in iis, quos 'de divinatione' edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur, id in hac disputatione 'de fato' casus quidam ne

facerem impedivit. 2. Nam quum essem in Puteolano Hir-tiusque noster consul designatus iisdem in locis, vir nobis amicissimus et iis studiis, in quibus nos a pueritia viximus, deditus, multum una eramus, maxime nos quidem exqui-rentes ea consilia, quae ad pacem et ad concordiam civium per-tinerent. Quum enim omnes post interitum Caesaris no-varum perturbationum causae quaeri viderentur iisque esse occur-rendum putaremus, omnis nostra fere in iis deliberatio-nibus consumebatur oratio, idque et saepe alias et quodam liberiore quam solebat et magis vacuo ab interventoribus die, quum ille ad me venisset, primo illa, quae erant coti-diana et quasi legitima nobis, de pace et de otio.

II. 3. Quibus actis: Quid ergo? inquit ille, quoniam orato-rias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed cer-te philosophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire? Tu vero, inquam, vel audire vel dicere. Nec enim — id quo recte existimas — oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum acceperam, nec ea, quae nunc tracto, minuunt, sed augent potius illam faculta-tem. Nam cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi. Quam ob rem, inquam, quoniam utriusque studii nostra possessio est, hodie utro frui malis optio sit tua. Tum Hirtius: Gratissimum, inquit, et tuorum omnium simile: nihil enim umquam abnuit meo studio voluntas tua. 4. Sed quoniam rhetorica mihi vestra sunt nota teque in iis et audivimus saepe et audiemus atque hanc Academicorum contra propositum disputandi consuetudinem in-dicant te suscepisse 'Tusculanae disputationes,' ponere aliquid ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo. An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum est? Sed ita audies, ut Romanum hominem, ut timide ingredientem ad hoc genus dispu-tandi, ut longo intervallo haec studia repetentem. Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego, quae scripsisti. Proinde ordire.

*Multa hic desunt.*

III. 5. Consideramus hic \*\*\* quorum in aliis, ut in Anti-patro poëta, ut in brumali die natis, ut in simul aegrotanti-bus fratribus, ut in urina, ut in unguibus, ut in reliquis eius modi, naturae contagio valet, quam ego non tollo: vis est nulla fatalis: in aliis autem fortuita quaedam esse possunt, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in Daphita. Quaedam etiam Posidonius — pace magistri dixerim — comminisci videtur. Sunt quidem absurdia. Quid enim? Si Daphitae fatum fuit ex equo cadere atque ita perire, ex hocine equo, qui, quum equus non esset, nomen habebat alienum? aut Phi-lippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur? Quasi vero capulo sit occisus. Quid autem magnum, et naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsum? — quamquam huic quidem hic scribit praedictum in aqua esse pereundum — ne hercule Icadii quidem praedonis video fatum ullum: nihil enim scribit ei praedictum. 6. Quid mirum igitur ex spe-lunca saxum in crura eius incidisse? Puto enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. Nam aut nihil est omnino fortuitum aut hoc ipsum potuit evenire fortuna. Quaero igitur — atque hoc late patebit, — si fati omnino nullum nomen, nulla na-tura, nulla vis esset et forte, temere, casu aut pleraque fierent aut omnia, num aliter ac nunc eveniunt evenirent? Quid ergo attinet inculcare fatum, quum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunam referatur?

IV. 7. Sed Posidonium, sicut aequum est, cum bona gratia dimittamus, ad Chrysippi laqueos revertamur. Cui quidem primum de ipsa rerum contagione respondeamus, reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quan-tum intersit videmus: alios esse salubres, alios pestilentes: in aliis esse pituitosos et quasi redundantes, in aliis exsic-catos atque aridos: multaque sunt alia, quae inter locum et locum plurimum differunt. Athenis tenue caelum, ex quo etiam acutiores putantur Attici, crassum Thebis, itaque pin-gues Thebani et valentes. Tamen neque illud tenue caelum efficit, ut aut Zenonem quis aut Arcesilam aut Theophrastum

audiat, neque crassum, ut Nemea potius quam Isthmo victoriā petat. 8. Disiunge longius. Quid enim loci natura adferre potest, ut in porticu Pompeii potius quam in campo ambulemus? tecum quam cum alio? Idibus potius quam Kalendis? Ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet aliquid, ad quasdam autem nihil, sic astrorum affectio valeat, si vis, ad quasdam res, ad omnes certe non valebit. At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent, alii libidinosi, alii iracundi aut crudeles aut superbi sint, alii talibus vitiis abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat, quid mirum est has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?

V. 9. Haec disserens qua de re agatur et in quo causa consistat non videt. Non enim, si alii ad alia propensiōes sunt propter causas naturales et antecedentes, idcirco etiam nostrarū voluntatum atque appetitionum sunt causae naturales et antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si ita res se haberet. Nunc vero fatemur, acuti hebetesne, valentes imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem aut ambulemus voluntatis esse, is non videt quaequam rem res consequatur. Ut enim et ingeniosi et tardi ita nascantur antecedentibus causis itemque valentes et imbecilli, non sequitur tamen ut etiam sedere eos et ambulare et rem agere aliquam principalibus causis definitum et constitutum sit. 10. Stilponem, Megaricum philosophum, acutum sane hominem et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse, neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina, ut nemo umquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem nonne legimus quem ad modum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? stupidum esse Socratem dixit et bardum, quod iugula concava non haberet, obstructas eas partes et

obturas esse dicebat: addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. 11. Sed haec ex naturalibus causis vitia nasci possunt, extirpari autem et funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina. Quae tolluntur omnia, si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur.

VI. Etenim si est divinatio, qualibusnam a perceptis artis proficisciatur? percepta appello, quae dicuntur Graece *θεωρήσαται*. Non enim credo nullo percepto aut caeteros artifices versari in suo munere aut eos, qui divinatione utantur, futura praedicere. 12. Sunt igitur astrologorum percepta huius modi 'Si quis, verbi causa, oriente Canicula natus est, is in mari non morietur.' Vigila, Chrysippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro valente dialectico magna luctatio est, deseras. Si enim est verum, quod ita connectitur 'Si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur', illud quoque verum est 'Si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur.' Pugnant igitur haec inter se, Fabium oriente Canicula natum esse et Fabium in mari moritum, et quoniam certum in Fabio ponitur, natum esse eum Canicula oriente, haec quoque pugnant, et esse Fabium et in mari esse moritum. Ergo haec quoque coniunctio est ex repugnantibus 'Et est Fabius et in mari F*ab*ius morietur, quod, ut propositum est, ne fieri quide potest. Ergo illud 'Morietur in mari Fabius' ex eo gener est, quod fieri non potest. Omne igitur, quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest. VII. 13. At hoc, Chrysippe, minime vis, maximeque tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. Ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum aut futurum sit verum, et, quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse et, quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. Tu et quae non sunt futura posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam si id numquam futurum sit, neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quamquam id milesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. At si ista comprobabis divina praedicta et, quae falsa in futuris dicentur, in his habebis, ut ea

fieri non possint, ut si dicatur, Africanum Karthagine potius, et si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium. Quae est tota Diodori vobis inimica sententia. 14. Etenim si illud vere connectitur 'Si oriente Canicula natus es, in mari non moriere', primumque, quod est in connexo 'Natus es oriente Canicula, necessarium est — omnia enim vera in praeteritis necessaria sunt, ut Chrysippo placet, dissentienti a magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia nec in falsum e vero praeterita possunt convertere — si igitur, quod primum in connexo est, necessarium est, fit etiam quod sequitur necessarium. Quamquam hoc Chrysippo non videtur valere in omnibus. Sed tamen, si naturalis est causa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest. VIII. 15. Hoc loco Chrysippus aestuans falli sperat Chaldaeos caeterosque divinos neque eos usuros esse coniunctionibus, ut ita sua percepta pronunciant 'Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non morietur', sed potius ita dicant 'Non et natus est quis oriente Canicula, et is in mari morietur.' O licentiam iocularem! Ne ipse incidat in Diodorum, docet Chaldaeos quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quaero enim, si Chaldaeoi ita loquantur, ut negationes infinitarum coniunctionum potius quam infinita connexa ponant, cur idem medici, cur geometrae, cur reliqui facere non possint? Medicus in primis, quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet 'Si cui venae sic moventur, is habet febrem,' sed potius illo modo 'Non ei venae sic moventur et is febrem non habet.' Itemque geometres non ita dicet 'In sphaera maximi orbes medi inter se dividuntur', sed potius illo modo 'Non et sunt in sphaera maximi orbes et ii non medi inter se dividuntur.' — 16. Quid est quod non possit isto modo ex connexo transferri ad coniunctionum negationem? Et quidem aliis modis easdem res efferre possumus. Modo dixi 'In sphaera maximi orbes medi inter se dividuntur': possum dicere 'Si in sphaera maximi orbes erunt', possum dicere 'Quia in sphaera maximi orbes erunt.' Multa genera sunt enunciandi nec ullum distortius quam hoc, quo Chrysippus sperat Chaldaeos contentos Stoicorum causa fore.

IX. 17. Illorum tamen nemo ita loquitur: maius est enim has contortiones orationis quam signorum ortus obitusque perdiscere. Sed ad illam Diodori contentionem, quam  $\pi\epsilon\varphi\lambda\delta\eta\pi\alpha\tau\omega\nu$  appellant, revertamur, in qua quid valeat id, quod fieri possit, anquiritur. Placet igitur Diodoro id solum fieri posse, quod aut verum sit aut verum futurum sit. Qui locus attingit hanc quaestionem, nihil fieri quod non necesse fuerit, et, quidquid fieri possit, id aut esse iam aut futurum esse, nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quae futura sunt, quam ea, quae facta sunt, sed in factis immutabilitatem apparere, in futuris quibusdam, quia non apparat, ne inesse quidem videri, ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, verum sit 'Hic morietur hoc morbo', at hoc idem si vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non apparat, nihilo minus futurum sit. Ita fit ut commutatio ex vero in falsum ne in futuro quidem ulla fieri possit. Nam 'Morietur Scipio' talem vim habet, ut, quamquam de futuro dicitur, tamen ut id non possit convertere in falsum. De homine enim dicitur, cui necesse est mori. 18. Sic si diceretur 'Morietur noctu in cubiculo suo vi oppressus Scipio', vere diceretur. Id enim fore diceretur, quod esset futurum: futurum autem fuisse ex eo, quia factum est, intelligi debet. Nec magis erat verum 'Morietur Scipio' quam 'Morietur illo modo', nec magis necesse mori Scipionem quam illo modo mori, nec magis immutabile ex vero in falsum 'Necatus est Scipio' quam 'Necabitur Scipio', nec, quum haec ita sint, est causa cur Epicurus fatum extimescat et ab atomis petat praesidium easque de via deducat et uno tempore suscipiat res duas inenodabiles, unam, ut sine causa fiat aliquid, ex quo exsistet ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipsi nec cuiquam physico placet, alteram, ut, quum duo individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. 19. Licet enim Epicuro concedenti omne enunciatum aut verum aut falsum esse non vereri ne omnia fato fieri sit necesse: non enim ex aeternis causis a naturae necessitate manantibus verum est id, quod ita enunciatur 'Descendit in Academiam Carneades', nec tamen sine causis, sed interest inter causas fortuito ante-

gressas et inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem. Ita et semper verum fuit 'Morietur Epicurus, quum duo et septuaginta annos vixerit, archonte Pytharato, neque tamen erant causae fatales cur ita accideret, sed, quod ita + accidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. 20. Nec ii, qui dicunt immutabilia esse quae futura sint nec posse verum futurum convertere in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur. At qui introducunt causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati devincunt.

X. Sed haec hactenus. Alia videamus. Concludit enim Chrysippus hoc modo: Si est motus sine causa, non omnis enunciatio, quod *ἀξίωμα* dialectici appellant, aut vera aut falsa erit. Causas enim efficientes quod non habebit, id nec verum nec falsum erit. Omnis autem enunciatio aut vera aut falsa est. Motus ergo sine causa nullus est. 21. Quod si ita est, omnia, quae fiunt, causis fiunt antegressis. Id si ita est, omnia fato fiunt. Efficitur igitur fato fieri quaecumque fiant. Hic primum [si] mihi libeat adsentiri Epicuro et negare omnem enunciationem aut veram esse aut falsam, eam plagam potius accipiam quam fato omnia fieri comprobem. Illa enim sententia aliquid habet disputationis, haec vero non est tolerabilis. Itaque contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat omne *ἀξίωμα* aut verum esse aut falsum. Ut enim Epicurus veretur ne, si hoc concederet, concedendum sit fato fieri quaecumque fiant — si enim alterum utrum ex aeternitate verum sit, esse id etiam certum, et, si certum, etiam necessarium: ita et necessitatem et fatum confirmari putat —, sic Chrysippus metuit ne, si non obtinuerit, omne, quod enuncietur, aut verum esse aut falsum, non teneat omnia fato fieri et ex causis aeternis rerum futurarum. 22. Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam, quum declinat atomus intervallo minimo: id appellat *ἔλαχιστον*: quam declinationem sine causa fieri si minus verbis, re cogitur confiteri. Non enim atomus ab atomo pulsa declinat. Nam qui potest pelli alia

ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim ut, si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, etiam si sit atomus eaque declinet, declinare sine causa. 23. Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem, quod veritus est ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum nobis esset, quum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Id Democritus auctor atomorum accipere maluit necessitate omnia fieri quam a corporibus individuis naturales motus avellere.

XI. Acutius Carneades, qui docebat posse Epicureos suam causam sine hac commenticia declinatione defendere. Nam quum doceret esse posse quemdam animi motum voluntarium, id fuit defendi melius quam introducere declinationem, cuius praesertim causam reperire non possunt. Quo defenso facile Chrysippo possent resistere. Quum enim concessissent motum nullum esse sine causa, non concederent omnia, quae fierent, fieri causis antecedentibus. Voluntatis enim nostrae non esse causas externas et antecedentes. 24. Communi igitur consuetudine sermonis abutimur, quum ita dicimus, velle aliquid quempiam aut nolle sine causa. Ita enim dicimus 'sine causa', ut dicamus sine externa et antecedente causa, non sine aliqua. Ut, quum vas inane dicimus, non ita loquimur, ut physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita, ut verbi causa sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus, sic, quum sine causa animum moveri dicimus, sine antecedente et externa causa moveri, non omnino sine causa dicimus. De ipsa atomo dici potest, quum per inane moveatur gravitate et pondere, sine causa moveri, quia nulla causa accedat extrinsecus. 25. Rursus autem, ne omnes physici nos irrideant, si dicamus quidquam fieri sine causa, distinguendum est et ita dicendum, ipsius individui hanc esse naturam, ut pondere et gravitate moveatur eamque ipsam esse causam curita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios non est requirenda externa causa. Motus enim voluntarius eam

naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate nobisque pareat, nec id sine causa. 26. Eius enim rei causa ipsa natura est. Quod quum ita sit, quid est cur non omnis pronunciatio aut vera aut falsa sit, nisi concesserimus fato fieri quaecumque fiant? Quia futura vera, inquit, non possunt esse ea, quae causas cur futura sint non habent, habeant igitur causas necesse est ea, quae vera sunt, ita quum evenerint, fato evenerint. XII. Confectum negotium, si quidem concedendum tibi est aut fato omnia fieri aut quidquam fieri posse sine causa. 27. An aliter haec enunciatio vera esse non potest 'Capiet Numantium Scipio', nisi ex aeternitate causa causam serens hoc erit effectura? An hoc falsum potuisse esse, si esset sescensis saeculis ante dictum? Et, si tum non esset vera haec enunciatio 'Capiet Numantium Scipio', ne illa quidem eversa vera est haec enunciatio 'Cepit Numantium Scipio.' Potest igitur quidquam factum esse, quod non verum fuerit futurum esse? Nam ut praeterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerit instantia, sic futura, quorum consequenti tempore vera erit instantia, ea vera dicemus. 28. Nec si omne enunciatum aut verum aut falsum est, sequitur illico esse causas immutabiles easque aeternas quae prohibeant quidquam secus cadere atque casurum sit. Fortuitae sunt causae quae efficiunt ut vere dicantur quae ita dicentur 'Veniet in senatum Cato', non inclusae in rerum natura atque mundo. Et tamen tam est immutabile venturum, quum est verum, quam venisse, nec ob eam causam fatum aut necessitas extimescenda est. Etenim erit confiteri necesse: 'Si haec enunciatio "Veniet in Tusculanum Hortensius" vera non est, sequitur ut falsa sit'. Quorum isti neutrum volunt: quod fieri non potest.

Nec nos impedit illa ignava ratio, quae dicitur: appellatur enim quidam a philosophis ἀγορὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogat: 'Si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere, sive tu medicum adhibueris, sive non adhibueris, convalesces'. 29. Item: 'Si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive tu

medicum adhibueris sive non adhibueris, non convalesces'. Et alterum utrum fatum est. Medicum ergo adhibere nihil attinet.

XIII. Recete genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen ne adiungas et eamdem tamen teneas sententiam, hoc modo 'Si ex aeternitate verum hoc fuit "Ex isto morbo convalesces", sive adhibueris medicum sive non adhibueris, convalesces'. Itemque 'Si ex aeternitate hoc falsum fuit "Ex isto morbo convalesces", sive adhibueris medicum sive non adhibueris, non convalesces'. Deinde caetera. 30. Haec ratio a Chrysippo reprehenditur. Quaedam enim sunt, inquit, in rebus simplicia, quaedam copulata. Simplex est 'Moriatur illo die Socrates'. Huic, sive quid fecerit sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum est 'Nascetur Oedipus Laio', non poterit dici, sive fuerit Laius cum muliere sive non fuerit: copulata enim res est et confatalis: sic enim appellat, quia ita fatum sit et concubitum cum uxore Laium et ex ea Oedipum procreaturum, ut, si esset dictum 'Luctabitur Olympiis Milo' et referret aliquis 'Ergo, sive habuerit adversarium sive non habuerit, luctabitur', erraret. Est enim copulatum 'Luctabitur', quia sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. 'Sive tu adhibueris medicum sive non adhibueris, convalesces' captiosum. Tam enim est fatale medicum adhibere quam convalescere. Haec, ut dixi, confatalia ille appellat.

XIV. 31. Carneades genus hoc totum non probbat et nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat. Itaque premebat alio modo nec ullam adhibebat calumniam: cuius erat haec conclusio 'Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt. Quod si ita est, omnia necessitas efficit. Id si verum est, nihil est in nostra potestate. Est autem aliquid in nostra potestate. At, si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt. Non igitur fato fiunt quaecumque

flunt'. 32. Haec artius astringi ratio non potest. Nam si quis velit idem referre atque ita dicere 'Si omne futurum ex aeternitate verum est, ut ita certe eveniat, quem ad modum sit futurum, omnia necesse est colligatione naturali conserte contexteque fieri' nihil dicat. Multum enim differt utrum causa naturalis ex aeternitate futura vera efficiat an etiam sine aeternitate naturali, futura quae sint, ea vera esse possint intelligi. Itaque dicebat Carneades ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. 33. Quid enim spectans deus ipse diceret Marcellum, eum, qui ter consul fuit, in mari esse peritum? Erat hoc quidem verum ex aeternitate, sed causas id efficientes non habebat. Ita ne praeterita quidem ea, quorum nulla signa tamquam vestigia exstant, Apollini nota esse censebat, quo minus futura! Causis enim efficientibus quamque rem cognitis posse denique sciri quid futurum esset. Ergo nec de Oedipode potuisse Apollinem praedicere nullis in rerum natura causis praepositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset, nec quidquam eius modi.

XV. Quocirca, si Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est huius modi oracula caeteraque, quae ad divinationem pertinere dicuntur, comprobare, iis autem, qui, quae futura sunt, ea vera esse ex aeternitate dicunt, non idem dicendum est, vide ne non eadem sit illorum causa et Stoicorum. Hi enim urguntur angustius, illorum ratio soluta ac libera est. 34. Quod si concedatur nihil posse evenire nisi causa antecedente, quid proficiatur, si ea causa non ex aeternis causis apta dicatur? Causa autem ea est, quae id efficit, cuius est causa, ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaque non sic causa intelligi debet, ut, quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat, nec, quod in campum descendedim, id fuisse causae cur pila luderem, nec Hecubam causam interitus fuisse Troianis, quod Alexandrum genuerit, nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytaemnestram. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassa-

tori fuisse dicetur cur ab eo spoliaretur. 35. Ex hoc genere illud est Ennii:

*Utinam ne in nemore Pelio securibus  
Caesa accidisset abiega ad terram tristes!*

Licuit vel altius 'Utinam ne in Pelio nata ulla umquam esset arbor!' etiam supra 'Utinam ne esset mons ullus Pelius!' similiterque superiora repetentem regredi infinite licet.

*Neve inde navis incohandi exordium  
Coepisset.*

Quorsum haec praeterita? Quia sequitur illud:

*Nam numquam hera errans mea domo ecferret pedem,  
Medea, animo aegra, amore saevo saucia,*

non ut eae res causam adferrent amoris.

XVI. 36. Interesse autem aiunt, utrum eius modi quid sit, sine quo aliquid effici non possit, an eius modi, quo aliquid effici necesse sit. Nulla igitur earum est causa, quoniam nulla eam rem sua vi efficit, cuius dicitur causa, nec id, sine quo quippiam non fit, causa est, sed id, quod quum accessit, id, cuius causa est, efficit necessario. Non dum enim ulcerato serpentis morsu Philocteta, quae causa in rerum natura continebatur, fore ut is in insula Lemno linqueretur? Post autem causa fuit propior et cum exitu iunctior. 37. Ratio igitur eventus aperit causam. Sed ex aeternitate vera fuit haec enunciatio 'Relinquetur in insula Philocteta', nec hoc ex vero in falsum poterat convertere. Necesse est enim in rebus contrariis duabus — contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat —, ex his igitur necesse est invito Epicuro alterum verum esse, alterum falsum, ut 'Sauciabitur Philocteta', omnibus ante saeculis verum fuit, 'Non sauciabitur' falsum. Nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enunciations nec veras nec falsas esse dicunt, aut, quum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius, veras esse ex contrariis disjunctiones, sed quae in his enunciata essent, eorum neutrum esse verum.

38. O admirabilem licentiam et miserabilem insectiam disserendi! Si enim aliquid in eloquendo nec verum nec falsum est, certe id verum non est. Quod autem verum non est, qui potest non falsum esse? aut quod falsum non est, qui potest non verum esse? Tenebitur ergo id, quod a Chrysippo defenditur, omnem enunciationem aut veram aut falsam esse: ratio ipsa coget et ex aeternitate quaedam esse vera et ea non esse nexa causis aeternis et a fati necessitate esse libera.

XVII. 39. Ac mihi quidem videtur, quum duae sententiae fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis adferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit, altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii, Chrysippus tamquam arbiter honorarius medium ferire voluisse, sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis uititur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus. 40. Atque hoc, si placet, quale sit videamus in adsensionibus, quas prima oratione tractavi. Eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici et necessitate dicebant. Qui autem ab his dissentiebant, fato adsensiones liberabant negabantque fato adsensionibus adhibito necessitatem ab his posse removeri, iisque ita disserebant: Si omnia fato fiunt, omnia fiunt causa antecedente, et, si appetitus, illa etiam, quae appetitum sequuntur, ergo etiam adsensiones. At, si causa appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate. Quod si ita est, ne illa quidem, quae appetitu efficiuntur, sunt sita in nobis. Non sunt igitur neque adsensiones neque actiones in nostra potestate. Ex quo efficitur ut nec laudationes iustae sint nec vituperationes nec honores nec supplicia. Quod quum vitiosum sit, probabiliter concludi putant non omnia fato fieri quaecumque fiunt.

XVIII. 41. Chrysippus autem quum et necessitatem improbarer e<sup>t</sup> nihil vellet sine praepositis causis evenire,

causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat et retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliae sunt perfectae et principales, aliae adiuvantes et proximae. Quam ob rem quum dicimus omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, causis perfectis et principalibus, sed causis adiuvantibus antecedentibus et proximis. Itaque illi rationi, quam paullo ante conclusi, sic occurrit: Si omnia fato fiunt, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant antepositis, verum non principalibus causis et perfectis, sed adiuvantibus et proximis. Quae si ipsae non sint in nostra potestate, non sequitur ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis et principalibus causis fieri diceremus, ut, quum hae causae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. 42. Quam ob rem qui ita fatum introducunt, ut necessitatem adiungant, in eos valebit illa conclusio. Qui autem causas antecedentes non dicent perfectas neque principales, in eos nihil valebit. Quod enim dicantur adsensiones fieri causis antepositis, id quale sit facile a se explicari putat. Nam quamquam adsensio non possit fieri nisi commota viso, tamen, quum id visum proximam causam habeat, non principalem, hanc habet rationem, ut Chrysippus vult, quam dudum diximus, non, ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata — necesse est enim adsensionem viso commoveri —, sed revertitur ad cylindrum et ad turbinem suum, quae moveri incipere nisi pulsa non possunt. Id autem quum accidit, suapte natura, quod superest, et cylindrum volvi et versari turbinem putat.

XIX. 43. Ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit, sic visum obiectum imprimet illud quidem et quasi signabit in animo suam speciem, sed adsensio nostra erit in potestate, eaque, quem ad modum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. Quod si aliqua res efficeretur sine causa antecedente, falsum esset omnia fato fieri: sin omnibus, quae-

cumque fiunt, veri simile est causam antecedere, quid adferri poterit cur non omnia fato fieri fatendum sit? modo intelligatur quae sit causarum distinctio ac dissimilitudo. 44. Haec quum ita sint a Chrysippo explicata, si illi, qui negant adsensiones fato fieri, fateantur tamen eas [non] sine viso antecedente fieri, alia ratio est. Sed si concedunt anteire visa nec tamen fato fieri adsensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat adsensionem, vide ne idem dicant. Neque enim Chrysippus concedens adsensionis proximam et continentem causam esse in visu positam eam causam ad adsentendum necessariam esse concedet, ut, si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus et necessariis, itemque illi, qui ab hoc dissentient, confitentes non fieri adsensiones sine praecursione visorum, dicent, si omnia fato fierent eius modi, ut nihil fieret nisi praegressione causae, confitendum esse fato fieri omnia: ex quo facile intellectu est, quoniam utriusque patefacta atque explicata sententia sua ad eundem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere. 45. Omninoque quum haec sit distinctio, ut quibusdam in rebus vere dici possit, quum hae causae antegressae sint, non esse in nostra potestate quin illa eveniant, quorum causae fuerint, quibusdam autem in rebus causis antegressis in nostra tamen esse potestate ut illud aliter eveniat, hanc distinctionem utriusque approbant, sed alteri censem, quibus in rebus quum causae antecesserint, non sit in nostra potestate, ut aliter illa eveniant, eas fato fieri: quae autem in nostra potestate sint, ab iis fatum abesse: alteri volunt a rebus datum omne relegari.

\* \* \*

XX. 46. Hoc modo hanc causam disceptari oportet, non ab atomis errantibus et de via declinantibus petere praesidium. Declinat, inquit, atomus. Primum cur? Aliam enim quamdam vim motus habebunt a Democrito impulsionis, quam plagam ille appellat, a te, Epicure, gravitatis et ponderis. Quae ergo nova causa in natura est quae declinet

atomum? aut num sortiuntur inter se quae declinet, quae non? aut cur minimo declinent intervallo, maiore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus aut tribus? Optare hoc quidem est, non disputare. 47. Nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri et declinare dicis, neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causae cur ea non e regione ferretur, nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est quam ob rem naturalis nullam causam quae istam declinationem efficeret, tamen aliud sibi dicere videtur, quum id dicat quod omnium mentes aspernentur ac respuant. 48. Nec vero quisquam magis confirmare mihi videtur non modo fatum, verum etiam necessitatem et vim omnium rerum sustulisseque motus animi voluntarios, quam hic, qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commenticias declinationes confugisset. Nam, ut essent atomi, quas quidem esse mihi probari nullo modo potest, tamen declinationes istae numquam explicarentur. Nam si atomis ut gravitate ferantur tributum est necessitate naturae, quod omne pondus nulla re impediente moveatur et feratur necesse est, illud quoque necesse est declinare quibusdam atomis vel, si volunt, omnibus naturaliter . . . . .

## FRAGMENTA

## HUIUS LIBRI.

## I.

*Gellius noct. Attic. lib. VII. (VI.) cap. 2. §. 15.* Itaque M. Cicero in libro, quem 'de fato' conscripsit, quum quaectionem istam diceret obscurissimam esse et implicatissimam, Chrysippum quoque philosophum non expedisse se in ea refert his verbis: 'Chrysippus aestuans laboransque quoniam pacto explicet et fato omnia fieri et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.'

## II.

*Macrobius Saturnal.* lib. III. cap. 16. §. 3 sq. ed. Ian.  
 Et, ne vilior sit testis poëta, accipite adsertore Cicerone in quo  
 honore fuerit hic piscis apud P. Scipionem Africanum illum et  
 Numantinum. Haec sunt in dialogo 'de fato' verba Cicero-  
 nis: 'Nam quum esset apud se ad Lavernium Scipio unaque  
 Pontius, adlatus est forte Scipioni accipenser, qui admodum  
 raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis.  
 Quum autem Scipio unum et alterum ex iis, qui eum saluta-  
 tum venerant, invitavisset pluresque etiam invitaturus vide-  
 retur, in aurem Pontius: 'Scipio' inquit 'vide quid agas:  
 accipenser iste paucorum hominum est.'

M. TULLII CICERONIS  
**D E R E P U B L I C A**  
 LIBRORUM SEX QUAE MANSERUNT.

## LIBER PRIMUS.

## A R G U M E N T U M.

Quum M. Tullii libri 'de re publica', in quibus scribendis inde  
 ab anno p. u. c. 700. occupatus fuerat, edididerat autem fere anno  
 p. u. c. 703., diu desiderati essent et, sicubi spes eorum recuperan-  
 dorum subnata esset, semper rursus evanuisse, tandem Angelus  
 Maius has, quas nunc habemus, eorum librorum reliquias in codice  
 Vaticano palimpsesto invenit et coniunctas cum caeteris fragmentis  
 edidit anno huius saeculi XXII. Quae ad primum librum pertinent,  
 de his fere haec dicenda sunt.

Cicero Platonis et Aristotelis exemplo de re publica instituit  
 scribere, ut, si qua posset labantem iam Romanorum rem publicam  
 consilio sustentare, nihil omisisse videretur. Ut vero sine ulla in-  
 vidia disputaret, disputationem non a se aut suo tempore, sed ab  
 Africano minore Tuditano Aquilio coss. (625. p. u. c.) habitam fin-  
 git. Ad hunc paullo ante quam extinctus est feriis Latinis conve-  
 nerant aliquot familiares, Q. Aelius Tubero, Paulli ex Aemilia nepos,  
 sorore Africani, L. Furius Philus, P. Rutilius Rufus, Sp. Mummius,  
 Achaici frater, C. Fannius, Laelii gener, Q. Mucius Scaevola, C.  
 Laelius Sapiens, M'. Manilius. Quorum caeteri quum de rebus cae-  
 lestibus sermocinarentur, Laelius magis ad se pertinere ostendit sermo-  
 nem de re publica: quem ut instituat Africanus suamque de ea re  
 sententiam exponat, caeteris adsentientibus ille impetrat. Hic igitur  
 cap. 24. tandem exordiens primo definit notionem rei publicae,  
 quam dicit esse rem populi, populum autem coetum multitudinis  
 consensu iuris et utilitatis communione sociatum, cap. 25. Deinde  
 omnem rem publicam, sive a rege sive ab optimaibus sive ab ipso  
 populo administretur, consilio regendam esse censem. Tum interro-  
 gatus a Laelio quam de tribus istis administranda illius formis opti-  
 mā iudicet nullam earum sibi satis facere respondet, sed quartam

quamdam temperatam et compositam ex omnibus, cap. 29. Instante autem Laelio, ut quam de tribus illis administrationis rationibus maxime probet aperte profiteatur, regiam reliquis duabus anteponit, quum caeterorum plurimorum tum ipsius populi Romani atque rei et domesticae et bellicae usu unice commendatam: quamquam consilium in optimatum, in populi imperio libertatem collaudat. Denique reddit ad eam, quam iam supra professus est, sententiam, genus rei publicae regendae optimum illud sibi videri, quod mixtum sit e tribus illis generibus. Quod quoniam Romanae rei publicae exemplo illustrare propositum habet, antea quantum haec caeteris praestet sibi ostendendum esse dicit. Hunc autem Africani eiusque familiarium sermonem Cicero sibi et amico cuidam, cui opus inscripsit, fortasse Attico, Smyrnae Lepido Catulo coss. anno p. u. c. 676. a P. Rutilie illo, qui sermoni interfuerat, traditum narrat.

[Desiderantur in cod. Vaticano paginae XXXIV.]

Cod. I. 1. .... impetu liberavissent nec C. Duellius, p. 63.] Aulus Atilius, L. Metellus terrore Karthaginis, non duo Scipiones oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxissent nec id excitatum maioribus copiis aut Quintus Maximus enervavisset aut M. Marcellus contundisset aut a portis huius urbis avolsum P. Africanus conpulisset intra hostium moenia. M. vero Catoni, homini p. 64.] ignoto et novo, quo omnes, | qui iisdem rebus studemus, quasi exemplari ad industriam virtutemque ducimur, certe licuit Tusculi se in otio delectare salubri et propinquo loco. Sed homo demens, ut isti putant, quum cogeret eum necessitas nulla, in his undis et tempestatibus ad summam senectutem maluit iactari quam in illa tranquillitate atque otio iucundissime vivere. Omitto innumerabilis p. 77.] viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt, et qui sunt procul ab aetatis huius memoria: commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur. Unum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis generi hominum a natura tantumque amorem ad communem salutem defendendam datum, ut ea vis omnia bladimenta voluptatis otiique vicerit.

II. 2. Nec vero habere virtutem satis est quasi artem p. 78.] aliquam, nisi | utare. Etsi ars quidem, quum ea non utare, scientia tamen ipsa teneri potest: virtus in usu sui

tota posita est, usus autem eius est maximus civitatis gubernatio et earum ipsarum rerum, quas isti in angulis personant, reapse, non oratione perfectio. Nihil enim dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quin ab his partum confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura descripta sunt. Unde | enim pietas aut a quibus [p. 123. religio? unde ius aut gentium aut hoc ipsum civile quod dicitur? unde iustitia, fides, aequitas? unde pudor, continentia, fuga turpitudinis, adpetentia laudis et honestatis? unde in laboribus et periculis fortitudo? nempe ab his, qui haec disciplinis informata, alia moribus confirmarunt, sanxerunt autem alia legibus. 3. Quin etiam Xenocratem ferunt, nobilem in primis philosophum, quum quae[reretur] [p. 124. ex eo quid adsequerentur eius discipuli, respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. Ergo ille civis, qui id cogit omnis imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam his, qui illa disputant, ipsis est praferendus doctoribus. Quae est enim istorum oratio tam exquisita quae sit anteponenda bene constitutae civitati publico iure et moribus? Evidem | quem ad modum

[p. 125.

*urbes magnas atque imperiosas,*

ut appellat Ennius, viculis et castellis praferendas puto, sic eos, qui his urbibus consilio atque auctoritate praesunt, his, qui omnis negotii publici expertes sunt, longe duco sapientia ipsa esse anteponendos. Et quoniam maxime rapiunt ad opes augendas generis humani studemusque nostris consiliis et laboribus tutiorem et opulentiorum vitam hominum reddere et ad hanc | voluptatem ipsius naturae [p. 126. stimulis incitamus, teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cuiusque, neque ea signa audiamus, quae receptui canunt, ut eos etiam revocent, qui iam processerint.

III. 4. His rationibus tam certis tamque inlustribus opponuntur ab his, qui contra disputant, primum labores, qui sint re publica defendenda sustinendi: leve sane impedimentum vigilanti et industrio, neque solum | in tantis [p. 91. rebus, sed etiam in mediocribus vel studiis vel officiis vel

16\*

verò etiam negotiis contemnendum. 5. Adiunguntur pericula vitae turpisque ab his formido mortis fortibus viris opponitur, quibus magis id miserum videri solet, natura se consumi et senectute quam sibi dari tempus, ut possint eam vitam, quae tamen esset reddenda naturae, pro patria potissimum reddere. Illo vero se loco copiosos et disertos putant, quum calamitates clarissimorum viorum iniuriasque iis ab ingratis impositas civibus colligunt. Hinc enim illa et apud Graecos exempla, Miltiadem victorem domitoremque Persarum nondum sanatis vulneribus iis, quae corpore adverso in clarissima victoria accepisset, vitam ex hostium telis servatam in civium vinclis profudisse, et Themistoclem patria, quam liberavisset, pulsum atque p. 43.] proterritum non in Graeciae portus per se servatos, sed in barbariae sinus confugisse, quam adfixerat. Nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplissimos civis exempla deficiunt, quae nata et frequentata apud illos etiam in gravissimam civitatem nostram dicuntur redundasse. 6. Nam vel exilium Camilli vel offensio commemoratur Ahalae vel invidia Nasiae vel expulsio Laenatis p. 74.] vel Opimii | damnatio vel fuga Metelli vel acerbissima C. Marii clades, principum caedes, vel eorum multorum pestes, quae paullo post secutae sunt. Nec vero iam meo nomine abstinent, et, credo, quia nostro consilio ac periculo sese in illa vita atque otio conservatos putant, gravius etiam de nobis queruntur et amantius. Sed haud facile dixerim cur, quum ipsi discendi aut visendi causa maria trahunt . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

p. 259.] IV. 7. . . . salvam esse consulatu abiens in con-  
tione populo Romano idem iurante iuravisse, facile iniuriarum omnium compensarem curam et molestiam. Quamquam nostri casus plus honoris habuerunt quam laboris, neque tantum molestiae quantum gloriae, maioremque laetitiam ex desiderio bonorum perceperimus quam ex laetitia improborum dolorem. Sed si aliter, ut dixi, accidisset, qui p. 260.] possem queri? | quum mihi nihil improviso nec gra-

vius quam exspectavisse pro tantis meis factis evenisset. Is enim fueram, cui quum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam caeteris propter variam suavitatem studiorum, in quibus a pueritia vixeram, aut si quid accideret acerbius universis, non praecipuum, sed parem cum caeteris fortunae condicionem subire, non dubitaverim me gravissimis tempestatibus | ac paene fulminibus ipsis obvium ferre [p. 49. conservandorum civium causa meisque propriis periculis parere commune reliquis otium. 8. Neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis ac tantum modo nostris ipsa commodis serviens tutum perfugium otio nostro suppeditaret et tranquillum ad quietem locum, sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partis ipsa sibi ad utili- [p. 50. tatem suam pigneraretur, tantumque nobis in nostrum privatum usum quantum ipsi superesse posset remitteret.

V. 9. Iam illa perfugia, quae sumunt sibi ad excusationem, quo facilius otio perfruantur, certe minime sunt audienda, quum ita dicunt, accedere ad rem publicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum quibus comparari sordidum, configere | autem multitudine p[re]a- [p. 89. sertim incitata miserum et periculosum sit. Quam ob rem neque sapientis esse accipere habenas, quum insanos atque indomitos impetus volgi cohibere non possit, neque liberalis cum inpuris atque immanibus adversariis decertantem vel contumeliarum verbera subire vel exspectare sapienti non ferendas iniurias, proinde quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis | ulla sit ad rem publicam ad- [p. 90. eundi causa iustior quam ne pareant inprobis neve ab iisdem lacerari rem publicam patiantur, quum ipsi auxilium ferre, si cupiant, non queant.

VI. 10. Illa autem exceptio cui probari tandem potest, quod negant sapientem suscepturum ullam rei publicae partem, extra quam si eum tempus et necessitas coegerit? quasi vero maior cuiquam necessitas accidere possit quam accidit nobis, in qua quid facere potuisse, | nisi [p. 83. tum consul fuisse? Consul autem esse qui potui, nisi eum vitae cursum tenuisse a pueritia, per quem equestri loco

natus pervenirem ad honorem amplissimum? Non igitur potestas est ex tempore aut, quum velis, opitulandi rei publicae, quamvis ea prematur periculis, nisi eo loco sis, ut tibi id facere liceat. 11. Maximeque hoc in hominum doctorum oratione mihi mirum videri solet, quod qui trans p. 84.] quillo | mari gubernare se negent posse, quod nec didicerint nec umquam scire curaverint, iudicem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus. Isti enim palam dicere atque in eo multum etiam gloriari solent, se de rationibus rerum publicarum aut constituerunt, aut tuendarum nihil nec didicisse umquam nec docere, p. 85.] earumque rerum scientiam non doctis hominibus | ac sapientibus, sed in illo genere exercitatis concedendam putant. Qua re qui convenit polliceri operam suam rei publicae tum denique, si necessitate cogantur? quum, quod est multo proclivius, nulla necessitate premente rem publicam regere nesciant. Evidem, ut verum esset sua voluntate sapientem descendere ad rationes civitatis non solere: sin p. 86.] autem temporibus cogeretur, | tum id munus denique non recusare, tamen arbitrarer hanc rerum civilium minime negligendam scientiam sapienti, propterea quod omnia essent ei praeparanda, quibus nesciret an aliquando uti necesse esset.

VII. 12. Haec pluribus a me verbis dicta sunt ob eam causam, quod his libris erat instituta et suscepta mihi de re publica disputatio, quae ne frustra haberetur, dubitationem p. 79.] ad rem publicam adeundi in primis debui tollere. Ac tamen si qui sunt qui philosophorum auctoritate moveantur, dent operam parumper atque audiant eos, quorum summa est auctoritas apud doctissimos homines et gloria: quos ego existimo, etiam si qui ipsi rem publicam non gesserint, tamen, quoniam de re publica multa quaesierint et scripserint, functos esse aliquo rei publicae munere. Eos p. 80.] vero septem, quos Graeci sapientis nominaverunt, omnis paene video in media re publica esse versatos. Neque enim est ulla res, in qua proprius ad deorum numen virtus accedat humana quam civitatis aut condere novas aut conservare iam conditas.

VIII. 13. Quibus de rebus, quoniam nobis contigit ut iidem et in gerenda re publica aliquid essemus memoria dignum consecuti et in explicandis rationibus rerum civilium quamdam facultatem non modo usu, sed etiam [p. 55.] studio discendi et docendi + essemus auctores, quum superiores alii fuissent in disputationibus perpoliti, quorum res gestae nullae invenirentur, alii in gerendo probabiles, in disserendo rudes: nec vero nostra quaedam est instituenda nova et a nobis inventa ratio, sed unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatione repetenda memoria | est, quae mihi tibique quoniam adolescentulo est a P. Rutilio Rufo, Zmyrnae quum simul essemus compluris dies, exposita, in qua nihil fere quod magno opere ad rationes omnium rerum pertineret praetermissum puto.

IX. 14. Nam quum P. Africanus hic, Paulli filius, feriis Latinis Tuditano et Aquilio cos. constituisset in hortis esse, familiarissimique eius ad eum frequenter per eos dies vennitatueros se esse dixissent, | Latinis ipsis mane ad [p. 273.] eum primus sororis filius venit Q. Tubero, quem quum comiter Scipio appellavisset libenterque vidisset: Quid tu, inquit, tam mane, Tubero? Dabant enim hae feriae tibi opportunam sane facultatem ad explicandas tuas litteras. Tum ille: Mihi vero omne tempus est ad meos libros vacuum: numquam enim sunt illi occupati, te autem permagnum est nancisci otiosum, hoc praesertim motu | rei publi- [p. 274.] cae. Tum Scipio: Atqui nactus es, sed mehercule otiosorem opera quam animo. Et ille: At tu vero animum quoque relaxes oportet: sumus enim multi, ut constituimus, parati, si tuo commodo fieri potest, abuti tecum hoc otio. S. Libente me vero, ut aliquid aliquando de doctrinae studiis admoneamur.

X. 15. Tum ille: Visne igitur, quoniam et me quodam modo invitatis et tui spem das, hoc primum, Afri- [q. IIII.] cane, | videamus, ante quam veniunt alii, quidnam [p. 97.] sit de isto altero sole quod nuntiatum est in senatu? neque enim pauci neque leves sunt, qui se duo soles vidiſſe dicant, ut non tam fides non habenda quam ratio quaerenda

sit. Hic Scipio: Quam vellem Panaetium nostrum nobis-  
cum haberemus! qui quum caetera tum haec caelestia vel  
studiosissime solet quaerere. Sed ego, Tubero — nam  
p. 33.] tecum | aperte quod sentio loquar —, non nimis ad-  
sentior in omni isto genere nostro illi familiaris, qui quae  
vix conjectura qualia sint possumus suspicari sic adfirmat,  
ut oculis ea cernere videatur aut tractare plane manu. Quo  
etiam sapientiorem Socratem soleo iudicare, qui omnem  
eius modi curam deposuerit, eaque, quae de natura quaer-  
rentur, aut maiora, quam hominum ratio consequi posset,  
p. 37.] aut nihil omnino ad vitam hominum attinere dixerit.  
16. Dein Tubero: Nescio, Africane, cur ita memoriae pro-  
ditum sit, Socratem omnem istam disputationem reieceris  
et tantum de vita et de moribus solitum esse quaerere.  
Quem enim auctorem de illo locupletiorem Platone laudare  
possumus? cuius in libris multis locis ita loquitur Socrates,  
ut etiam, quum de moribus, de virtutibus, denique de re  
p. 34.] publica disputet, numeros tamen et geometriam et  
harmoniam studeat Pythagorae more coniungere. Tum Scipi-  
o: Sunt ista, ut dicis, sed audisse te credo, Tubero,  
Platonem Socrate mortuo primum in Aegyptum discendi  
causa, post in Italiam et in Siciliam contendisse, ut Pytha-  
gorae inventa perdisceret, eumque et cum Archyta Taren-  
tino et cum Timaeo Locro multum fuisse et Philoleo com-  
p. 263.] mentarios esse nanctum, quumque eo tempore in  
his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus  
Pythagoreis et studiis illis dedisse. Itaque quum Socratem  
unice dilexisisset eique omnia tribuere voluisset, leporem  
Socraticum subtilitatemque sermonis cum obscuritate Py-  
thagorae et cum illa plurimarum artium gravitate contexuit.

XI. 17. Haec Scipio quum dixisset, L. Furium repente  
p. 264.] venientem aspexit eumque ut salutavit amicissime |  
adprehendit et in lecto suo conlocavit. Et quum simul P.  
Rutilius venisset, qui est nobis huius sermonis auctor,  
eum quoque ut salutavit, propter Tuberonem iussit adsidere.  
Tum Furius: Quid vos agitis? num sermonem vestrum ali-  
quem diremit noster interventus? Minime vero, Africanus:  
soles enim tu haec studiose investigare, quae sunt in hoc ge-

nere, de quo instituerat paulo ante Tubero quae[rere. [p. 209.  
Rutilius quidem noster etiam sub ipsis Numantiae moenibus  
solebat mecum interdum eius modi aliquid conquirere. Quae  
res tandem inciderat? inquit Philus. Tum ille: De solibus  
istis duobus, de quo studeo, Phile, ex te audire quid sentias.

XII. 18. Dixerat hoc ille, quum puer nuntiavit venire  
ad eum Laelium domoque iam exisse. Tum Scipio calceis  
et vestimentis sumptis e cubiculo est egressus, et quum  
paululum inambulavisset in porticu, Laelium adve- [p. 210.  
nientem salutavit et eos, qui una venerant, Spurium Mum-  
mum, quem in primis diligebat, et C. Fannium et Quintum  
Scaevolam, generos Laelii, doctos adulescentes, iam aetate  
quaestorios: quos quum omnis salutavisset, convertit se in  
porticu et coniecit in medium Laelium: fuit enim hoc in  
amicitia quasi quoddam ius inter illos, ut militiae propter  
eximiam belli gloriam | Africanum ut deum coleret [p. 197.  
Laelius, domi vicissim Laelium, quod aetate antecedebat,  
observaret in parentis loco Scipio. Dein quum essent per-  
paucia inter se uno aut altero spatio conlocuti Scipionique  
eorum adventus periucundus et pergratus fuisse, placitum  
est ut in aprico maxime pratuli loco, quod erat hibernum  
tempus anni, considerent: quod quum facere vellent, inter-  
venit vir prudens omnibusque illis et iucundus et [p. 198.  
carus M. Manilius, qui a Scipione ceterisque amicissime  
consulatus adsedit proximus Laelio.

XIII. 19. Tum Philus: Non mihi videtur, inquit, quod  
hi venerunt, alias nobis sermo esse quaerendus, sed agen-  
dum accuratius et dicendum dignum aliquid horum auribus.  
Hic Laelius: Quid tandem agebatis aut cui sermoni nos  
intervenimus? PH. Quaesierat ex me Scipio | quid- [p. 269.  
nam sentirem de hoc, quod duo soles visos esse constaret.  
L. Ain vero, Phile, iam explorata nobis sunt ea, quae ad  
domos nostras quaeque ad rem publicam pertineant? si qui-  
dem quid agatur in caelo, quaerimus. Et ille: An tu ad  
domos nostras non censes pertinere scire quid agatur et  
quid fiat domi? quae non ea est, quam parietes nostri  
cingunt, sed mundus hic totus, quod domicilium quamque  
patriam di nobis communem secum dederunt, quum [p. 270.

praesertim, si haec ignoremus, multa nobis et magna ignora-  
randa sint. Ac me quidem, ut hercule etiam te ipsum, Laeli,  
omnisque avidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratio  
que delectat. 20. Tum Laelius: Non impedio, praesertim  
quoniam feriati sumus, sed possumus audire aliquid an  
p. 43.] serius venimus? PH. Nihil est adhuc disputatum, et  
quoniam est integrum, libenter tibi, Laeli, ut de eo disseras,  
equidem concessero. L. Immo vero te audiamus, nisi forte  
Manilius interdictum aliquod inter duos soles putat esse  
componendum, ut ita caelum possideant, ut uterque posse-  
derit. Tum Manilius: Pergisse eam, Laeli, artem inludere,  
in qua primum excelles ipse, deinde sine qua scire nemo  
p. 44.] potest quid sit suum, quid alienum? | Sed ista mox:  
nunc audiamus Philum, quem video maioribus iam de rebus  
quam me aut quam P. Mucium consuli.

XIV. 21. Tum Philus: Nihil novi vobis adferam neque  
quod a me sit cogitatum aut inventum: nam memoria teneo  
C. Sulpicium Gallum, doctissimum, ut scitis, hominem,  
quum idem hoc visum diceretur et esset casu apud M. Mar-  
cellum, qui cum eo consul fuerat, sphaeram, quam M. Mar-  
p. 103.] celli avus captis | Syracusis ex urbe locupletissima  
atque ornatissima sustulisset, quum aliud nihil ex tanta  
praeda domum suam deportavisset, iussisse proferri: cuius  
ego sphaerae quum persaepe propter Archimedi gloriam  
nomen audissem, speciem ipsam non sum tanto opere admiratus:  
erat enim illa venustior et nobilior in volgus, quam  
ab eodem Archimede factam posuerat in templo Virtutis  
p. 104.] Marcellus idem. 22. Sed postea quam | coepit rationem  
huius operis scientissime Gallus exponere, plus in  
illo Siculo ingenii quam videretur natura humana ferre  
potuisse iudicabam fuisse. Dicebat enim Gallus sphaerae  
illius alterius solidae atque plenae vetus esse inventum et  
eam a Thalete Milesio primum esse tornatam, post autem  
ab Eudoxo Cnidio, discipulo, ut ferebat, Platonis, eamdem  
q. V. ] illam astris caelo inhaerentibus es|se descriptam,  
p. 65. ] cuius omnem ornatum et descriptionem sumptam ab  
Eudoxo multis annis post non astrologiae scientia, sed  
poëtica quadam facultate versibus Aratum extulisse. Hoc

autem sphaerae genus, in quo solis et lunae motus inessent  
et earum quinque stellarum, quae errantes et quasi vagae  
nominarentur, in illa sphaera solida non potuisse finiri,  
atque in eo admirandum esse inventum | Archimedi, [p. 66.  
quod excogitasset quem ad modum in dissimillimis motibus  
inaequables et varios cursus servaret una conversio. Hanc  
sphaeram Gallus quum moveret, fiebat ut soli luna totidem  
conversionibus in aere illo quot diebus in ipso caelo succe-  
deret, ex quo et in [caelo] sphaera solis fieret eadem illa  
defectio et incideret luna tum in eam metam, quae esset  
umbra terrae, quum sol e regione . . . . .

[Octo paginae hic a Maio desiderantur.]

XV. 23. . . . . fuit, quod et ipse hominem dili- [p. 59.  
5ebam et in primis patri meo Paulo probatum et carum  
fuisse cognoveram. Memini me admodum adulescentulo,  
quum pater in Macedonia consul esset et essemus in castris,  
perturbari exercitum nostrum religione et metu, quod se-  
rena nocte subito candens et plena luna defecisset. Tum  
ille, quum legatus noster esset anno fere ante, quam consul  
est declaratus, haud dubitavit postridie palam in castris  
docere nullum esse prodigium, idque et tum factum esse  
et certis temporibus semper futurum, quum sol ita locatus  
fuisset, ut lunam suo lumine non posset attingere. Ain  
tandem? inquit Tubero: docere hoc poterat ille homines  
paene agrestes et apud imperitos audebat haec dicere? s.  
Ille vero et magna quidem cum . . . . .

[Hic Maio duae minimum paginae videntur deesse.] [p. 71.

24. neque insolens ostentatio neque oratio abhorrens a  
persona hominis gravissimi: rem enim magnam adsecutus,  
quod hominibus perturbatis inanem religionem timoremque  
deicerat.

XVI. 25. Atque eius modi quiddam etiam bello illo  
maximo, quod Athenienses et Lacedaemonii summa inter-  
se contentione gesserunt, Pericles ille et auctoritate et elo-  
quentia et consilio princeps civitatis sua, quum obscu-  
rato | sole tenebrae factae essent repente Athenien- [p. 72.

siumque animos summus timor occupavisset, docuisse civis suos dicitur, id quod ipse ab Anaxagora, cuius auditor fuerat, acceperat, certo illud tempore fieri et necessario, quum tota se luna sub orbem solis subiecisset: itaque, etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse nisi certo intermenstruo tempore. Quod cum disputando ratiōnibusque docuisset, populum liberavit metu: erat p. 79. enim tunc haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositu solere deficere, quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt. Id autem postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scribit, anno quinquagesimo ccc. fere post Romanam conditam

*Nonis Iunis soli luna obstitit et nox.*

p. 280.] Atque hac in re tanta inest ratio atque sollertia, | ut ex hoc die, quem apud Ennium et in maximis annalibus consignatum videmus, superiores solis defectiones reputatae sint usque ad illam, quae Nonis Quinctilibus fuit regnante Romulo: quibus quidem Romulum tenebris etiam si natura ad humanum exitum abripuit, virtus tamen in caelum dicitur sustulisse.

XVII. 26. Tum Tubero: Videsne, Africane, quod paulo ante secus tibi videbatur, doc . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

p. 121.] 22. . . . lis, quae videant ceteri. Quid porro aut praeclarum putet in rebus humanis, qui haec deorum regna perspexerit, aut diuturnum, qui cognoverit quid sit aeternum, aut gloriosum, qui viderit quam parva sit terra, primum universa, deinde ea pars eius, quam homines incolant, quamque nos in exigua eius parte adfixi plurimis ignotissimi gentibus speremus tamen nostrum nomen volitare et p. 122.] vagari | latissime? Agros vero et aedificia et pecudes et immensum argenti pondus atque auri qui bona nec putare nec appellare soleat, quod earum rerum videatur ei levius fructus, exiguis usus, incertus dominatus, saepe etiam tetricorum hominum immensa possessio. 27. Quam est hic fortunatus putandus, cui soli vere liceat omnia non Quiritium, sed sapientium iure pro suis vindicare! nec [p. 139.

civili nexo, sed communi lege naturae, quae vetat ullam rem esse cuiusquam nisi eius, qui tractare et uti sciatur: qui imperia consulatusque nostros in necessariis, non in expeditis rebus, muneris fungendi gratia subeundos, non praeiorum aut gloriae causa adpetendos putet: qui denique, ut Africanum avum meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, numquam | se plus [p. 140. agere quam nihil quum ageret, numquam minus solum esse quam quum solus esset. 28. Quis enim putare vere potest plus egisse Dionysium tum, quum omnia moliendo eripuerit civibus suis libertatem, quam eius civem Archimedem, quum istam ipsam sphaeram [de qua modo dicebatur] nihil quum agere videretur, efficerit? Quis autem non magis [p. 141. solos esse, qui in foro turbaque quicum conloqui libeat non habeant, quam qui nullo arbitrio vel secum ipsi loquantur vel quasi doctissimorum hominum in concilio adsint, quum eorum inventis scriptisque se oblectent? Quis vero divitiorem quemquam putet quam eum, cui nihil desit quod quidem natura desideret, aut potentiorum quam illum, qui omnia quae expectat consequatur, aut beatorem [p. 142. quam qui sit omni perturbatione animi liberatus, aut firmiore fortuna, quam qui ea possideat, quae secum, ut aiunt, vel e naufragio possit ecferre? Quod autem imperium, qui magistratus, quod regnum potest esse praestantius quam despicientem omnia humana et inferiora sapientia ducentem nihil umquam nisi sempiternum et divinum animo | vo- [p. 127. lutare? cui persuasum sit appellari ceteros homines esse solos eos, qui essent politi propriis humanitatis artibus? 29. Ut mihi Platonis illud, seu quis dixit alias, perelegans esse videatur, quem quum ex alto ignotas ad terras tempestas et in desertum littus detulisset, timentibus ceteris propter ignorationem locorum animadvertisse dicunt in arena geometricas formas quasdam esse descriptas, | quas [p. 128. ut vidisset, exclamavisse ut bono essent animo: videre enim se hominum vestigia: quae videlicet ille non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinae indicis interpretabatur. Quam ob rem, Tubero, semper mihi et doctrina et eruditii homines et tua ista studia placuerunt.

XVIII. 30. Tum Laelius: Non audeo quidem, inquit, ad ista, Scipio, dicere, neque tam te aut Philum aut Manilium . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

p. 285.] . . . in ipsis paterno genere fuit noster ille amicus, dignus huic ad imitandum,

*Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus,*

qui 'egregie cordatus et catus' fuit et ab Ennio dictus est, non quod ea quaerebat, quae numquam inveniret, sed quod ea respondebat, quae eos, qui quaesissent, et cura et negotio solverent: cuique contra Galli studia disputanti in ore p. 286.] semper erant illa | de Iphigenia Achillis:

*Astrologorum signa in caelo quaesit, observat, Iovis  
Quum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluae.  
Quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.*

Atque idem — multum enim illum audiebam et libenter —, Zethum illum Pacuvii nimis inimicum doctrinae esse dicebat: magis eum delectabat Neoptolemus Ennii, qui se ait q. VII.] 'philosophari | velle, sed paucis: nam omnino haud p. 181.] placere'. Quod si studia Graecorum vos tanto opere delectant, sunt alia liberiora et transfusa latius, quae vel ad usum vitae vel etiam ad ipsam rem publicam conferre possumus. Istae quidem artes, si modo aliquid, valent, ut paulum acuant et tamquam inritent ingenia puerorum, quo facilius possint maiora discere.

p. 182.] XIX. 31. Tum Tubero: | Non dissentio a te, Laeli, sed quaero quae tu esse maiora intellegas. L. Dicam mercede et contemnar a te fortasse, quum tu ista caelestia de Scipione quaesieris, ego autem haec, quae videntur ante oculos esse, magis putem quaerenda. Quid enim mihi L. Pauli nepos, hoc avunculo, nobilissima in familia atque in hac tam clara re publica natus, quaerit quo modo duo soles visi sint, non quaerit cur in una re publica duo senatus p. 213.] et duo paene iam populi sint? Nam, ut videtis, mors Tiberii Gracchi et iam ante tota illius ratio tribunatus

divisit populum unum in duas partis, obtrectatores autem et invidi Scipionis initii factis a P. Crasso et Appio Claudio tenent nihilo minus illis mortuis senatus alteram partem dissidentem a nobis auctore Metello et P. Mucio, neque hunc, qui unus potest, concitatis sociis et nomine Latino foederibus violatis triumviris seditiosissimis aliquid [p. 214. cotidie novi molientibus, bonis viris locupletibus perturbatis his tam periculosis rebus subvenire patiuntur. 32. Quam ob rem, si me audietis, adulescentes, solem alterum ne metueritis: aut enim nullus esse potest aut sit sane, ut visus est, modo ne sit molestus, aut scire istarum rerum nihil, aut, etiam si maxime sciemus, nec meliores ob eam scientiam nec beatiores esse possumus: senatum vero [p. 215. et populum ut unum habeamus et fieri potest et permolestem est, nisi fit, et secus esse scimus et videmus, si id effectum sit, et melius nos esse victuros et beatius.

XX. 33. Tum Mucius: Quid esse igitur censes, Laeli, discendum nobis, ut istud efficere possimus ipsum, quod postulas? L. Eas artis, quae efficiant ut usui civitati simus: id enim esse praeclarissimum sapientiae munus maximum que virtutis | vel documentum vel officium puto. [p. 216. Quam ob rem ut hae feriae nobis ad utilissimos rei publicae sermones potissimum conferantur, Scipionem rogemus, ut explicet quem existimet esse optimum statum civitatis. Deinde alia quaeremus: quibus cognitis spero nos ad haec ipsa via perventuros earumque rerum rationem, quae nunc instant, explicaturos.

XXI. 34. Quum id et Philus et Manilius et Mummius admodum adprobavissent, . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

+ Nullum est exemplum, quasi alias adsimulare rem publicam . . . (Diomedes lib. I. p. 362. ed. Putsch.) Quare, si placet, deduc orationem tuam de caelo ad haec cituma. (Nonius p. 85. et p. 289. e Cic. lib. II. de re publ.)

. . . non solum ob eam causam fieri volui, quod [p. 293. erat aecum de re publica potissimum principem rei publicae dicere, sed etiam quod memineram persaepe te cum

Panaetio disserere solitum coram Polybio, duobus Graecis vel peritissimis rerum civilium, multaque colligere ac docere, optimum longe statum civitatis esse eum, quem maiores nostri nobis reliquissent. Qua in disputatione quoniam p. 294.] tu | paratior es, feceris, ut etiam pro his dicam, si de re publica quid sentias explicaris, nobis gratum omnibus.

XXII. 35. Tum ille: Non possum equidem dicere me ulla in cogitatione acrius aut diligentius solere versari quam in ista ipsa, quae mihi, Laeli, a te proponitur. Etenim quum in suo quemque opere artificem, qui quidem excellat, nihil aliud cogitare, meditari, curare videam nisi quo sit in p. 221.] illo genere melior, ego, quum mihi sit unum opus hoc a parentibus maioribusque meis relictum, procuratio atque administratio rei publicae, non me inertiorem esse confitear quam opificem quemquam, si minus in maxima arte, quam illi in minimis, operae consumpserim? 36. Sed neque his contentus sum, quae de ista consultatione scripta nobis summi ex Graecia sapientissimique homines relique- p. 222.] runt, neque | ea, quae mihi videntur, anteferre illis audeo. Quam ob rem peto a vobis, ut me sic audiatis, neque ut omnino expertem Graecarum rerum neque ut eas nostris in hoc praesertim genere anteponentem, sed ut unum e togatis patris diligentia non inliberaliter institutum studioque discendi a pueritia incensum, usu tamen et domesticiis praecepsis multo magis eruditum quam litteris.

p. 223.] XXIII. 37. Hic Philus: Non | hercule, inquit, Scipio, dubito quin tibi ingenio praestiterit nemo, usu quidem in re publica rerum maximarum facile omnis viceris: quibus autem studiis semper fueris tenemus. Quam ob rem si, ut dicis, animum quoque contulisti in istam rationem et quasi artem, habeo maximam gratiam Laelio: spero enim multo uberiora fore, quae a te dicentur, quam illa, quae a p. 224.] Graecis nobis scripta sunt omnia. | Tum ille: Per magnam tu quidem exspectationem, quod onus est ei, qui magnis de rebus dicturus est, gravissimum, inponis orationi meae. Et Philus: Quamvis sit magna, tamen eam vinces, ut soles: neque enim est periculum ne te de re publica disserentem deficiat oratio.

XXIV. 38. Hic Scipio: Faciam quod vultis ut potero et ingrediar in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis utendum esse, si errorem velis [p. 195. tollere, ut eius rei, de qua quaeritur, si nomen quod sit conveniat, explicetur quid declaretur eo nomine: quod si convenerit, tum demum decebit ingredi in sermonem: numquam enim quale sit illud, de quo disputabitur, intellegi poterit, nisi quid sit fuerit intellectum prius. Qua re quoniam de re publica quaerimus, hoc primum videamus, quid sit id ipsum, quod quaerimus. | Quum adproba- [p. 196. visset Laelius: Nec vero, inquit Africanus, ita disseram de re tam inlustri tamque nota, ut ad illa elementa revolvar, quibus uti docti homines his in rebus solent, ut a prima congressione maris et feminae, deinde a progenie et cognatione ordinar verbisque quid sit et quot modis quidque dicitur definiam saepius: apud prudentes enim homines et in maxima re publica summa cum gloria belli domi- [q. VIII. que versatos quum loquar, non committam, ut [p. 61. sit inlustrior illa ipsa res, de qua disputem, quam oratio mea: nec enim hoc suscepi, ut tamquam magister persequerer omnia, neque hoc pollicor me effecturum, ut ne qua particula in hoc sermone praetermissa sit. Tum Laelius: Ego vero istud ipsum genus orationis, quod polliceris, exspecto.

XXV. 39. Est igitur, inquit Africanus, res publica | res populi, populus autem non omnis hominum coetus [p. 62. quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus. Eius autem prima causa coēundi est non tam imbecillitas quam naturalis quaedam hominum quasi congregatio: non est enim singulare nec solivagum genus hoc, sed ita generatum, ut ne in omnium quidem rerum affluen . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

40. *Urbis condendae originem atque causam non unam intulerunt, sed alii eos homines, qui sint ex terra primitus nati, quum per silvas et campos erraticam degerent vitam nec ulla inter se sermonis aut iuris vinculo cohaererent, sed frondes*

et herbam pro cubilibus, speluncas et antra pro domibus haberent, bestiis et fortioribus animalibus praedae fuisse commenmorant. Tum eos, qui aut laniati effugerant aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui ad alios homines decurrisse, praesidium implorasse et primo nutibus voluntatem suam significasse, deinde sermonis initia temptasse ac singulis quibusque rebus nomina imponendo paulatim loquendi perfecisse rationem. Quum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam coepisse munire, vel ut quietem noctis tutam sibi facerent vel ut incursions atque impetus bestiarum non pugnando, sed obiectis aggeribus arcerent. Haec alii delira visa sunt dixeruntque non ferarum laniatus causam fuisse coëundi, sed ipsam potius humanitatem: itaque inter se congregatos, quod natura hominum solitudinis fugiens et communionis ac societatis appetens esset. Lactantius *instit. div. lib. VI. cap. 10.*

*Quid est res publica nisi res populi? res ergo communis res utique civitatis. Quid est autem civitas nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiae? Apud eos enim ita legitur: 'Brevi multitudo dispersa atque vaga concordia civitas facta erat.'* Augustinus *Ep. 138, 10.*

p. 211.] XXVI. 41. .... quaedam quasi semina, neque reliquarum virtutum nec ipsius rei publicae reperiatur ulla institutio. Hi coetus igitur hac, de qua exposui, causa instituti sedem primum certo loco domiciliorum causa constituerunt, quam quum locis manuque saepsissent, eius modi coniunctionem tectorum oppidum vel urbem appellaverunt, delubris distinctam spatiisque communibus. Omnis ergo populus, qui est talis coetus multitudinis, quae p. 212.] lem exposui, omnis civitas, quae est constitutio populi, omnis res publica, quae, ut dixi, populi res est, consilio quodam regenda est, ut diurna sit. Id autem consilium primum semper ad eam causam referendum est, quae causa genuit civitatem. 42. Deinde aut uni tribuendum est aut delectis quibusdam aut suscipiendum est multitudini atque omnibus. Qua re quum penes unum est omnium summa p. 95.] rerum, regem illum unum vocamus et regnum eius

rei publicae statum. Quum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatum arbitrio regi dicitur. Illa autem est civitas popularis — sic enim appellant —, in qua in populo sunt omnia. Atque horum trium generum quodvis, si teneat illud vinculum, quod primum homines inter se rei publicae societate devinxit, non perfectum illud quidem neque mea sententia optimum, sed tolerabile | tamen et [p. 96. aliud ut alio possit esse praestantius. Nam vel rex aecus ac sapiens vel delecti ac principes cives vel ipse populus, quamquam id est minime probandum, tamen nullis interiectis iniquitatibus aut cupiditatibus posse videtur aliquo esse non incerto statu.

XXVII. 43. Sed et in regnis nimis expertes sunt ceteri communis iuris et consilii et in optimatum dominatu vix particeps libertalis potest esse | multitudo, quum [p. 105. omni consilio communis ac potestate careat, et quum omnia per populum geruntur, quamvis iustum atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, quum habet nullos gradus dignitatis. Itaque si Cyrus ille Perses iustissimus fuit sapientissimusque rex, tamen mihi populi res — ea enim est, ut dixi antea, publica — non maxime expetenda fuisse illa videtur, quum regeretur unius nutu. Ac | modo [p. 106. si Massilienses nostri clientes per delectos et principes ci- vies summa iustitia reguntur, inest tamen in ea condicione populi similitudo quaedam servitutis. Si Athenienses quibusdam temporibus sublato Areopago nihil nisi populi sci- tis ac decretis agebant, quoniam distinctos dignitatis gra- dus non habebant, non tenebat ornatum suum civitas.

XXVIII. 44. Atque hoc loquor de tribus his generibus rerum publicarum non turbatis atque permixtis, sed [p. 225. suum statum tenentibus. Quae genera primum sunt in iis singula vitiis, quae ante dixi, deinde habent perniciosa alia vicia: nullum est enim genus illarum rerum publicarum quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praecipit ac lubricum. Nam illi regi, ut eum potissimum no- minem, tolerabili aut, si voltis, etiam amabili, Cyro, subest ad inmutandi animi licentiam crudelissimus ille [p. 226. Phalaris, cuius in similitudinem dominatus unius proclivi

cursu et facile delabitur. Illi autem Massiliensium paucorum et principum administrationi civitatis finitus est qui fuit quodam tempore apud Athenienses triginta [virorum] consensus et factio. Iam Atheniensium populi potestatem omnium rerum ipsi, ne alios requiramus, ad furorem multitudinis licentiamque conversam pesti . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

p. 75.] XXIX. 45. . . . . teterimus et ex hac vel optimatum vel factiosa tyrannica illa vel regia vel etiam per saepe popularis, itemque ex ea genus aliquod ecflorescere ex illis, quae ante dixi, solet, mirique sunt orbes et quasi circumitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum: quos quum cognosse sapientis est tum vero prospicere impendens in gubernanda re publica moderantem p. 76.] cursum atque in sua potestate retinentem magni cuiusdam civis et divini paene est viri. Itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus.

XXX. 46. Hic Laelius: Scio tibi ita placere, Africane: saepe enim ex te audivi, sed tamen, nisi molestum est, ex tribus istis modis rerum publicarum velim scire quod optimum iudices. Nam vel profuerit aliquid ad cog . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

q. VIII. ] XXXI. 47. . . . et talis est quaeque res publica, p. 51. qualis eius aut natura aut voluntas, qui illam regit. Itaque nulla alia in civitate, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet: qua quidem certe nihil potest esse dulcius et quae, si aequa non est, ne libertas quidem est. Qui autem aequa potest esse? omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est aut dubia servi p. 57.] tus, sed in istis civitatibus, in quibus verbo sunt liberi omnes: ferunt enim suffragia, mandant imperia, magistratus, ambiuntur, rogantur, sed ea dant magis, quae, etiam si nolint, danda sint, et quae ipsi non habent, unde alii petunt: sunt enim expertes imperii, consilii publici, iudicii

delectorum iudicum, quae familiarum vetustatibus aut pecuniis ponderantur. In libero autem populo, ut Rhodi, ut Athenis, nemo est civium qui . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

XXXII. 48. . . . . populo aliquis unus pluresve [p. 175.] divitiores opulentioresque extitissent, tum ex eorum fastidio et superbia nata esse commemorant cedentibus ignavis et inbecillis et adrogantiae divitum succumbentibus. Si vero ius suum populi teneant, negant quicquam esse praestans, liberius, beatius, quippe qui domini sint legum, iudiciorum, belli, pacis, foederum, capitis unius cuiusque, pecuniae. Hanc unam | rite rem publicam, id est [p. 176.] rem populi, appellari putant. Itaque et a regum et a patrum dominatione solere in libertatem rem populi vindicari, non ex liberis populis reges requiri aut potestatem atque opes optimatum. 49. Et vero negant oportere indomiti populi vitio genus hoc totum liberi populi repudiari, concordi populo et omnia referenti ad incolumitatem et ad libertatem suam nihil | esse inmutabilius, nihil firmius, facilli- [p. 169.] mam autem in ea re publica esse concordiam, in qua idem conducat omnibus: ex utilitatis varietatibus, quum aliis aliud expediat, nasci discordias. Itaque quum patres rerum potirentur, numquam constitisse civitatis statum. Multo iam id in regnis minus, quorum, ut ait Ennius, 'nulla [regni] sancta societas nec fides est.' Qua re quum lex sit civilis societatis vinculum, ius autem legis aequale, [p. 170.] quo iure societas civium teneri potest, quum par non sit condicio civium? Si enim pecunias aequari non placet, si ingenia omnium paria esse non possunt, iura certe paria debent esse eorum inter se, qui sunt cives in eadem re publica. Quid est enim civitas nisi iuris societas? . . . . .

[Desiderantur paginae quattuor.]

XXXIII. 50. Ceteras vero res publicas ne appellandas quidem putant iis nominibus, quibus illae sese appellari velint. Cur enim regem appellem Iovis optimi nomine hominem dominandi cupidum aut imperii singularis, populo

oppresso dominantem, non tyrannum potius? tam enim esse clemens tyrannus quam rex importunus potest, ut hoc populorum intersit, utrum comi domino an aspero ser-  
p. 54.] viant: | quin serviant quidem fieri non potest. Quo autem modo adsequi poterat Lacedaemon illa tum, quum praestare putabatur disciplinae rei publicae, ut bonis uteretur iustisque regibus, quum esset habendus rex quicumque genere regio natus esset? Nam optimatis quidem quis ferat, qui non populi concessu, sed suis comitiis hoc sibi nomen adrogaverunt? Qui enim iudicatur iste optimus doctrina, artibus, studiis? Audio quando . . . . .

[Desiderantur paginae quattuor.]

p. 179.] XXXIV. 51. .... si fortuito id faciet, tam scito evertetur quam navis, si e vectoribus sorte ductus ad gubernacula accesserit. Quod si liber populus deligit quibus se committat, deligetque, si modo salvus esse vult, optimum quemque, certe in optimorum consiliis posita est civitatum salus, praesertim quum hoc natura tulerit, non solum ut summi virtute et animo praeessent inbecillioribus, sed p. 180.] ut hi etiam parere summis velint. Verum hunc optimum statum pravis hominibus eversum esse dicunt, qui ignoratione virtutis, quae quum in paucis est tum in paucis iudicatur et cernitur, opulentos homines et copiosos, tum genere nobili natos esse optimos putant. Hoc errore vulgi quum rem publicam opes paucorum, non virtutes, tenere coeperunt, nomen illi principes optimatum mordicus tenent, re autem carent eo nomine. Nam divi-  
p. 117.] tiae, | nomen, opes vacuae consilio et vivendi atque aliis imperandi modo dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae, nec ulla deformior species est civitatis quam illa, in qua opulentissimi optimi putantur. 52. Virtute vero gubernante rem publicam quid potest esse praeflarius? quum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati, quum, quas ad res civis instituit et vocat, eas omnis complexus est, sine p. 118.] ulla cupiditate | ipse, nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat, sed suam vitam ut legem praefert suis civibus. Qui si unus satis omnia consequi posset,

nihil opus esset pluribus, si universi videre optimum et in eo consentire possent, nemo delectos principes quaereret. Difficultas ineundi consilii rem a rege ad plures, error et temeritas populorum a multitudine ad paucos transtulit. Sic inter infirmitatem unius temeritatemque multorum medium [p. 233. optimates possederunt locum, quo nihil potest esse moderatus: quibus rem publicam tueribus beatissimos esse populos necesse est vacuos omni cura et cogitatione, aliis permisso otio suo, quibus id tuendum est, neque commitendum ut sua commoda populus neglegi a principibus putet. 53. Nam aequabilitas quidem iuris, quam amplexantur liberi populi, neque servari potest — ipsi enim po- [p. 234] puli, quamvis soluti esfrenatique sint, praecipue multis multa tribuunt et est in ipsis magnus delectus hominum et dignitatum — eaque, quae appellatur aequabilitas, iniquissima est. Quum enim par habetur honos summis et infimis, qui sint in omni populo necesse est, ipsa aequitas iniquissima est: quod in iis civitatibus, quae ab optimis reguntur, accidere non potest. Haec fere, Laeli, et quaedam eiusdem [p. 235. generis ab iis, qui eam formam rei publicae maxime laudant, disputari solent.

XXXV. 54. Tum Laelius: Quid tu, inquit, Scipio? e tribus istis quid maxime probas? s. Recte quaeris, quid maxime e tribus, quoniam eorum nullum ipsum per se separatum probo anteponoque singulis illud, quod conflatum fuerit ex omnibus. Sed si unum ac simplex probandum sit, regium probem atque in primis laudem. In primo autem genere, quod | hoc loco appellatur, occurrit nomen quasi [p. 236. patrium regis, ut ex se natis ita consulentis suis civibus et eos conservantis studiosius quam redigentis in servitutem, ut sane utilius sit facultatibus et mente exiguos sustentari unius optimi et summi viri diligentia. 55. Adsunt optimates qui se melius hoc idem facere profiteantur plusque fore dicant in pluribus consilii quam in uno et eamdem [p. 131. tamen aequitatem et fidem. Ecce autem maxima voce clamat populus neque se uni neque paucis velle parere, libertate ne feris quidem quicquam esse dulcissimum, hac omnes carere, sive regi sive optimatibus serviant. Ita caritate nos

capiunt reges, consilio optimates, libertate populi, ut in comparando difficile ad eligendum sit quid maxime velis. p. 132.] L. Credo, inquit, sed expediri | quae restant vix poterunt, si hoc incohatum reliqueris.

XXXVI. 56. s. Imitabor ergo Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens a Iove incipendum putat. L. Que Iove? aut quid habet illius carminis simile haec oratio? s. Tantum, inquit, ut rite ab eo dicendi principia capiamus, quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique consentiunt. Quid? inquit Laelius. p. 165.] Et ille: Quid censes, nisi quod est | ante oculos? Sive haec ad utilitatem vitae constituta sint a principibus rerum publicarum, ut rex putaretur unus esse in caelo, qui nutu, ut ait Homerus, totum Olympum converteret, idemque et rex et pater haberetur omnium, magna auctoritas est multique testes, si quidem omnis multos appellari placet, ita consensisse gentes, decretis videlicet principum, nihil p. 166.] esse rege melius, quo|niam deos omnis censem unius regi numine. Si haec in errore imperitorum posita esse et fabularum similia didicimus, audiamus communis quasi doctores eruditorum hominum, qui tamquam oculis illa viderunt, quae nos vix audiendo cognoscimus. Quinam, inquit Laelius, isti sunt? Et ille: Qui natura omnium rerum pervestiganda senserunt omnem hunc mundum mente . . . .

[Desiderantur paginae quattuor.]

57. Hunc hiatum Mains expleri vult his verbis Lactantii, ex hoc Ciceronis loco, ut videtur, adumbratis: *Plato monarchiam adserit unum deum dicens, a quo sit mundus instructus et mirabili ratione perfectus. Aristoteles, auditor eius, unam esse mentem quae mundo praesideat confitetur, Antisthenes unum esse dicit naturalem deum, totius summae gubernatorem. Longum est recensere quae de summo deo vel Thales vel Pythagoras et Anaximenes antea vel postmodum Stoici, Cleanthes et Chrysippus et Zeno et ipse Tullius praedicaverint, quum hi omnes a deo solo regi mundum adfirmaverint. Hermes, qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus meruit nominari, qui et doctrinae vetustate philosophos antecessit quique*

*apud Aegyptios ut deus colitur maiestatem dei singularis infinitis adserens laudibus, dominum et patrem nuncupat etc. Lactantius Epit. c. 4.*

XXXVII. 58. .... Sed si vis, Laeli, dabo tibi [p. 99. testes nec nimis antiquos nec ullo modo barbaros. L. Istos, inquit, volo. s. Videsne igitur minus quadringentorum annorum esse hanc urbem, ut sine regibus sit? L. Vero minus. s. Quid ergo? haec quadringentorum annorum aetas ut urbis et civitatis num valde longa est? L. Ista vero, inquit, adulta vix. s. Ergo his annis quadringentis Romae rex erat? L. Et superbus quidem. | s. Quid supra? [p. 100. L. Iustissimus, et deinceps retro usque ad Romulum, qui ab hoc tempore anno sescentesimo rex erat. s. Ergo ne iste quidem pervetus? L. Minime ac prope senescente iam Graecia. s. Cedo num, Scipio, barbarorum Romulus rex fuit? L. Si, ut Graeci dicunt omnis aut Graios esse aut barbaros, vereor ne barbarorum rex fuerit: sin id nomen moribus dandum est, non linguis, non Graecos minus | barbaros quam Romanos puto. Et Scipio: Atqui [p. 153. ad hoc, de quo agitur, non quaerimus gentem, ingenia quaerimus. Si enim et prudentes homines et non veteres reges habere voluerunt, utor neque perantiquis neque inhumanis ac feris testibus.

XXXVIII. 59. Tum Laelius: Video te, Scipio, testimoniū satis instructum, sed apud me ut apud bonum iudicem argumenta plus quam testes vident. | Tum Scipio: Utter igitur arguento, Laeli, tute ipse sensus tui. Cuius, inquit ille, sensus? s. Si quando, si forte, tibi virus es irasci alicui. L. Ego vero saepius quam vellem. s. Quid? tum, quum tu es iratus, permittis illi iracundiae dominatum animi tui? L. Non mehercule, inquit, sed imitor Archytam illum Tarentinum, qui quum ad villam venisset, et omnia aliter offendisset ac iusserset: Te, te infelicem, inquit vilico, quem necassem iam verberibus, nisi [p. 265. iratus essem. 60. Optime, inquit Scipio. Ergo Archytas iracundiam videlicet dissidentem a ratione seditionem quamdam animi esse ducebat, eam consilio sedari volebat. Adde avaritiam, adde imperii, adde gloriae cupiditatem, adde

libidines, et illud vides, in animis hominum regale si imperium sit, unius fore dominatum, consilii scilicet — ea est p. 266.] enim animi pars optima —, consilio autem dominante nullum esse libidinibus, nullum irae, nullum temeritati locum. L. Sic, inquit, est. s. Probas igitur animum ita affectum? L. Nihil vero, inquit, magis. s. Ergo non profecto probares, si consilio pulso libidines, quae sunt innumerabiles, iracundiaeve tenerent omnia. L. Ego vero nihil isto p. 267.] animo, nihil ita animato homine [miserius ducerem. s. Sub regno igitur tibi esse placet omnis animi partes et eas regi consilio? L. Mihi vero sic placet. s. Cur igitur dubitas quid de re publica sentias? in qua, si in plures translata res sit, intellegi iam licet, nullum fore quod praesit imperium, quod quidem, nisi unum sit, esse nullum potest.

XXXIX. 61. Tum Laelius: Quid, quaeso, interest inter unum et plures, si iustitia est in pluribus? Et Scipio: p. 268.] Quoniam testibus meis intellexi, Laeli, te non valde moveri, non desinam te uti teste, ut hoc, quod dico, probem. Me, inquit ille, quoniam modo? s. Quia animum adverti nuper, quum essemus in Formiano, te familiae valde interdicere ut uni dicto audiens esset. L. Quippe vilico. s. Quid domi? pluresne praesunt negotiis tuis? L. Immo vero unus, inquit. s. Quid? totam domum num quis alter praeter p. 159.] te regit? L. Minime vero. s. Quin tu igitur concedis item in re publica singulorum dominatus, si modo iusti sint, esse optimos? L. Adducor igitur et propemodum adsentior.

XL. 62. Et Scipio: Tum magis adsentiare, Laeli, si, ut omittam similitudines, uni gubernatori, uni medico, si digni modo sint iis artibus, rectius esse alteri navem committere, aegrum alteri quam multis, ad maiora pervernero. L. Quaenam ista sunt? s. Quid? tu non vides unius p. 160.] importunitate et superbia Tarquinii nomen huic populo in odium venisse regium? L. Video vero, inquit. s. Ergo etiam illud vides, de quo progrediente oratione multa me dicturum puto, Tarquinio exacto mira quadam exultasse populum insolentia libertatis, tum exacti in exilium innocentes, tum bona direpta multorum, tum annui consules, tum

demissi populo fasces, tum provocaciones omnium [p. 101. rerum, tum secessio plebei, tum prorsus ita acta pleraque, ut in populo essent omnia. 63. l. Est, inquit, ut dicis. Est vero, inquit Scipio, in pace et otio: licet enim lascivire, dum nihil metuas, ut in navi ac saepe etiam in morbo levius. Sed ut ille, qui navigat, quum subito mare coepit horrescere, et ille aeger ingravescente morbo unius opem implorat, sic noster populus in pace et domui imperat et ipsis magistris minatur, recusat, appellat, provocat, in bello [p. 102. sic paret ut regi: valet enim salus plus quam libido. Gravioribus vero bellis etiam sine collega omne imperium nostri penes singulos esse voluerunt, quorum ipsum nomen vim suae potestatis indicat. Nam 'dictator' quidem ab eo appellatur, quia 'dicitur', sed in nostris libris vides eum, Laeli, magistrum populi appellari. L. Video, inquit. Et Scipio: Sapienter igitur illi veteres

[Desiderantur paginae duae.]

XLI. 64. .... iusto quidem rege quum est populus orbatus, 'pectora dura tenet desiderium', sieut ait Q. Ennius, post optimi regis obitum:

simul inter

*Sese sic memorant: o Romule, Romule die,  
Qualem te patriae custodem di genuerunt!  
O pater, o genitor, o sanguen dis oriundum!*

Non 'heros' nec 'dominos' appellabant eos, quibus iuste paruerunt: denique ne reges quidem, sed patriae custodes, sed patres et deos. Nec sine causa. Quid [p. 150. adiungunt?

*Tu produxisti nos intra luminis oras.*

Vitam, honorem, decus sibi datum esse iustitia regis existimabant. Mansisset eadem voluntas in eorum posteris, si regum similitudo permansisset, sed vides unius iniustitia concidisse genus illud totum rei publicae. L. Video vero, inquit, et studeo cursus istos mutationum [p. 147. non magis in nostra quam in omni re publica noscere.

XLII. 65. Et Scipio: Est omnino, quum de illo genere rei publicae, quod maxime probo, quae sentio dixero, accusatius mihi dicendum de commutationibus rerum publicarum, etsi minime facile eas in ea re publica futuras puto. Sed huius regiae prima et certissima est illa mutatio. Quum rex iniustus esse coepit, perit illud illico genus, et est idem ille [p. 148.] tyrannus, deterrium genus et finitimum optimo: quem si optimates opprimerunt, quod ferme evenit, habet statum res publica de tribus secundarium: est enim quasi regium, id est, patrium consilium populo bene consulentium principum: sin per se populus interfecit aut eiecit tyrannum, est moderatior, quoad sentit et sapit, et sua re gesta laetatur tuerique vult per se constitutam rem [p. 243.] publicam. Si quando aut regi iusto vim populus attulit regnove eum spoliavit aut etiam, id quod evenit saepius, optimatum sanguinem gustavit ac totam rem publicam substravit libidini suae — cave putas autem mare ullum aut flammarum esse tantam quam non facilis sit sedare quam exfrenatam insolentia multitudinem —, XLIII. 66. tum fit illud, quod apud Platonem est luculente dictum, si modo id exprimere Latine potuero: nam dif- [p. 244.] ficle factu est, sed conabor tamen. Quum enim, inquit, inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti malisque usus ille ministris non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hausit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit, praepotentes, reges, tyrannos vocat. Puto enim tibi haec esse nota. [p. 151.] L. Vero mihi, inquit ille, notissima. 67. s. Ergo illa secuntur: eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo et servos voluntarios appellari, eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant, ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus, ut necesse sit in eius modi re publica plena libertatis esse omnia, ut et pri- [p. 152.] vata domus omnis vacet dominatione et hoc malum usque ad bestias perveniat, denique ut pater filium metuat, filius patrem neglegat, absit omnis pudor, ut plane liberi

sint, nihil intersit civis sit an peregrinus, magister ut discipulos metuat et iis blandiatur spernantque discipuli magistros, adolescentes ut senum sibi pondus adsumant, senes autem ad ludum adulescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves: ex quo fit ut etiam servi se liberius [p. 161.] ge- rant, uxores eodem iure sint quo viri, quin tanta libertate canes etiam et equi, aselli denique liberi sint, sic incurvant, ut iis de via decedendum sit. Ergo ex hac infinita, inquit, licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeat imperii, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt neglegere, ut plane sine ullo domino sint.

XLIV. 68. Tum Laelius: Prorsus, inquit, ex- [p. 162.] pressa sunt a te quae dicta sunt ab illo. s. Atque, ut iam ad sermonis mei morem revertar, ex hac nimia licentia, quam illi solam libertatem putant, ait ille ut ex stirpe quādam exsistere et quasi nasci tyrannum. Nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute adfecit. Sic omnia nimia, quum vel in tempestate vel in agris vel in [p. 257.] corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque [id] in rebus publicis evenit, nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. Itaque ex hac maxima libertate tyrannus gignitur et illa iniustissima et durissima servitus. Ex hoc enim populo indomito vel potius immani deligitur aliqui plerumque dux contra illos principes adflictos iam et depulsos loco audax, [p. 258.] inpurus, consecans proterve bene saepe de re publica meritos, populo gratificans et aliena et sua: cui quia privato sunt oppositi timores, dantur imperia et ea continuantur, praesidiis etiam, ut Athenis Pisistratus, saepiuntur, postremo, a quibus producti sunt, existunt eorum ipsorum tyranni: quos si boni opprimerunt, ut saepe fit, recreatur civitas: sin audaces, fit illa factio genus aliud tyran- [p. 133.] norum, eademque oritur etiam ex illo saepe optimatum praeclaro statu, quum ipsos principes aliqua pravitas de via deflexit. Sic tanquam pilam rapiunt inter se rei publicae statum tyranni ab regibus, ab iis autem aut principes aut

populi, a quibus aut factiones aut tyranni, nec diutius umquam tenetur idem rei publicae modus.

XLV. 69. Quod ita quum sit, e tribus primis generibus p. 134.] longe praestat mea sententia regium, | regio autem ipsi praestabit id, quod erit aequatum et temperatum ex tribus optimis rerum publicarum modis. Placet enim esse quiddam in re publica praestans et regale, esse aliud auctoritati principum partitum ac tributum, esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis. Haec constitutio primum habet aequabilitatem quamdam magnam, qua carere p. 163.] diutius vix possunt liberi, deinde firmitudinem, quod et illa prima facile in contraria vitia convertuntur, ut exsistat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio, quodque ipsa genera generibus saepe commutantur novis: hoc in hac iuncta moderateque permixta conformatio rei publicae non ferme sine magnis principum vitiis evenit. Non est enim causa conversionis, ubi in p. 164.] suo | quisque est gradu firmiter collocatus et non subest quo praecipitet ac decidat.

XLVI. 70. Sed vereor, Laeli vosque homines amicissimi ac prudentissimi, ne, si diutius in hoc genere verser, quasi praecipientis cuiusdam et docentis et non vobiscum simul considerantis esse videatur oratio mea. Quam ob rem ingrediar in ea, quae nota sunt omnibus, quaesita autem q. XIII. a nobis iam diu. Sic enim decerno, sic | sentio, p. 177. sic adfirmo, nullam omnium rerum publicarum aut constitutione aut descriptione aut disciplina conferendam esse cum ea, quam patres nostri nobis acceptam iam inde a maioribus reliquerunt. Quam, si placet, quoniam ea, quae tenebatis ipsi, etiam ex me audire voluistis, simul et qualis sit et optimam esse ostendam, expositaque ad ex- p. 178.] emplum nostra re publica, accommodabo ad eam, si potero, omnem illam orationem, quae est mihi habenda de optimo civitatis statu. Quod si tenere et consequi potuero, cumulate munus hoc, cui me Laelius praeposuit, ut opinio mea fert, effecero.

XLVII. 71. Tum Laelius: Tuum vero, inquit, Scipio, ac tuum quidem munus. Quis enim te potius aut de maio-

rum dixerit institutis? quum sis clarissimis ipse maioribus, aut de optimo statu civitatis? quem | si habemus, [p. 155. et si ne nunc quidem, tunc vero quis te possit esse florentior? aut de consiliis in posterum providendis? quum tu duobus huius urbis terroribus depulsis in omne tempus prospexeris.

## LIBRI I. DE RE PUBLICA

### FRAGMENTA INCERTAE SEDIS ALIA AB ALIIS PETITA.

[Duo prima Maius prooemio tribuit, ut in quo et de patriae caritate et de disciplina civili sermo sit.]

Sed quoniam plura beneficia continet patria et est antiquior parens quam is, qui creavit, maior ei profecto quam parenti debetur gratia. Nonius p. 426.

Nec tantum Karthago habuisse opum sescentos fere annos sine consiliis et disciplina. Idem p. 526.

Cognoscere me hercle, inquit, consuetudinem istam et studium sermonis. Idem p. 276.

Profecto, inquit Cicero, omnis istorum disputatio, quamquam uberrimos fontes virtutis et scientiae contineat, tamen collata cum horum actis perfectisque rebus vereor ne non tantum videatur attulisse negotiis hominum utilitatis quantum oblectationem quamdam otii. Lactantius inst. div. lib. III. cap. 16.

A qua isti avocabant. Arusianus Messius Exempl. elocut. p. 216. ed. Lindemann.

M. TULLII CICERONIS  
**D E R E P U B L I C A**  
LIBER SECUNDUS.

A R G U M E N T U M.

Hoc libro Africanus Catonis confirmat sententiam, Romanorum rem publicam caeteris praestare civitatibus, quod non subito unius hominis arbitrio, sed complurium deinceps virorum consilio, pietate, virtute sit constituta. Qua mente enarrat quibus illa civitas auspiciis a Romulo condita sit et quibus beneficiis, artibus praesidiisque ab eodem caeterisque regibus aucta et firmata, cap. 1—22., tyrannidis impatiens, tandem excusso Tarquinii ingo se in libertatem vindicaveri, cap. 23—27. Iam exposita tyrannidis natura, cap. 28. 29., Scipio non minimae, qualem Plato cogitatione finxerit, sed maxima, quae vere fuerit, Romanorum civitatis imaginem adumbrando novam se disputandi viam ingredi profitetur, cap. 30. Hinc proposito P. Valerii Publicolae exemplo paullo post reges exactos quater consulis, quanta primo tempore senatorum, consulum, dictatorum auctoritas et quam modica populi libertas fuerit paucis significat, cap. 31. 32. Mox plebem aere alieno pressam et a patriciis vexatam prima in montem sacrum secessione facta Cominio Sp. Cassio coss. (a. u. c. 261.), plus iuris adeptam esse constituta potestate tribunicia, cap. 33 sq., populum autem tanto tuendae libertatis studio flagrasse, ut Sp. Cassium regnum appetentem ipse pater occiderit (a. u. c. 300.) et plebes potestatis decemviralis libidine exacerbata iterum (a. u. c. 304.) in montem sacrum secesserit, cap. 35—37. Iam enarrata rerum Romanarum historia Scipio Tuberoni urgenti se de conservandae rei publicae rationibus disputaturum pollicetur, cap. 38 sqq.

p. 275.] I. 1. [Ut omnes igitur vidit incensos cupido audiendi, ingressus est sic loqui Scipio. Catonis hoc senis est, quem, ut scitis, unice dilexi maximeque sum admiratus, cuique vel patris utriusque iudicio vel etiam meo studio me totum ab adolescentia dedidi, cuius me numquam sa-

tiare potuit oratio: tantus erat in homine usus rei publicae quam et domi et militiae quum optime tum etiam | diu- [p. 276.  
tissime gesserat, et modus in dicendo et gravitate mixtus  
lepos et summum vel discendi studium vel docendi et ora-  
tioni vita admodum congruens. 2. Is dicere solebat ob  
hanc causam praestare nostrae civitatis statum ceteris  
civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere qui suam quis-  
que rem publicam constituisserent legibus atque institu-  
tis | suis, ut Cretum Minos, Lacedaemoniorum Ly- [p. 277.  
curgus, Atheniensium, quae persaepe commutata esset, tum  
Theseus, tum Draco, tum Solo, tum Clisthenes, tum multi  
alii, postremo exsanguem iam et iacentem doctus vir Pha-  
lereus sustentasset Demetrius, nostra autem res publica  
non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis  
vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Nam  
| neque ullum ingenium tantum exstisset dicebat, ut [p. 278.  
quem res nulla fugeret quisquam aliquando fuisset, neque  
cuncta ingenia conlata in unum tantum posse uno tempore  
providere, ut omnia completerentur sine rerum usu ac  
vetustate. 3. Quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea re-  
petet oratio populi originem: libenter enim etiam verbo utor  
Catonis. Facilius autem quod est propositum | con- [p. 287  
sequar, si nostram rem publicam vobis et nascentem et  
crescentem et adultam et iam firmam atque robustam osten-  
dero, quam si mihi aliquam, ut apud Platonem Socrates,  
ipse finxero.

II. 4. Hoc quum omnes adprobavissent: Quod habemus  
igitur [inquit] institutae rei publicae tam clarum ac tam  
omnibus notum exordium quam huius urbis condendae  
principium profectum a Romulo? qui patre Marte natus —  
concedamus enim famae hominum, praesertim non [p. 288.  
inveteratae solum, sed etiam sapienter a maioribus pro-  
ditae, bene meriti de rebus communibus ut genere etiam  
putarentur, non solum esse ingenio divino —: is igitur, ut  
natus sit, cum Remo fratre dicitur ab Amulio rege Albano  
ob labefactandi regni timorem ad Tiberim exponi iussus  
esse: quo in loco quum esset silvestris beluae sustentatus  
uberibus pastoresque eum | sustulissent et in agresti [p. 289.  
cic. IV. 2. 18

cultu laboreque aliuisserint, perhibetur, ut adoleverit, et corporis viribus et animi ferocitate tantum ceteris praestitisse, ut omnes, qui tum eos agros, ubi hodie est haec urbs, inclebant, aequo animo illi libenterque parerent. Quorum copiis quum se ducem praebuisset, ut iam a fabulis ad facta veniamus, oppressisse Longam Albam, validam urbem et p. 290.] potentem | temporibus illis, Amulumque regem intermissem fertur.

III. 5. Qua gloria parta urbem auspicato condere et firmare dicitur primum cogitavisse rem publicam. Urbi autem locum, quod est ei, qui diuturnam rem publicam serere conatur, diligentissime providendum, in credibili opportunitate delegit. Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit illa manu copiisque facillimum, ut in agrum Rutulorum Aborigines [p. 157.] ginumve | procederet, aut in ostio Tiberino, quem in locum multis post annis rex Ancus coloniam deduxit, urbem ipse conderet, sed hoc vir excellenti providentia sensit ac vidiit, non esse opportunissimos situs maritimos urbibus eis, quae ad spem diuturnitatis conderentur atque imperii. 6. Primum quod essent urbes maritimae non solum multis periculis oppositae, sed etiam | caecis. Nam terra continens adventus hostium non modo exspectatos, sed etiam repentinorum multis indicis et quasi fragore quodam et sonitu ipso ante denuntiat. Neque vero quisquam potest hostis advolare terra, quin eum non modo [ad]esse, sed etiam quis et unde sit scire possimus. Maritimus vero ille et navalis hostis ante adesse potest quam quisquam venturum esse suspicari queat. Nec vero, quum venit, praesertim [p. 158.] se | fert aut qui sit aut unde veniat aut etiam quid velit, denique ne nota quidem ulla pacatus an hostis sit discerni ac iudicari potest.

IV. 7. Est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum: admiscentur enim novis sermonibus ac disciplinis et importantur non merces solum adventiciae, sed etiam mores, ut nihil possit in patriis in p. 168.] stititis manere integrum. Iam qui incolunt eas urbes non haerent in suis sedibus, sed volueri semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius, atque etiam quum ma-

nent corpore, animo tamen excursant et vagantur. Nec vero ulla res magis labefactatam diu et Karthaginem et Corinthum pervertit aliquando quam hic error ac dissipatio civium, quod mercandi cupiditate et navigandi et [q. XIII. agrorum et armorum cultum reliquerant. 8. Multa [p. 227. etiam ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus subpedantur mari, quae vel capiuntur vel importantur, atque habet etiam amoenitas ipsa vel sumptuosas vel desidiosas inlecebras multas cupiditatum. Et quod de Corintho dixi, id haud scio an liceat de cuncta Graecia verissime dicere. Nam et ipsa Peloponnesus fere tota in mari est, | nec [p. 228. praeter Phliasios ulli sunt, quorum agri non contingent mare, et extra Peloponnesum Aenianes et Doris et Dolopes soli absunt a mari. Quid dicam insulas Graeciae? quae fluctibus cinctae natant paene ipsae simul cum civitatum institutis et moribus. 9. Atque haec quidem, ut supra dixi, veteris sunt Graeciae. Coloniarum vero quae est deducta a Graiis in Asiam, Thracam, Italiam, Siciliam, Africam, praeter unam Magnesiam, quam unda non adluat? Ita barbarorum agris quasi adtexta | quaedam videtur ora [p. 229. esse Graeciae. Nam e barbaris quidem ipsis nulli erant antea maritimi praeter Etruscos et Poenos, alteri mercandi causa, latrociniandi alteri. Quae causa perspicua est malorum commutationumque Graeciae propter ea vitia maritimarum urbium, quae ante paulo perbreviter adtigi. Sed tamen in iis vitiis inest illa magna commoditas, et quod ubique genitum | est ut ad eam urbem, quam incolas, posse [p. 230. sit adnare et rursus, ut id, quod agri efferant sui, quascumque velint in terras portare possint ac mittere.

V. 10. Qui potuit igitur divinus et utilitates complecti maritimis Romulus et vitia vitare? quam quod urbem perennis amnis et aequabilis et in mare late influentis posuit in ripa, quo posset urbs et accipere ex mari quo egeret et reddere quo redundaret, | eodemque ut flumine res [p. 231. ad victimum cultumque maxime necessarias non solum mari absorberet, sed etiam in vectas acciperet ex terra, ut mihi iam tum divinasse ille videatur hanc urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio praebituram: nam hanc

rerum tantam potentiam non ferme facilis ulla in parte Italicae posita urbs tenere potuisse.

VL. 11. Urbis autem ipsius nativa praesidia quis p. 232.] est tam neglegens qui non habeat animo notata planaque cognita? cuius is est tractus ductusque muri quum Romuli tum etiam reliquorum regum sapientia definitus ex omni parte arduis praeruptisque montibus, ut unus aditus, qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem, maximo aggere obiecto fossa cingeretur vastissima, atque ut ita mun. p. 261.] nita arx circumiectu arduo et quasi circumciso saxo niteretur, ut etiam in illa tempestate horribili Gallici adventus incolumis atque intacta permanserit. Locumque de legit et fontibus abundantem et in regione pestilenti salubrem: colles enim sunt, qui quum perflantur ipsi tum adferunt umbram vallibus.

VII. 12. Atque haec quidem perceleriter confecit: nam et urbem constituit, quam e suo nomine Romam iussit no- p. 262.] minari: et ad firmam novam civitatem novum quoddam et subagreste consilium, sed ad muniendas opes regni ac populi sui magni hominis et iam tum longe providentis secutus est, quum Sabinas honesto ortas loco virgines, quae Romam ludorum gratia venissent, quos tum primum anniversarios in circo facere instituisset, Consualibus p. 271.] rapi iussit easque in familiarum amplissimarum | matrimoniiis collocavit. 13. Qua ex causa quum bellum Romanis Sabini intulissent proeliique certamen varium atque anceps fuisse, cum T. Tatio rege Sabinorum foedus icit matronis ipsis, quae raptae erant, orantibus: quo foedere et Sabinos in civitatem adscivit sacris communicatis et regnum suum cum illorum rege sociavit.

VIII. 14. Post interitum autem Tatii quum ad eum po- p. 272.] tentatus omnis recidisset, | quamquam cum Tatio in regium consilium delegerat principes, qui appellati sunt propter caritatem patres, populumque et suo et Tatii nomine et Lucemonis, qui Romuli socius in Sabino proelio occiderat, in tribus tris curiasque triginta descripserat, quas curias earum nominibus nuncupavit, quae ex Sabinis virginis raptae postea fuerant oratrices pacis et foederis, sed quam-

quam ea Tatio sic erant | descripta vivo, tamen eo [p. 237. imperfecto multo etiam magis Romulus patrum auctoritate consilioque regnavit.

IX. 15. Quo facto primum vidit iudicavitque idem, quod Spartae Lycurgus paulo ante viderat, singulari imperio et potestate regia tum melius gubernari et regi civitates, si esset optimi cuiusque ad illam vim dominationis adjuncta auctoritas. Itaque hoc consilio et quasi senatu fultus | et [p. 238. munitus et bella cum finitimis felicissime multa gessit et, quum ipse nihil ex praeda domum suam reportaret, locupletare civis non destitit. 16. Tunc, id quod retinemus hodie magna cum salute rei publicae, auspiciis plurimum obsecutus est Romulus. Nam et ipse, quod principium rei publicae fuit, urbem condidit auspicato et omnibus publicis rebus instituendis qui sibi essent in auspiciis ex singulis tribibus singulos cooptavit augures et habuit [p. 239. plebem in clientelas principum descriptam, quod quantae fuerit utilitati post videro, multaeque dictione ovium et boum, quod tum erat res in pecore et locorum possessi- nibus, ex quo pecuniosi et locupletes vocabantur, non vi et suppliciis coercebant.

X. 17. Ac Romulus quum septem et triginta regnavisset annos et haec egregia duo firmamenta rei publicae perisset, | auspicia et senatum, tantum est conse- [p. 240. cutus, ut, quum subito sole obsevato non conparuisset, deorum in numero conlocatus putaretur: quam opinionem nemo umquam mortalis adsequi potuit sine eximia virtutis gloria. 18. Atque hoc eo magis est in Romulo admirandum, quod ceteri, qui di ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis hominum saeculis fuerunt, ut fin[gendi] [p. 241. proclivis esset ratio, quum imperiti facile ad credendum in- pellerentur. Romuli autem aetatem minus his sescentis annis, iam inveteratis litteris atque doctrinis omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato fuisse cer- nimus. Nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno Olympiadis septumae, in id saeculum Romuli cecidit aetas, quum | iam plena [p. 242. Graecia poëtarum et musicorum esset minorque fabulis nisi

de veteribus rebus haberetur fides. Nam centum et octo annis, postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est Olympias, quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant. Homerum autem, qui minimum dicunt, Lycurgi aetati tringinta annis anteponunt fere. q. XV.] 19. Ex quo intellegi potest permultis annis ante p. 301. Homerum fuisse quam Romulum, ut iam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quicquam esset loci. Antiquitas enim recepit fabulas fictas etiam non numquam incondite, haec aetas autem iam exulta, praesertim eludens omne, quod fieri non potest, respuit. [Augustinus de civ. dei lib. XXII. cap. 6. Opp. T. V. p. 1335.]

[Desiderantur in cod. Vatic. litterae CCXXX. s. huius ed. III  
fere versus.]

20. . . . eodem nomine alius nepos eius, ut dixerunt quidam, ex filia, quoniam ille mortuus eodem est anno, natus Simones Olympiade sexta et quinquagesima: quo facilius intellegi possit tum de Romuli immortalitate creditum, quum iam inveterata vita hominum ac tractata esset et cognita. Sed profecto tanta fuit in eo vis ingenii atque virtutis, ut id de Romulo Proculo Iulio homini agresti credetur, quod multis iam ante saeculis nullo alio de mortali homines credidissent: qui impulsu patrum, quo illi a se invidiam interitus Romuli pellerent, in contione dixisse fertur a se visum esse in eo colle Romulum, qui nunc Quirinalis vocatur: eum sibi mandasse ut populum rogaret ut sibi eo p. 68.] in colle delubrum fieret: se deum esse et Quirinum vocari.

XI. 21. Videtisne igitur unius viri consilio non solum ortum novum populum neque ut in cunabulis vagientem relicum, sed adultum iam et paene puberem? Tum Laelius: Nos vero videmus, et te quidem ingressum ratione ad dispu- p. 81.] tandem nova, quae nusquam est in Graecorum libris. Nam princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumpsit in qua civitatem extrueret arbitratu suo, praeclaram ille quidem fortasse, sed a vita hominum

abhorrentem et a moribus. 22. Reliqui disseruerunt sine ullo certo exemplari formaque rei publicae de generibus et de rationibus civitatum. Tu mihi videris utrumque facturus: es | enim ita ingressus, ut quae ipse reperias [p. 82. tribuere aliis malis quam, ut facit apud Platonem Socrates, ipse fingere et illa de urbis situ revoces ad rationem, quae a Romulo casu aut necessitate facta sunt, et disputes non vaganti oratione, sed defixa in una re publica. Qua re perge ut instituisti: prospicere enim iam videor te reliquos reges persequeantur quasi perfectam rem publicam.

XII. 23. Ergo, inquit Scipio, quum ille | Romuli senatus, qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres vellet nominari patriciosque eorum liberos, temptaret post Romuli excessum, ut ipse gereret sine rege rem publicam, populus id non tulit, desiderioque Romuli postea regem flagitare non destitit: quum prudenter illi principes novam et inauditam ceteris gentibus interregni ineundi rationem excogitave- [p. 282. runt, ut, quoad certus rex declaratus esset, nec sine rege civitas nec diuturno rege esset uno nec committeretur ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum imperium tardior esset aut ad optinendum munitor. 24. Quo quidem tempore novus ille populus vidit tamen, id quod fugit Lacedaemonium Lycurgum, qui regem non deligendum duxit, si modo hoc in Lycurgi potestate | po- [p. 283. tut esse, sed habendum, qualiscumque is foret, qui modo esset Herculis stirpe generatus. Nostri illi etiam tum agrestes viderunt virtutem et sapientiam regalem, non progeniem quaeri oportere.

XIII. 25. Quibus quum esse praestantem Numam Pomplium fama ferret, praetermissis suis civibus regem alienigenam patribus auctoribus sibi ipse populus adscivit eumque ad regnandum | Sabinum hominem Romam Curibus [p. 284. accivit. Qui ut huc venit, quamquam populus curiatis eum comitiis regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit, hominesque Romanos instituto Romuli bellicis studiis ut vidiit incensos, existimavit eos paulum ab illa consuetudine esse revocandos.

XIV. 26. Ac primum agros, quos bello Romulus cepit, divisit viritim civibus | docuitque sine depopulatione atque praeda posse eos colendis agris abundare commodis omnibus, amoremque eis otii et pacis iniecit, in quibus facillime iustitia et fides convalescit et quorum patrocinio maxime cultus agrorum perceptioque frugum defenduntur. Idemque Pompilius et auspiciis maioribus inventis ad pristinum numerum duo augures addidit et sacris e principiis p. 87.] pum numero pontifices quinque praefecit et animos propositis legibus his, quas in monumentis habemus, ardentis consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimoniis mitigavit adiunxitque praeterea flamines, Salios virginisque Vestales omnisque partis religionis statuit sanctissime. 27. Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, apparatum perfacilem esse voluit. Nam quae perdiscenda p. 88.] quaeque obervanda esent multa constituit, sed ea sine impensa. Sic religionibus colendis operam addidit, sumptum removit, idemque mercatus, ludos omnesque conveniundi causas et celebritates invenit. Quibus rebus institutis ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum studiis bellandi iam immanis ac feros. Sic ille p. 69.] quum undequadraginta annos summa in pace concordiaque regnavisset — sequamur enim potissimum Polybiuum nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior —, excessit e vita duabus paeclarissimis ad diuturnitatem rei publicae rebus confirmatis, religione atque clementia.

XV. 28. Quae quum Scipio dixisset: Verene, inquit Manilius, hoc memoriae proditum est, Africane, regem istum Numam Pythagoraene ipsius discipulum an certe Pythagorae p. 295.] reum fuisse? | Saepe enim hoc de maioribus natu audivimus et ita intellegimus vulgo existimari: neque vero satis id annualium publicorum auctoritate declaratum videntur. Tum Scipio: Falsum est enim, Manilius, inquit, id totum, neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum: ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum facta esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus. Nam quartum | iam annum regnante Lucio p. 296.] mus.

Tarquinio Superbo Sybarim et Crotонem et in eas Italiae partis Pythagoras venisse reperitur. Olympias enim secunda et sexagesima eadem Superbi regni initium et Pythagorae declarat adventum. 29. Ex quo intellegi regiis annis dinumeratis potest anno fere centesimo et quadragesimo post mortem Numae primum Italiam Pythagoram | attigisse: neque hoc inter eos, qui diligenter p. 39.] umquam in dubitatione versatum. Di inmortales, inquit Manilius, quantus iste est hominum et quam inveteratus error! Ac tamen facile patior non esse nos transmarinis nec importatis artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus.

XVI. 30. Atqui multo id facilius cognosces, inquit Afri canus, si | progredientem rem publicam atque in [p. 40.] optimum statum naturali quodam itinere et cursu venientem videris: quin hoc ipso sapientiam maiorum statues esse laudandam, quod multa intelleges etiam aliunde sumpta meliora apud nos multo esse facta quam ibi fuissent, unde huc translata essent atque ubi primum exstitissent, intellegesque non fortuito populum Romanum, sed consilio et disciplina confirmatum esse nec tamen adversante fortuna. [p. 217.]

XVII. 31. Mortuo rege Pompilio Tullum Hostilium populus regem interrege rogante comitiis curiatis creavit, isque de imperio suo exemplo Pompili populum consuluit curiatis. Cuius excellens in re militari gloria magnaenque extiterunt res bellicae. Fecit idem et saepsit de manubiis comitium et curiam, constituitque ius, quo bella indicentur, quod per se iustissime inventum sanxit | fetiali [p. 218.] religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque inpium iudicaretur. Et ut advertatis animum quam sapienter iam reges nostri viderint, tribuenda quaedam esse populo: multa enim nobis de eo genere dicenda sunt, ne insignibus quidem regiis Tullus nisi iussu populi est ausus uti. Nam ut sibi duodecim lictores cum fascibus anteire liceret.....

[Desiderantur paginae duae.]

32. Propterea et istum non creditum inter deos receptum tali morte, quia fortasse, quod erat in Romulo probatum, Romani vulgare noluerunt, si hoc et alteri facile tribueretur. [Augustinus de civ. dei lib. III. cap. 15. Tom. V. p. 179.]

p. 171.] XVIII. 33. .... neque enim serpit, sed volat in optimum statum instituto tuo sermone res publica. s. Post eum Numae Pompillii nepos ex filia rex a populo est Ancus Marcius constitutus, itemque de imperio suo legem curiatam tulit. Qui quum Latinos bello devicisset, adscivit eos in civitatem. Atque idem Aventinum et Caelium montem adiunxit urbi quosque agros ceperat divisit et silvas mari-  
p. 172.] timas omnis publicavit quas ceperat et ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmavit. Atque ita quum tres et viginti regnavisset annos, est mortuus. Tum Laelius: Laudandus etiam iste rex, sed obscura est historia Romana, si quidem istius regis matrem habemus, ignoramus patrem. s. Ita est, inquit: sed temporum illorum tantum fere regum inlustrata sunt nomina.

XIX. 34. Sed hoc loco primum videtur insitiva quādam disciplina doctior facta esse civitas. Influxit enim non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium. Fuisse enim quedam ferunt Demaratum Corinthium et honore et auctoritate et fortunis facile civitatis suae principem, qui quum Corinthiorum tyrannum Cypselum ferre non  
p. 173.] potuissest, fugisse cum magna pecunia dicitur ac se contulisse Tarquinios in urbem Etruriae florentissimam. Quumque audiret dominationem Cypseli confirmari, defugit patriam vir liber ac fortis et adscitus est civis a Tarquinensibus atque in ea civitate domicilium et sedes collocavit. Ubi quum de matre familias Tarquiniensi duo filios procreavisset, omnibus eos artibus ad Graecorum disciplinam eruditerudit.....

[Desiderantur paginae duae.]

p. 219.] XX. 35. .... facile in civitatem receptus esset, propter humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris

est factus, usque eo ut consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur. Erat in eo praeterea summa comitas, summa in omnis civis opis, auxiliis, defensionis, largiendi etiam benignitas. Itaque mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius: sic enim suum nomen ex Graeco nomine inflexerat, ut in [p. 220. omni genere huius populi consuetudinem videretur imitatus. Isque ut de suo imperio legem tulit, principio duplicavit illum pristinum patrum numerum et antiquos patres maiorum gentium appellavit quos priores sententiam rogabat, a se adscitos minorum. 36. Deinde equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus: nec potuit [p. 37. Titiensium et Rhamnensium et Lucerum mutare quum cuperet nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat. Atque etiam Corinthios video publicis equis adsignandis et alendis orborum et viduarum tributis fuisse quondam diligentis. Sed tamen prioribus equitum partibus secundis additis  $\infty$  ac cc. fecit | equites, nu-  
merumque duplicavit, postquam bello subegit Aequorum magnam gentem et ferocem et rebus populi Romani imminentem. Idemque Sabinos, quum a moenibus urbis repulisset, equitatu fudit belloque devicit. Atque eumdem primum ludos maximos, qui Romani dicti sunt, fecisse accepimus, aedemque in Capitolio Iovi optimo maximo bello Sabino in ipsa pugna vovisse faciemdam mortuum- [q. XVII. que esse, quum duodequadraginta regnavisset [p. 31. annos.

XXI. 37. Tum Laelius: Nunc fit illud Catonis certius, nec temporis unius nec hominis esse constitutionem rei publicae: perspicuum est enim quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio. Sed sequitur is, qui mihi videtur ex omnibus in re publica vidiisse plurimum. Ita est, inquit Scipio. Nam post eum Servius Sulpicius pri-  
mus iniussu populi regnavisse traditur, quem ferunt ex serva Tarquiniensi natum, quum esset ex quodam regis cliente conceptus. Qui quum famulorum numero educatus ad epulas regis adsisteret, non latuit scintilla ingenii, quae iam tum elucebat in puer: si erat in omni vel officio vel

sermone sollers. Itaque Tarquinius, qui admodum parvos p. 291.] tum haberet liberos, sic Servium diligebat, ut is eius vulgo haberetur filius, atque eum summo studio omnibus iis artibus, quas ipse didicerat, ad exquisitissimam consuetudinem Graecorum erudiit. 38. Sed quum Tarquinius insidiis Anci filiorum interisset Serviusque, ut ante dixi, regnare coepisset non iussu, sed voluntate atque concessu p. 292.] civium, quod, quum Tarquinius ex vulnera aeger fuisse et vivere falso diceretur, ille regio ornatus ius dixisset obaeratosque pecunia sua liberavisset, multaque comitate usus iussu Tarquinii se ius dicere probavisset, non commisit se patribus, sed Tarquinio sepulto populum de se ipse consuluit, iussusque regnare legem de imperio suo curiatam tulit. Et primum Etruscorum injurias bello est ultus: ex quo quum ma . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

p. 107.] XXII. 39. .... scripsit centurias equitum duodecim censu maximo. Deinde equitum magno numero ex omni populi summa separato reliquum populum distribuit in quinque classis senioresque a iunioribus divisit, eosque ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent, curavitque, quod semper in re publica tenendum est, ne plurimum valeant plurimi. p. 108.] Quae | discriptio si esset ignota vobis, explicaretur a me. Nunc rationem videtis esse tales, ut equitum centuriae cum sex suffragiis et prima classis addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIII. centurias habeat: quibus ex centum quattuor centuriis — tot enim reliquae sunt — octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa, reliquaque multo p. 93.] maior multitudo sex et nonaginta centuriarum | neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum. 40. In quo etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens, qui quum locupletis assiduos appellasset ab asse dando, eos, qui aut non plus mille quingentum aeris aut omnino nihil in suum censem praeter caput attulissent, proletarios nominavit, ut ex iis quasi pro-

les, id est quasi progenies civitatis, | exspectari vi- [p. 94.] deretur. Illarum autem sex et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem plures censebantur quam paene in prima classe tota. Ita nec prohibebatur quisquam iure suffragii et is valebat in suffragio plurimum, cuius plurimum intererat esse in optimo statu civitatem. Quin etiam accensis, velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis . . . .

[Desiderantur paginae quattuor.]

XXIII. 41. Statu esse optimo constitutam rem publicam, quae ex tribus generibus illis, regali et optimati et populari, confusa modice nec puniendo inritet animum immanem ac ferum. [Nonius p. 342. e lib. II. de re publ.]

42. .... quinque et sexaginta annis antiquior, [p. 45.] quod erat XXXVIII. ante primam Olympiadem condita. Et antiquissimus ille Lycurgus eadem vidit fere. Itaque ista aequabilitas atque hoc triplex rerum publicarum genus videtur mihi commune nobis cum illis populis fuisse. Sed quod proprium est in nostra re publica, quo nihil possit esse praecarius, id persequar, si potero, subtilius, quod erit eius | modi, nihil ut tale ulla in re publica re- [p. 46.] periatur. Haec enim, quae adhuc exposui, ita mixta fuerunt et in hac civitate et in Lacedaemoniorum et in Karthaginensium, ut temperata nullo fuerint modo. 43. Nam in qua re publica est unus aliquis perpetua potestate, praesertim regia, quamvis in ea sit et senatus, ut tum fuit Romae, quum erant reges, ut Spartae Lycurgi legibus, et ut sit aliquod etiam populi | ius, ut fuit apud nostros reges, ta- [q. XVIII. men illud excellit regium nomen, neque potest [p. 145.] eius modi res publica non regnum et esse et vocari. Ea autem forma civitatis mutabilis maxime est hanc ob causam, quod unius vitio precipitata in perniciosissimam partem facillime decidit. Nam ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum, sed haud scio an reliquis | simplicibus longe anteponendum, si ullum [p. 146.] probarem simplex rei publicae genus, sed ita, quoad statum suum retinet: is est autem status, ut unius perpetua potestate et iustitia omnique sapientia regatur salus et aequabi-

llitas et otium civium. Desunt omnino ei populo multa, qui sub rege est, in primisque libertas, quae non in eo est, ut iusto utamur domino, sed ut nullo . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

p. 15.] XXIV. 44. . . . Itaque illa praeclara constitutio Romuli quum ducentos annos et viginti fere firma mansisset — [Nonius p. 526. e Cic. lib. II. de re publ.]

45. . . . ferebant. Etenim illi iniusto domino atque acerbo aliquamdiu in rebus gerundis prospere fortuna comitata est. Nam et omne Latium bello devicit et Suessam Pometiam urbem opulentam refertamque cepit et maxima auri argenteique praeda locupletatus votum patris Capitolii aedificatione persolvit et colonias deduxit et institutis eorum, p. 16.] a quibus ortus erat, | dona magnifica quasi libamenta praedarum Delphos ad Apollinem misit.

XXV. 46. Hic ille iam vertetur orbis, cuius naturalem motum atque circuitum a primo discite adgnoscere. Id enim est caput civilis prudentiae, in qua omnis haec nostra versatur oratio, videre itinera flexusque rerum publicarum, ut, quum sciatis quo quaeque res inclinet, retinere aut ante p. 255.] possitis | occurrere. Nam rex ille, de quo loquor, primum optimi regis caede maculatus, integra mente non erat, et quum metueret ipse poenam sceleris sui summam, metui se volebat. Deinde victoriis divitiisque subinxus exultabat insolentia neque suos mores regere poterat neque suorum libidines. 47. Itaque quum maior eius filius Lucretiae, Tricipitini filiae, Conlatini uxori, vim attulisset mu- p. 256.] tierque pudens et nobilis ob illam iniuriam sese ipsa morte multavisset, tum vir ingenio et virtute praestans L. Brutus depulit a civibus suis iniustum illud durae servitutis iugum: qui quum privatus esset, totam rem publicam sustinuit, primusque in hac civitate docuit in conservanda ci- vium libertate esse privatum neminem. Quo auctore et p. 245.] principe concitata civitas et hac recenti que|rella Lucretiae patris ac propinquorum et recordatione superbiae Tarquinii multarumque iniuriarum et ipsius et filiorum, exu-

lam et regem ipsum et liberos eius et gentem Tarquiniorum esse iussit.

XXVI. 48. Videtisne igitur ut de rege dominus exstiterit unusque vitio genus rei publicae ex bono in deterrum conversum sit? Hic est enim dominus populi, quem Graeci tyran|num vocant: nam regem illum volant esse, [p. 246. qui consult ut parens populo conservatque eos, quibus est praepositus, quam optima in condicione vivendi. Sane bonum, ut dixi, rei publicae genus, sed tamen inclinatum et quasi prouum ad perniciosissimum statum. 49. Simul atque enim se inflexit hic rex in dominatum iniustiorem, fit continuo tyrannus, quo neque taetrius neque foedius nec dis hominibus|que invisius animal ullum cogitari [p. 229. potest: qui quamquam figura est hominis, morum tamen immanitate et feritate vastissimas vincit beluas. Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam iuris communione, nullam humanitatis societatem velit? Sed erit hoc de genere nobis aliis aptior dicendi locus, quum res ipsa admonuerit ut in eos dicamus, qui etiam liberata iam [p. 30. civitate dominationes adpellerunt.

XXVII. 50. Habetis igitur primum ortum tyranni: nam hoc nomen Graeci regis iniusti esse voluerunt: nostri qui dem omnes reges vocitaverunt, qui soli in populos perpetuam potestatem haberent. Itaque et Spurius Cassius et M. Manlius et Spurius Maelius regnum occupare voluisse dicti sunt, et modo Tib. Gracchus . . . . .

[Desiderantur paginae duae.]

XXVIII. 51. . . . *Lycurgus γέοντας Lacedae-* [p. 135. mone appellavit, nimis is quidem paucos, xxviii, quos penes summam consilii voluit esse, quum imperii summam rex teneret: ex quo nostri idem illud secuti atque interpretati, quos senes ille appellavit, nominaverunt senatum, ut etiam Romulum patribus lectis fecisse diximus, tamen excellit atque eminet vis, potestas nomenque regium. Inpertinet etiam populo potestatis | aliquid, ut et Lycurgus et [p. 136. Romulus: non satiaris eum libertate, sed incenderis cupi-

ditate libertatis, quum tantum modo potestatem gustandi feceris. Ille quidem semper inpendebit timor, ne rex, quod plerumque evenit, exsistat iniustus. Est igitur fragilis ea fortuna populi, quae posita est in unius, ut dixi antea, voluntate vel moribus.

XXIX. 52. Qua re prima sit haec forma et species et q. XVIII.] origo tyranni, inventa nobis in ea re publica, quam p. 189. auspicio Romulus condiderit, non in illa, quam, ut perscripsit Plato, sibi ipse Socrates Peripatetico illo in sermone depinxerit: ut, quem ad modum Tarquinius non novam potestatem nactus, sed, quam habebat, usus iniuste, totum genus hoc regiae civitatis everterit: sit huic opposit. 190.] tus alter, bonus et sapiens et peritus utilitatis dignitatisque civilis, quasi tutor et procurator rei publicae: sic enim appelletur quicumque erit rector et gubernator civitatis. Quem virum facite ut agnoscat: est enim, qui consilio et opera civitatem tueri potest. Quod quoniam nomen minus est adhuc tritum sermone nostro saepiusque genus eius hominis erit in reliqua nobis oratione tractandum . . . .

[Desiderantur paginae duodecim.]

p. 187.] XXX. 53. . . . . Plato regionem sedesque civium aequis apprime partibus divisas requisivit, civitatemque optandam magis sperandam quam minimum posuit, non quae possit esse, sed in qua ratio rerum civilium perspicie posset efficit. Ego autem, si quo modo consequi potuero, rationibus eisdem, quas ille vidit, non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissima re publica enitar ut cuiusque et boni publici et mali causam tamquam virgula videar attin. 188.] gere. | Iis enim regiis quadraginta annis et ducentis paulo cum interregnis fere amplius praeteritis expulsoque Tarquinio tantum odium populum Romanum regalis nominis tenuit, quantum tenuerat post obitum vel potius excessum Romuli desiderium. Itaque ut tum carere rege, sic pulso Tarquinio nomen regis audire non poterat. Hic facultatem cum . . . . .

[Desiderantur paginae sedecim.]

XXXI. 54. Itaque illa praeclara constitutio Romuli quum ducentos annos et quadraginta fere firma mansisset . . . . [Nonius p. 526.]

Romani regalem dominationem non ferentes annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, qui consules appellati sunt consulendo, non reges aut domini a regnando atque dominando. [Augustinus de civ. dei lib. V. cap. 12.] . . . [q. XX. lex illa tota sublata est. Hac mente tum nostri [p. 35. maiores et Conlatinum innocentem suspicione cognitionis expulerunt et reliquos Tarquinios offensione nominis. Eademque mente P. Valerius et fasces primus demitti iussit, quum dicere in contione coepisset, et aedis suas detulit sub Veliam, postea quam, quod in excelsiore loco Veliae coepisset aedicare, eo ipso, ubi rex | Tul. [p. 36. lus habitaverat, suspicionem populi sensit moveri. Idemque, in quo fuit Publicola maxime, legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. Provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri, significant nostri etiam augurales, | itemque ab omni iudicio poenaque provo- [p. 119. cari licere indicant XII. tabulae pluribus legibus: ut, quod proditum memoria est, XVIROS, qui leges scripserint, sine provocacione creatos, satis ostenderent reliquos sine provocacione magistratus non fuisse, Luciique Valerii Potiti et M. Horatii Barbatii, hominum concordiae causa sapienter popularium, consularis lex sanxit, | ne qui magistratus sine provocacione crearetur. Neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quicquam praeter sanctionem attulerunt novi. 55. Itaque Publicola lege illa de provocacione perlata statim securis de fascibus demi ius|sit postridieque sibi collegam Sp. [p. 185. Lueretium subrogavit suosque ad eum, quod erat maior natu, lictores transire iussit, instituitque primus ut singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent, ne plura insignia essent in perii in libero populo quam in regno fuisserent. Haud mediocris hic, ut ego quidem intellego, vir fuit, qui modica libertate populo data facilius tenuit auctoritatem

principum. Neque ego haec nunc sine causa tam vetera p. 186.] vobis et tam obsoleta decant, | sed in lustibus in personis temporibusque exempla hominum rerumque definitio ad quae reliqua oratio dirigatur mea.

XXXII. 56. Tenuit igitur hoc in statu senatus rem publicam temporibus illis, ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate et instituto ac more gererentur, atque uti consules potestatem haberent tempore p. 5.] dumtaxat annuam, | genere ipso ac iure regiam. Quodque erat ad optinendam potentiam nobilium vel maximum, vehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata nisi ea patrum adprobavisset auctoritas. Atque his ipsis temporibus dictator etiam est institutus decem fere annis post primos consules T. Larcius, novumque id genus imperii p. 6.] visum est et proximum similitudini regiae. Sed | tamen omnia summa cum auctoritate a principibus cedente populo tenebantur, magna que res temporibus illis a fortissimis viris summo imperio praeditis dictatoribus atque consulibus belli gerebantur.

XXXIII. 57. Sed id, quod fieri natura rerum ipsa cogebat, ut plusculum sibi iuris populus adscisceret, liberatus a regibus, non longo intervallo, sexto decimo fere anno, p. 7.] Postumo Colminio Sp. Cassio consulibus consecutus est: in quo defuit fortasse ratio, sed tamen vincit ipsa rerum publicarum natura saepe rationem. Id enim tenetote, quod initio dixi, nisi aequabilis haec in civitate compensatio sit et iuris et officii et muneris, ut et potestatis satis in magistratibus et auctoritatis in principum consilio et libertatis in p. 8.] populo sit, non posse hunc incommutabilem rei publicae conservari statum. 58. Nam quum esset ex aere alieno commota civitas, plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit. Ac ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus Graecis frenos: nam etiam Spartae regnante Theopompo sunt item quinque, quos illi ephoros appellant, in Creta autem decem, qui cosmoe vocantur, ut contra consulare imperium tribuni pl., sic illi contra p. 191.] vim | regiam constituti.

XXXIV. 59. Fuerat fortasse aliqua ratio maioribus no-

stris in illo aere alieno medendi, quae neque Solonem Athenensem non longis temporibus ante fugerat neque post aliquanto nostrum senatum, quum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata nec tueretur postea desitum, semperque huic generi, quum plebes publica calamitate inpendiis debilitata deficeret, salutis omnium causa [p. 192. aliqua sublevatio et medicina quaesita est. Quo tum consilio praetermissa causa populo nata est duobus tribunis plebis per seditionem creatis, ut potentia senatus atque auctoritas minueretur: quae tamen gravis et magna remanebat sapientissimis et fortissimis et armis et consilio civitatem tueribus, quorum auctoritas maxime florebat, [p. 129. quod, quum honore longe antecellerent ceteris, voluptatibus erant inferiores nec pecuniis ferme superiores, eo que erat cuiusque gravior in re publica virtus, quod in rebus privatis diligentissime singulos cives opera, consilio, re tuebantur.

XXXV. 60. Quo in statu rei publicae Sp. Cassium de occupando regno molientem, summa apud populum gratia florentem, quaestor | accusavit eumque, ut audistis, [p. 130. quum pater in ea culpa esse conperisse se dixisset, | cedente populo morte mactavit. Gratamque etiam illam rem quarto circiter et quinquagesimo anno post primos consules de multae sacramento Sp. Tarpeius et A. Aternius consules comitiis centuriatis tulerunt. Annis postea xx. ex eo, quod L. Papirius P. Pinarius censores multis dicendis vim [p. 41. armentorum a privatis in publicum averterant, levis aestimatio pecudum in multa lege C. Iulii P. Papirii consulum constituta est.

XXXVI. 61. Sed aliquot ante annis, quum summa esset auctoritas in senatu populo paciente atque parente, inita ratio est ut et consules et tribuni pl. magistrati se abdicarent atque ut xviri maxima potestate sine provocatio|ne [p. 42. crearentur, qui et summum imperium haberent et leges scriberent. Qui quum x. tabulas summa legum aequitate prudentiaque conscripsissent, in annum posterum decemvirois alios subrogaverunt, quorum non similiter fides nec iustitia laudata. Quo tamen e collegio laus est illa

eximia C. Iulii, qui hominem nobilem L. Sestium, cuius in q. XXII.] cubiculo efcossum esse se praesente mortuum di p. 137.] ceret, quum ipse potestatem summam haberet, quod decemvir sine provocatione esset, vades tamen posseit, quod se legem illam paeclararam neglecturum negaret, quae de capite civis Romani nisi comitiis centuriatis statui vetaret.

XXXVII. 62. Tertius est annus xviralis consecutus, quum p. 138.] iidem essent nec alios subrogare voluissent. In hoc statu rei publicae, quem dixi iam saepe non posse esse diuturnum, quod non esset in omnis ordines civitatis aequalis, erat penes principes tota res publica, praepositis xviris nobilissimis, non oppositis tribunis pl., nullis aliis adiunctis magistratibus, non provocatione ad populum contra necem et verbera relicita. 63. Ergo horum ex iniustitia subito ex p. 183.] orta est maxima perturbatio et totius commutatio rei publicae: qui duabus tabulis iniquarum legum additis, quibus, etiam quae diunctis populis tribui solent conubia, haec illi ut ne plebei cum patribus essent, inhumanissima lege sanxerunt, quae postea plebei scito Canuleio abrogata est, libidinoseque omni imperio et acerbe et avare populo praeferuerunt. Nota scilicet illa res et celebrata mo p. 184.] numen[tis plurimis litterarum, quum Decimus quidam Verginius virginem filiam propter unius ex illis xviris intemperiem in foro sua manu interemisset ac maerens ad exercitum, qui tum erat in Alido, confugisset, milites bellum illud, quod erat in manibus, reliquise et primum montem sacrum, sicut erat in simili causa antea factum, deinde Aventinum armatos insedisse . . . . .

[Desiderantur paginae octo.]

Dictatore L. Quinctio dicto. [Philargyrius ad Virgil. Georg. III. 125. p. 9. ed. Paris.] p. 193.] . . . maiores nostros et probavisse maxime et retinuisse sapientissime iudico.

XXXVIII. 64. Quum ea Scipio dixisset silentioque omnium reliqua eius exspectaretur oratio, tum Tubero: Quoniam nihil ex te, Africane, hi maiores natu requirunt, ex me

audies quid in oratione tua desiderem. Sane, inquit Scipio, et libenter quidem. Tum ille: Laudavisce mihi videris nostram rem publicam, quum ex te non de nostra, [p. 194. sed de omni re publica quaesisset Laelius. Nec tamen didici ex oratione tua istam ipsam rem publicam, quam laudas, qua disciplina, quibus moribus aut legibus constituere vel conservare possimus.

XXXIX. 65. Hic Africanus: Puto nobis mox de instituendis et conservandis civitatibus aptiorem, Tubero, fore disserundi locum. De optimo autem statu equidem arbitrabor me satis respondisse ad id, quod quaesierat [p. 143. Laelius. Primum enim numero definieram genera civitatum tria probabilia, perniciosa autem tribus illis totidem contraria, nullumque ex eis unum esse optimum, sed id prae stare singulis, quod e tribus primis esset modice temperatum. 66. Quod autem exemplo nostrae civitatis [p. 144. usus sum, non ad definiendum optimum statum valuit: nam id fieri potuit sine exemplo: sed ut civitate maxima reapse cerneretur quale esset id, quod ratio oratioque describeret. Sin autem sine ullius populi exemplo genus ipsum exquiris optimi status, naturae imagine utendum est nobis, quoniam tu hanc imaginem urbis et populi ni . . . . .

[Multa desiderantur.]

XL. 67. . . . s. quem iam dudum quaero et [q. XXIII. ad quem cupio pervenire. L. Prudentem fortasse [p. 19. quaeris? Tum ille: Istum ipsum. L. Est tibi ex eis ipsis qui adsunt, bella copia, vel ut a te ipso ordiare. Tum Scipio: Atque utinam ex omni senatu pro rata parte esset Sed tamen est ille prudens, qui, ut saepe in Africa vidimus, immani et vastae insidens beluae coercet et regit beluam, quocumque vult levi admonitu, non ac tu inflectit [p. 20. illam feram. L. Novi et, tibi quum essem legatus, saepe vidi. s. Ergo ille Indus aut Poenus unam coercet beluam et eam docilem et humanis moribus adsuetam: at vero ea, quae latet in animis hominum quaeque pars animi mens vocatur, non unam aut facilem ad subigendum frenat et domat, si

quando id efficit, quod perraro potest. Namque et illa tenenda est ferox . . . . .

[Desiderantur quattuor minimum paginae.]

XLI. 68. 1. Quae sanguine alitur, quae in omni crudelitate sic exultat, ut vix hominum acerbis funeribus satietur. [Nonius p. 300. e Cic. lib. II. de re publ.]

2. Hercules, qui ob virtutem clarissimus et quasi Africanus inter deos habetur etc. Quid enim tam magnificum [fecit], si leonem aprumque superavit? si aves sagittis deiecit? si regium stabulum egessit? si viraginem vicit cingulumque detraxit? si equos feroce cum domino interemit? — Non enim fortior iudicandus est qui leonem quam qui violentiam et in se ipso inclusam feram superat iracundiam aut qui rapacissimas volucres deiicit quam qui cupiditates avidissimas coercet aut qui Amazonem bellatricem quam qui libidinem vincit pudoris ac famae debellatricem aut qui sumum de stabulo quam qui vita de corde suo egerit, quae magis sunt perniciosa, quia domestica et propria mala sunt, quam illa, quae et vitari poterant et caveri. Ex quo fit ut ille solus vir fortis debeat iudicari, qui temperans est et moderatus et iustus. [Lactantius inst. div. I. 9.]

3. Homo qui habet imperium ac potestatem, late nocet per iram, sanguinem fundit, urbes subvertit, populos delet, provincias ad solitudinem redigit. [Idem de ira dei cap. 5.]

4. Cupido autem et expetenti et lubidinoso et volutabundo in voluptatibus. [Nonius p. 491. e Cic. lib. II. de re publ.]

5. Tres sunt affectus, qui homines in omnia facinora praecipites agunt, ira, cupiditas, libido. Ira ultiōrem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. [Lactantius inst. div. lib. VI. cap. 19.]

6. Quartaque anxitudo prona ad luctum et maerens semperque ipsa se sollicitans. [Nonius p. 72. e Cic. lib. II. de re publ.]

7. Esse autem angores, si miseria afflictas atque abiectas timiditate et ignavia. [Idem p. 228. e Cic. lib. II. de re publ.]

8. Ut auriga indoctus e curru trahitur, opteritur, eliditur, laniatur. [Idem e Cic. lib. II. de re publ.]

9. Concitationes animorum iuncto currui similes sunt, in quo recte moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit: quam si tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendet: si autem aberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur aut per praecipitia labetur aut certe quo non est opus deferetur. [Lactantius inst. div. VI. 17.]

XLII. 69. .... dici possit. Tum Laelius: Video [p. 25.] iam illum, quem exspectabam, virum cui praeficias officio et muneri. Huic scilicet, Africanus, uni paene: nam in hoc fere uno sunt cetera, ut numquam a se ipso instituendo contemplandoque discedat, ut ad imitationem sui vocet alios, ut sese splendore animi et vitae suae sicut speculum prebeat civibus. Ut enim in fidibus aut tibiis atque ut [p. 26.] in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditae ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens, sic ex summis et infimis et mediis et interiectis ordinibus ut sonis moderata ratione civitas consensu dissimillimorum concinit, et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, artissimum atque optimum in omni re publica vinculum incolumitatis, eaque sine iustitia nullo pacto esse potest]. [Haec et sequentia refert e Cic. lib. II. de re publ. Augustinus de civ. dei II. 21. Tom. V. p. 131.]

XLIII. 70. Ac deinde quum aliquanto latius et uberior disseruissest (Scipio) quantum prodesset iustitia civitati quantumque obesset, si afuissest, suscepit deinde Philus, unus eorum, qui disputationi aderant, et poposcit ut haec ipsa quae sitio diligentius tractaretur ac de iustitia plura dicerentur propter illud, quod iam vulgo ferebatur, rem publicam geri sine iniuria non posse.

Claret ergo quoniam et aequitas et imperia confirmet et iustitia dissolvat, quae ne unam quidem privatam potest regere familiam. [S. Ambrosius de offic. lib. II. cap. 19.]

XLIV. 71. .... plenam esse iustitiae. Tum Scipio: [p. 9.] Adsentior vero renuntioque vobis nihil esse quod adhuc de re publica dictum putemus aut quo possimus longius pro-

gredi, nisi erit confirmatum non modo falsum ilud esse, sine iniuria non posse, sed hoc verissimum esse, sine summa iustitia rem publicam geri nullo modo posse. Sed, si pl.  
p. 10.] cet, in hunc diem hactenus. Reliqua — satis enim multa restant — differamus in crastinum. Quum ita placuissest, finis disputandi in eum diem factus est.

M. TULLII CICERONIS  
DE RE PUBLICA  
LIBER TERTIUS.

AD NOTATIO.

De pristina huius libri forma Nobbius sic fere disputat: *Principium deest in cod. Vat. cum ipso titulo libri tertii. Cui qui a Maioribus foliorum Vaticanorum cum extremo libro II. cohaerentiam tribuitur praeclarus [conf. Cic. de legibus lib. I. cap. 9.] de mente humana locus disputationi de iustitia prooemii causa praemissus, idem a Lactantio [de opif. dei cap. 1.] ad quartum librum resertur. Maiorem autem in modum confirmat Maii sententiam libri III. summarium ab Augustino de civ. dei lib. II. cap. 21. proditum. Nam si verum est, quod Vaticanus ille Tullianae dictionis investigator quam ex aliis Lactantii locis tum maxime ex inst. lib. III. extr. conatus est ostendere, Cicero huic libro prooemium praemisit eius modi, hominem ea lege natum esse, ut ratione, qua sola a caeteris animantibus differret, studiose exculta sapientiae beneficio frueretur et iustiuae. Ita Cicero, ante quam de iustitia disputationet, de qua libro III. egisse ab Augustino traditur, facile potuit de mente humana disserere, ut quae esset una capax iustitiae.*

ARGUMENTUM AUGUSTINI.

In tertio libro magna conflictatione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent sine iniustitia regi non posse rem publicam, purgans se praecipue, ne hoc ipse sentire

crederetur, egitque sedulo pro iniustitia contra iustitiam, ut hanc esse utillem rei publicae, illam vero inutilem veri similibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Laelius rogantibus omnibus iustitiam defendere adgressus est adseruitque quantum potuit nihil tam inimicum quam iniustitiam civitati nec omnino nisi magna iustitia geri aut stare posse rem publicam. Qua quaestione quantum satis visum est pertractata Scipio ad intermissa revertitur, recolitque suam atque commendat brevem rei publicae definitionem, quae dixerat eam esse rem populi, populum autem non omnem coetum multitudo, sed coetum iuris consensu et utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde quanta sit in disputando definitionis utilitas, atque ex illis suis definitionibus colligit tunc esse rem publicam, id est, rem populi, quem bene ac iuste geritur, sive ab uno rege sive a paucis optimatibus sive ab universo populo. Quum vero iniustus est rex, quem tyrannum more Graeco appellavit, aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem, aut iniustus ipse populus, cui nomen usitatum non repperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret, non iam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed, sicut ratio ex illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse rem publicam, quoniam non esset res populi, quum tyrannus eam factiove capesseret, nec ipse populus iam populus esset, si esset iniustus, quoniam non esset multitudo iuris consensu et utilitatis communione sociata, sicut populus fuerat definitus.

\* \* \*

1. 1. 1. In libro tertio de re publica Tullius hominem dicit non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam, corpore nudo, fragili et infirme, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis. [Augustinus contra Julianum Pelag. lib. IV. cap. 12. Tom. VII. p. 1048. ed. Basil.]

2. 2. Homo quum fragili imbecillisque nascatur, tamen et a mutis omnibus tutus est et ea omnia, quae firmiora nascuntur, etiam si vim caeli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit ut plus homini conferat ratio quam natura mutis, quoniam in illis nec magnitudo virium neque firmitas corporis efficere potest quo minus aut opprimantur a nobis aut nostrae subiecta sint potestati etc. Plato naturae gratias egit, quod homo natus esset etc. [Lactantius de opificio dei cap. 3.] . . . . .

[Desiderantur hic paginae minimum quattuor.]

p. 3.] II. 3. .... et vehiculis tarditati, eademque quum accepisset homines inconditis vocibus incohatum quiddam et confusum sonantis, incidit has et distinxit in partis et ut signa quaedam sic verba rebus impressit hominesque antea dissociatos iucundissimo inter se sermonis vinclo conligavit. A simili etiam mente, vocis qui videbantur infiniti soni, p. 4.] paucis notis inventis | sunt omnes signati et expressi, quibus et conloquia cum absentibus et indicia voluntatum et monumenta rerum praeteritarum tenerentur. Accessit eo numerus, res quum ad vitam necessaria tum una immutabilis et aeterna: quae prima in pulit etiam ut susiceremus in caelum nec frustra siderum motus intueremur dinumerationibusque noctium ac dierum . . . . .

[Desiderantur fere octo paginae.]

p. 207.] III. 4. .... quorum animi altius se extulerunt et aliquid dignum dono, ut ante dixi, deorum aut efficere aut excogitare potuerunt. Qua re sint nobis isti, qui de ratione vivendi disserunt, magni homines, ut sunt, sint eruditi, sint veritatis et virtutis magistri, dum modo sit haec quaedam sive a viris in rerum publicarum varietate versatis inventa sive etiam in istorum otio ac litteris tractata res, sicut est, p. 208.] minime | quidem contemnda, ratio civilis et disciplina populorum, quae perficit in bonis ingenii, id quod iam persaepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus exsisteret. 5. Quod si quis ad ea instrumenta animi, quae natura quaque civilibus institutis habuit, adiungendam sibi etiam doctrinam et ubiorem rerum cognitionem putavit, ut ii ipsi, qui in horum librorum disputatione ver- p. 201.] santur, nemo est quin eos | anteferre omnibus debeat. Quid enim potest esse praecarius quam quum rerum magnarum tractatio atque usus cum illarum artium studiis et cognitione coniungitur? Aut quid P. Scipione, quid C. Laelio, quid L. Philo perfectius cogitari potest? qui ne quid praetermitterent quod ad summam laudem clarorum viorum pertineret, ad domesticorum maiorumque morem etiam p. 202.] hanc a Socrate adventiciam doctrinam adhibuerunt.

6. Qua re qui utrumque voluit et potuit, id est, ut quum maiorum institutis tum doctrina se instrueret, ad laudem hunc omnia consecutum puto. Sin altera est ultra via prudentiae diligenda, tamen, etiam si cui videbitur illa in optimis studiis et artibus quieta vitae ratio beatior, haec civilis laudabilior est certe et inlustrior, ex qua vita sic summi viri ornantur, ut vel M'. Curius,

*Quem nemo ferro potuit superare nec auro,*

vel . . . . .

[Desiderari videntur paginae sex.]

IV. 7. .... fuisse sapientiam, tamen hoc in ratione utriusque generis interfuit, quod illi verbis et artibus aluerunt naturae principia, hi autem institutis et legibus. Pluris vero haec tulit una civitas, si minus sapientis, quoniam id nomen illi tam restrictive tenent, at certe summa laude dignos, quoniam sapientium praecepta et inventa coluerunt. Atque etiam, quod et sunt laudandae civitates et fuerunt, quoniam id est in rerum natura longe maximi consilii, constituere eam rem publicam quae possit esse diurna, si singulos numeremus in singulas, quanta iam repetiatur virorum excellentium multitudo! Quod si aut Italiae Latium aut eiusdem Sabinam aut Volscam gentem, si Samnum, si Etruriam, si magnam illam Graeciam illustrare animo voluerimus, si deinde Assurios, si Persas, si Poenos, si haec . . . . .

[Desiderantur paginae duodecim.]

V. 8. .... advocati. Et Philus: Praeclarum vero causam ad me defertis, quum me improbitatis patrocinium suscipere voltis. Atqui id tibi, inquit Laelius, verendum est, si ea dixeris, quae contra iustitiam dici solent, ne sic etiam sentire videare, quum et ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei, neque sit ignota consuetudo tua contrarias in partis disserendi, quod ita facillime verum inveniri putes. Et Philus: Heia vero, inquit, geram | morem vobis et me obliniam sciens, quod quoniam qui aurum querunt non putant sibi recusandum,

nos, quum iustitiam quaeramus, rem multo omni auro cariorum, nullam profecto molestiam fugere debemus. Atque utinam, quem ad modum oratione sum usurus aliena, sic mihi ore uti liceret alieno! Nunc ea dicenda sunt L. Furio Philo, quae Carneades, Graecus homo et consuetus, quod Q. XXII. commodum esset verbis . . . . .

[Desiderari videntur paginae quattuor.]

9. 3. Neque ego hercle ex mea animi sententia loquar, sed ut Carneadi respondeatis, qui saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet. [Nonius p. 263. cf. Lactant. inst. div. lib. VII. cap. 7.]

VI. 4. Carneades, Academicae sectae philosophus, cuius in disserendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen qui nescit, is ex praedicatione Ciceronis intelliget aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima ostendit non posse id explicari, nec si Carneadem ipsum Orcus remittat. Is quum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de iustitia copiose audiente Galba et Catone Censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit et iustitiam, quam pridie laudaverat, sustulit, non quidem philosophi gravitate, cuius firma et stabilis debet esse sententia, sed quasi oratorio exercitiū genere in utramque partem disserendi. Quod ille facere solebat, ut alios quidlibet adserentes posset refutare. Eam disputationem, qua iustitia evertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur, credo, quoniam de re publica disserebat, ut defensionem laudationemque eius induceret, sine qua putabat regi non posse rem publicam. Carneades autem, ut Aristotalem refelleret ac Platonem, iustitiae patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quae pro iustitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, everttere. [Lactantius inst. div. lib. V. cap. 14.]

VII. 10. 5. Plurimi quidem philosophorum, sed maxime Plato et Aristoteles, de iustitia multa dixerunt, adserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet, et quum caeterae virtutes quasi tacitae sint et intus inclusae, solam esse iusti-

tiam, quae nec sibi tantum conciliata sit nec occulta, sed foras tota promineat et ad bene faciendum prona sit, ut quam plurimis prospicit. Quasi vero in iudicibus solis atque in protestate aliqua constitutis iustitia esse debeat et non in omnibus.

11. Atquin nullus est hominum ne infmorum quidem ac mendicorum in quem iustitia cadere non possit. Sed quia ignorabant quid esset unde profueret, quid operis haberet, summam illam virtutem, id est, commune omnium bonum, paucis tribuerunt eamque nullas utilitates proprias aucupari, sed alienis tantum commodis studere dixerunt. Nec immerito existit Carneades, homo summo ingenio et acumine, qui refelleret istorum orationem et iustitiam, quae fundamentum stabile non habebat, everteret, non quia vituperandam esse iustitiam sentiebat, sed ut illos defensores eius ostenderet nihil certi, nihil firmi de iustitia disputare. [Lactantius epitom. cap. 55.]

6. Iustitia foras spectat et projecta tota est atque eminet. [E Cic. lib. de re publ. II., ut ait Nonius p. 373.]

7. Quae virtus praeter caeteras tota se ad alienas porrigit utilitates atque explicat. [Indidem, ut ait idem p. 299.]

VIII. 12. . . . et reperiret et tueretur, alter [p. 205. autem de ipsa iustitia quattuor implevit sane grandis libros. Nam ab Chrysippo nihil magnum nec magnificum desideravi, qui suo quodam more loquitur, ut omnia verborum momentis, non rerum ponderibus examinet. Illorum fuit heroum eam virtutem, quae est una, si modo est, maxime munifica et liberalis et quae omnis magis quam sepse diligit, aliis nata potius quam sibi, excitare iacentem et in illo [p. 206. divino solio non longe a sapientia conlocare. 13. Nec vero illis aut voluntas defuit — quae enim iis scribendi alia causa aut quod omnino consilium fuit? — aut ingenium, quo omnibus praestiterunt. Sed eorum et voluntatem et copiam causa vicit. Ius enim, de quo quaerimus, civile est aliquod, naturale nullum: nam si esset, ut calida et frigida et amara et dulcia, sic essent iusta et iniusta eadem omnibus. [p. 17.]

IX. 14. Nunc autem, si quis illo Pacuviano invehens alitum anguum curru' multas et varias gentis et urbes despiceret et oculis conlustrare possit, videat primum in illa

incorrupta maxime gente Aegyptiorum, quae plurimorum saeculorum et eventorum memoriam litteris continet, bo-  
vem quendam putari deum, quem Apim Aegyptii nominent,  
multaque alia portenta apud eosdem et eiusque generis  
p. 18.] belugas numero consecratae deorum. Deinde Grae-  
ciae, sicut apud nos, delubra magnifica humanis consecrata  
simulaclis, quae Persae nefaria putaverunt, eamque unam  
ob causam Xerxes inflammari Atheniensium fana iussisse  
dicitur, quod deos, quorum domus esset omnis hic mundus,  
inclusos parietibus contineri nefas esse diceret. 15. Post  
autem cum Persis et Philippus, qui cogitavit, et Alexander,  
p. 27.] qui gessit, hanc bellandi causam inferrebat, quod  
vellet Graeciae fana poenire: quae ne reficienda quidem  
Graii putaverunt, ut esset posteris ante os documentum  
Persarum sceleris sempiternum. Quam multi, ut Tauri in  
Axino, ut rex Aegypti Busiris, ut Galli, ut Poeni, homines  
immolare et pium et dis immortalibus gratissimum esse  
duxerunt! Vitae vero instituta sic distant, ut Cretes et  
Aetoli latrociniari honestum pulent, Lacedaemonii suos om-  
p. 28.] nes agros esse dictabarint, quos spiculo possent at-  
tingere. Athenienses iurare etiam publice solebant omnem  
suam esse terram quae oleam frugesve ferret. Galli turpe  
esse ducunt frumentum manu quaerere, itaque armati alienos  
agros demetunt. 16. Nos vero iustissimi homines, qui  
transalpinas gentis oleam et vitam serere non simus, quo  
pluris sint nostra oliveta nostraque vineae: quod quum  
o. 203.] faciamus, prudenter facere dicimus, iuste non dici-  
mur, ut intellegatis discrepare ab aequitate sapientiam.  
Lycurgus autem, ille legum optumarum et aequissimi iuris  
inventor, agros locupletium plebi ut servitio colendos dedit.

X. 17. Genera vero si velim iuris, institutorum, morum  
consuetudinumque describere, non modo in tot gentibus  
varia, sed in una urbe vel in hac ipsa milliens mutata demonstrem, ut hic iuris noster interpres alia nunc Manilius  
p. 204.] iura dicat esse de mulierum legatis et hereditatibus,  
alia solitus sit adulescens dicere nondum Voconia lege lata:  
quae quidem ipsa lex utilitatis virorum gratia rogata in  
mulieres plena est iniuriae. Cur enim pecuniam non habeat

mulier? cur virginis Vestali sit hieres, non sit matri suea?  
Cur autem, si pecuniae modus statuendus fuit feminis, P.  
Crassi filia posset habere, si unica patri esset, aeris milliens  
salva lege, mea tricens non posset . . . . .

[Desiderari videntur paginae duae.]

XI. 18. . . . sanxisset iura nobis et omnes isdem [p. 13.  
et idem non alias aliis uterentur. Quaero autem, si iusti  
hominis et si boni est viri parere legibus, quibus? an quae-  
cumque erunt? at nec inconstantiam virtus recipit nec varie-  
tatem natura patitur, legesque poena, non iustitia nostra  
comprobantur. Nihil habet igitur naturale ius: ex quo illud  
efficitur, ne iustos quidem esse natura. An vero in legibus  
varietatem esse dicunt, natura autem viros bonos eam iusti-  
tiam sequi, quae sit, non eam, quae putetur? esse [p. 14.  
enim hoc boni viri et iusti, tribuere id quique quod sit  
quoque dignum. 19. Ecquid ergo primum mutis tribue-  
mus beluis? non enim mediocres viri, sed maxumi et  
docti, Pythagoras et Empedocles, unam omnium animan-  
tium condicionem iuris esse denuntiant, clamantque in-  
expiabilis poenas impendere iis, a quibus violatum sit ani-  
mal. Scelus est igitur nocere bestiae, quod scelus qui  
velit . . . . . [Q. XXIII.

[Multa desiderantur.]

XII. 20. Homo divini iuris ignarus, gentis suea leges  
tamquam verum ius amplectitur, quas non utique iustitia, sed  
utilitas repperit. Cur enim per omnes populos diversa et varia  
iura sunt condita, nisi quod una quaeque gens id sibi sanxit,  
quod putavit rebus suis utile? quantum a iustitia recedat utili-  
tas populus ipse Romanus docet, qui per fetiales bella indi-  
cendo et legiitime iniurias faciendo semperque aliena cupiendo  
atque rapiendo possessionem sibi totius orbis comparavi.  
[Lactantius inst. div. lib. VI. cap. 9.]

Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quaeritur  
et victoriis propagatur. Porro bella et Victoriae captis et  
eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum  
iniuria non est: eaedem strages moenium et templorum: pares

*caedes civium et sacerdotum, nec dissimiles rapinae sacrarum divitiarum et profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum quot tropaea, tot de dis quot de gentibus triumphi, tot manubiae, quot manent adhuc simulacula captorum deorum etc* [Tertullianus apolog. cap. 25.]

21. *Carneadis summa disputationis haec fuit, iura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus et apud eosdem pro temporibus saepe mutata, ius autem naturale esse nullum. Omnes et homines et alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri, proinde aut nullam esse iustitiam aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens.* [Lactantius inst. div. lib. V. cap. 16.]

*Quae sunt patriae commoda, nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? id est fines propagare aliis violenter ereptos, augere imperium, vectigalia facere meliora etc. Itaque haec bona quisquis patriae adquisierit, hoc est eversis civitatibus gentibusque deletis aerarium pecunia referserit, agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in caelum, in hoc pulatur summa et perfecta esse virtus: qui error non modo populi et imperitorum, sed etiam philosophorum est, qui praecepta quoque dant ad iniustitiam.* [Lactantius inst. div. lib. VI. cap. 6.]

p. 57.] XIII. [XIV.] 23. .... Sunt enim omnes, qui in populum vitae necisque potestatem habent, tyranni, sed se Iovis optimi nomine malunt reges vocari. Quum autem certi propter divitias aut genus aut alias opes rem publicam tenent, est factio, sed vocantur illi optimates. Si vero populus plurimum potest omniaque eius arbitrio reguntur, dicitur illa libertas, est vero licentia. Sed quum alius alium timet et homo hominem et ordo ordinem, tum, quia sibi p. 58.] nemo confidit, quasi pactio fit | inter populum et potentis: ex quo exsistit id quod Scipio laudabat coniunctum civitatis genus. Etenim iustitiae non natura nec voluntas, sed imbecillitas mater est. Nam quum de tribus unum esset optandum, aut facere iniuriam nec accipere aut et facere et accipere aut neutrum, optimum est facere, impune si possis, secundum nec facere nec pati, miserrimum digladiari

semper tum faciendis tum accipiendis iniuriis. Ita qui primum illud adsequi . . . . .

[Aliquot paginae desunt.]

XIV. [XII.] 24. Nam quum quaereretur ex eo, quo sceleste impulsus mare haberet infestum uno myoparone: Eodem, inquit, quo tu orbem terrae. [Nonius p. 125. p. 318. p. 534. e Cie. lib. III. de re publ.]

.... omnibus quaerilote. Sapientia iubet augere [p. 47.] opes, amplificare divitias, proferre finis. Unde enim posset [Alexander] summus ille imperator, qui in Asia olim [armis] finis imperii propagavit, nisi aliquid de alieno accessisset, imperare, quam plurimis frui voluptatibus, pollere, regnare, dominari? Iustitia autem praecipit parcere omnibus, consulere generi hominum, suum cuique reddere, sacra, publica, [aliena] non [tangere]. | Quid igitur [p. 48.] efficitur? Si sapientiae pareas, divitiae, potestates, opes, honores, imperia, regna vel privatis vel populis. Sed quoniam de re publica loquimur, sunt inlustriora quae publice fiunt, quoniamque eadem est ratio iuris in utroque, de populi sapientia dicendum puto.

XV. [XII.] 25. Et iam omittam alios: noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone a stirpe repetivit, cuius imperio iam orbis terrae tenetur, iustitia an sapientia est et minimo omnium *maximus factus?* *Omnibus populis, qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas est redeundum et in egestate ac miseriis iacendum,* | praeter Arcadas et Atheniensis, qui, credo, [p. 1.] timentes hoc interdictum iustitiae ne quando exsisteret, commenti sunt se de terra tamquam hos ex arvis musculos exstisisse.

XVI. 26. Ad haec illa dici solent primum ab iis, qui minime sunt in disserendo mali, qui in ea causa eo plus auctoritatis habent, quia, quum de viro bono quaeritur, quem apertum et simplicem volumus esse, non sunt in disputando vafri, non veteratores, non malitiosi. Negant enim sapientem idcirco virum bonum esse, quod eum [p. 2.] cic. IV. 2.

sua sponte ac per se bonitas et iustitia delectet, sed quod vacua metu, cura, sollicitudine, periculo vita bonorum viorum sit, contra autem improbis semper aliqui scrupus in animis haereat, semper iis ante oculos iudicia et supplicia versentur. Nullum autem emolumenitum esse, nullum iniustitia partum praemium tantum, semper ut timeas, semper ut adesse, semper ut impendere aliquam poenam putas, damna . . . . .

[Desiderantur in Cod. Vat. quatuor minimum paginae, sed una fere pagina loco ab Lactantio addato suppletur.]

XVII. 27. [Lactantius inst. div. lib. V. cap. 12.] Quaero, si duo sint, quorum alter optimus vir, aequissimus, summa iustitia, singulari fide, alter insignis scelere et audacia, et si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum sceleratum, facinorosum, nefarium putet, contra autem, qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate ac fide, proque hac opinione omnium civium bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique adferantur, effodiantur oculi, p. 11.] damnetur, vinciatur, uratur, extermi[n]etur, egeat, postremo iure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur, contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes undique copiae conferantur, vir denique optimus omnium existimatione et dignissimus omni fortuna optima iudicetur, quis tandem erit tam demens qui dubitet utrum se esse malit?

XVIII. 28. Quod in singulis, id est, in populis, nulla p. 12.] est tam stulta civitas | quae non iniuste imperare malit quam servire iuste. Nec vero longius abibo. Consul ego quaesivi, quum vos mihi essetis in consilio, de Numantino foedere. Quis ignorabat Q. Pompeium fecisse foedus, eadem in causa esse Mancinum? Alter vir optimus etiam suasit rogationem me ex senatus consulto ferente, alter acerrime se defendit. Si pudor quaeritur, si probitas, si fides, Mancinus haec attulit, si ratio, consilium, prudentia, Pompeius antistat. Utrum . . . . .

[Aliquot desunt paginae.]

XIX. 29. Tum omissis communibus ad propria veniebat (Carneades). Bonus vir, inquit, si habeat servum fugitivum vel domum insalubrem ac pestilentem, quae vita solus sciatis et ideo proscribat ut vendat, utrumne profitebitur fugitivum servum vel pestilentem domum se vendere an celabit emptorem? Si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet, sed tamen stultus iudicabitur, quia vel parvo vendet vel omnino non vendet. Si celaverit, erit quidem sapiens, quia rei consuletur sed idem malus, quia fallet. Rursus, si reperiatur aliquem qui orichalcum se putet vendere, quum sit illud aurum, aut plumbum, quum sit argentum, tacebitne, ut id parvo emat, an indicabit, ut magno? Stultum plane videtur malle magno. Unde intelligi volebat et eum, qui sit iustus ac bonus, stultum esse et eum, qui sapiens, malum.

XX. 30. Transcendebat ergo ad maiora, in quibus nemo posset sine periculo vitae iustus esse. Dicebat enim: Nempe iustitia est hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo iustus faciet, si forte naufragium fecerit et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? nonne illum tabula perturbabit ut ipse condescendat eaque nixus evadat, maxime quum sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet: ipsi enim pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit quam manus inferre alteri, iam vero iustus ille, sed stultus est, qui vitae suae non parcet, dum parcit alienae. Item: Si acie suorum fusa hostes insequi coeperint et iustus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem, eine parcat, ut ipse occidatur, an deiiciet ex equo, ut ipse possit hostem effugere? quod si fecerit, sapiens, sed idem malus: si non fecerit, iustus, sed idem stultus sit necesse est. 31. Ita ergo iustitiam quum in duas partes divisisset, alteram civilem esse dicens, alteram naturalem, utramque subvertit, quod illa civilis sapientia sit quidem, sed iustitia non sit, naturalis autem illa iustitia sit quidem, sed non sit sapientia. Arguta haec plane ac venenata sunt et quae M. Tullius non potuit refellere. Nam quum faciat Laelium Furio respondentem pro iustitiaque dicentem, irrefutata haec tamquam foveam praetergressus est. [Lactantius inst. div. lib. V. cap. 16.]

XXI. 32. Non gravarer, Laeli, nisi et hos velle putarem

et ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere, praesertim quum heri ipse dixeris te nobis etiam superfuturum. Verum id quidem fieri non potest, ne desis, omnes te rogamus. [Gellius noct. Att. lib. I. cap. 22. §. 8.]

Sed inventuti nostrae minime audiendus: quippe si ita sensit, ut loquitur, est homo impurus: sin aliter, quod malo, oratio est tamen immanis. [Nonius p. 323. e Cic. lib. III. de re publ.]

XXII. 33. Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frusta iubet aut vetat nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est neque derogari ex hac aliquid licet neque tota abrogari potest, nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus, neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius, nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit unusque erit communis quasi magister et imperator omnium deus: ille legis huius inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiam si caetera supplicia, quae putantur, effugerit. [Lactantius inst. div. lib. VI. cap. 8. e Cic. lib. III. de re publ.]

XXIII. 34. Scio in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de re publica disputari: nullum bellum suscipi a civitate optima, nisi aut pro fide aut pro salute. *Quid autem dicat pro salute vel intelligi quam salutem velit alio loco demonstrans?* Sed his poenis, *inquit*, quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exilio, vinculis, verberibus, elabuntur saepe privati oblata mortis celeritate, civitatibus autem mors ipsa poena est, quae videtur a poena singulos vindicare. Debet enim constituta sic esse civitas, ut aeterna sit. Itaque nullus interitus est rei publicae naturalis ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persaepe. Civitas autem quum tollitur, deletur, extinguitur, simile est

quodam modo, ut magnis parva conferamus, ac si omnis hic mundus intereat et concedat. [Augustinus de civ. dei lib. XXII. cap. 6. Tom. V. p. 1336 sq.]

35. 8. *In re publica dicit Cicero:* Illa iniusta sunt bella, quae sine causa suscepta sunt. Nam extra ueliscendi aut propulsandorum hostium causam bellum geri iustum nullum potest. *Idem Tullius paucis interiectis subdidit:* Nullum bellum iustum habetur nisi denunciatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus. [Isidorus Orig. lib. XVIII. cap. 1. §. 2 sq.]

Noster autem populus sociis defendendis terrarum iam omnium potitus est. [Nonius p. 498. e Cic. lib. III. de re publ.]

XXIV. 36. *Disputatur certe acerrime atque fortissime in eisdem ipsis de re publica libris adversus iniustitiam pro iustitia.* Et quoniam, quum prius ageretur pro iniustitiae partibus contra iustitiam et diceretur nisi per iniustitiam rem publicam stare augerique non posse, hoc veluti validissimum positum erat iniustum esse, ut homines hominibus dominantibus serviant, quam tamen iniustitiam nisi sequatur imperiosa civitas, cuius est magna res publica, non eam posse provinciis imperare, responsum est a parte iustitiae ideo iustum esse, quod talibus hominibus sit utilis servitus, et pro utilitate eorum fieri, quum recte fit, id est, quum improbis aufertur iniuriarum licentia, et domiti se melius habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt, subditumque est, ut ista ratio firmaretur, veluti a natura sumptum nobile exemplum atque dictum est: Cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini caeterisque vitiosis animi partibus? [Augustinus de civ. dei lib. XIX. cap. 21. Tom. V. p. 1778.]

XXV. 37. *Audi manifestiora quae dicat (Tullius) in libro de re publica tertio, quum ageret de causa imperandi.* An non, *inquit*, cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infirmorum datum? Cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiaeque et caeteris vitiosis eiusdem animi partibus? *Adhuc audi, paullo post enim:* Sed et imperandi et serviendi, *inquit*, sunt dissimilitudines cognoscendae. Nam ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini, sed corpori

ut rex civibus suis aut parens liberis, libidini autem ut servis dominus, quod eam coērcet et frangit, sic regum, sic imperatorum, sic magistratum, sic patrum, sic populorum imperia civibus sociisque praesunt, ut corporibus animus, domini autem servos ita fatigant, ut optima pars animi, id est, sapientia, eiusdem animi vitiosas imbecillasque partes, ut libidines, ut iracundias, ut perturbationes caeteras. [Augustinus contra Iulianum Pelag. IV. c. 12. Tom. VII. p. 1048.]

*Nonne Cicero in libris de re publica, quum de imperiorum differentia disputaret et huius rei similitudinem ex natura hominis adsumeret, ut filiis dixit imperari corporis membris, vitiosas vero animi partes ut servos asperiores imperio coērceri.* [Augustinus de civ. dei lib. XIV. cap. 23.]

Est enim genus iniustae servitutis, quum hi sunt alterius, qui sui possunt esse, quum autem hi famulantur, qui sibi moderari nequeunt, nulla iniuria est. [Nonius p. 109. e Cic. lib. III. de re publ.]

XXVI. 38. Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem imprudentem super eam adsidere, cuius mors tibi emolumenut futura sit, improbe feceris, nisi monueris ne adsidat. Sed impunitate tamen: scisse enim te quis coarguere possit? Sed nimis multa. Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri, deque his rebus satis multa in nostris de re publica libris sunt dicta a Lælio. [Cicero de fin. lib. II. cap. 18. §. 59.]

Et si, ut nos a te admonemur, recte in illis libris diximus nihil esse bonum nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe sit. [Cicero ad Att. lib. X. ep. 4. §. 4.]

XXVII. 39. Filiola tua te delectari laetor et probari tibi φυσικὴν esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim, si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio, qua sublata vitae societas tollitur. ‘Bene eveniat’ inquit Carneades: spurge, sed tamen prudentius quam Lucius noster et Patron: qui quum omnia ad se referant, numquam quidquam alterius causa fieri potent et quum ea re bonum virum opor-

tere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit, non intelligent se de callido homine loqui, non de bono viro. Sed haec, opinor, sunt in iis libris, quos tu laudando animos mihi addidisti. [Cicero ad Att. lib. VII. ep. 2. §. 4.]

In quibus adsentior sollicitam et periculosam iustitiam non esse sapientis. [Priscianus lib. VIII. p. 801.]

XXVIII. 40. *Apud Ciceronem idem ille iustitiae defensor Lælius:* Vult, inquit, plane virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces, quam tamen illa, inquit, accipit facile, exigit non acerbe. *Et alio loco idem Lælius:* Huic tu viro quas divitias obiicias, quae imperia, quae regna, qui ista putat humana, sua bona divina iudicat? Sed si aut ingrati universi aut invidi multi aut inimici potentes, suis virtutem praemiis spoliant, ne illa se multis solaciis oblectat maximeque suo decore se ipsa sustentat. [Lactantius inst. div. lib. V. cap. 18 et 22.]

*Hercules qui ob virtutem clarissimus et quasi Africanus inter deos habetur.* [Idem ibid. lib. I. cap. 9.]

*In tertio de re publica libro Cicero quum Herculem et Romulum ex hominibus deos esse factos adseveraret:* Quorum non corpora, inquit, sunt in caelum elata: neque enim natura pateretur, ut id, quod esset e terra, nisi in terra maneret. [Augustinus de civ. dei lib. XXII. cap. 4. Tom. V. p. 1331.]

Numquam viri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiae fructu caruerunt. [Nonius p. 125. e Cic. lib. III. de re publ.]

*Nisi forte stulte Pyrrhi ridetur largitas a consule aut Samnitium copiae Curio defuerunt.* [Idem p. 132. indidem.]

Cuius etiam focum Cato ille noster, quum venerat ad se in Sabinos, ut ex ipso audiebamus, visere solebat, apud quem ille sedens Samnitium, quondam hostium, tum iam clientium suorum, dona relegaverat. [Idem p. 522. indidem.]

XXIX. 41. .... Asia Ti. Gracchus, perseveravit [p. 249] in civibus, sociorum nominisque Latini iura neglexit ac foedera. Quae si consuetudo ac licentia manare cooperit latius imperiumque nostrum ad vim a iure traduxerit, ut.

qui adhuc voluntate nobis oboediunt, terrore teneantur, etsi nobis, qui id aetatis sumus, evigilatum fere est, tamen de posteris nostris et de illa immortalitate rei publicae sollicitor, p. 250.] quae poterat esse perpetua, si patriis viveretur institutis et moribus.

XXX. 42. Quae quum dixisset Laelius, etsi omnes, qui aderant, significabant ab eo se esse admodum delectatos, tamen praeter ceteros Scipio, quasi quodam gaudio elatus: Multas tu quidem, inquit, Laeli, saepe causas ita defendisti, ut ego non modo tecum Servium Galbam collegam nostrum, quem tu quoad vixit omnibus anteponebas, verum ne Atlicorum quidem oratorum quemquam aut suavitate . . . .

[Desiderantur paginae duodecim.]

. . . duas sibi res, quo minus in vulgus et in foro dicebat, confidentiam et vocem defuisse . . . [Nonius p. 262. e Cic. lib. III. de re publ.]

*De quo Cicero dicit:* inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus. [Schol. Juvenal. ad sat. VI. v. 486. ed. Crameri p. 245.]

p. 251.] XXXI. 43. . . . reportare. Ergo illam rem populi, id est rem publicam, quis diceret tum, quum crudelitate unius oppressi essent universi? neque esset unum vinculum iuris nec consensus ac societas coetus, quod est populus. Atque hoc idem Syracusis. Urbs illa praeclara, quam ait Timaeus Graecarum maxumam, omnium autem esse pulcherrimam, arx visenda, portus usque in sinus oppidis et p. 252.] ad urbis crepidines infusi, viae latae, porticus, | tempula, muri nihilo magis efficiebant Dionysio tenente, ut esset illa res publica: nihil enim populi et unius erat populus ipse. Ergo ubi tyrannus est, ibi non vitiosam, ut heri dicebam, sed, ut nunc ratio cogit, dicendum est plane nullam esse rem publicam.

XXXII. 44. Praeclare quidem dicis, Laelius: etenim video iam quo perget oratio. s. Vides igitur ne illam quidem, quae tota sit in factionis potestate, posse vere dici q. XL.] rem publicam. L. Sic plane iudico. s. Et | rectissime quidem iudicas: quae enim fuit tum Athenien-

sium res, quum post magnum illud Peloponnesiacum bellum triginta viri illi urbi iniustissime praefuerunt? num aut vetus gloria civitatis aut species praeclara oppidi aut theatrum, gymnasia, porticus aut propylaea nobilia aut arx aut admiranda opera Phidiae aut Piraeus ille magnificus rem publicam efficiebat? Minime vero, Laelius, quoniam quidem populi | res non erat. s. Quid, quum decemviri [p. 110. Romae sine provocatione fuerunt, tertio illo anno, quum vindicias amisisset ipsa libertas? L. Populi nulla res erat, immo vero id populus egit, ut rem suam recuperaret.

XXXIII. 45. s. Venio nunc ad tertium genus illud, in quo esse videbuntur fortasse angustiae, quum per populum agi dicuntur et esse in populi potestate omnia, quum de quocumque volt supplicium sumit multitudo, quum | agunt, [p. 299. rapiunt, tenent, dissipant quae volunt, potesne tum, Laeli, negare rem esse illam publicam, quum populi sint omnia, quoniam quidem populi esse rem volumus rem publicam? Tum Laelius: Ac nullam quidem citius negaverim esse rem publicam, quae tota sit in multitudinis potestate, plane ut nobis non placebat Syracusis fuisse rem publicam neque Agrigenti neque Athenis, quum essent tyranni, nec hic quum decemviri, nec | video qui magis in multitu- [p. 300. dinis dominatu rei publicae nomen appareat: quia primum mihi populus non est, ut tu optime definisti, Scipio, nisi qui consensu iuris continetur, sed est tam tyrannus iste conventus, quam si esset unus, hoc etiam taetrior, quia nihil ista, quae populi speciem et nomen imitatur, immanius belua est. Nec vero convenit, quum furiosorum bona legibus in adgnatorum potestate sint, quod eorum iam . . . .

[Desiderantur paginae octo.]

XXXIV. 46. . . . dici possint, cur illa sit res [p. 297. publica resque populi, quae sunt dicta de regno. Et multo etiam magis, inquit Mummius: nam in regem potius cadit domini similitudo, quod est unus, plures vero boni in qua re publica rerum potentur, nihil poterit esse illa beatius. Sed tamen vel regnum malo quam liberum populum: id enim tibi restat genus vitiosissimae rei publicae tertium.

XXXV. 47. Heic Scipio: Adgnosco, inquit, tuum mo-  
rem istum, Spuri, aversum a ratione populari, et  
quamquam potest id lenius ferri quam tu soles ferre, tamen  
adsentior nullum esse de tribus his generibus quod sit pro-  
bandum minus. Illud tamen non adsentior tibi, praestare  
regi optimates: si enim sapientia est quae gubernet rem  
publicam, quid tandem interest haec in unone sit an in plu-  
ribus? Sed errore quodam fallimur ita disputando: quum  
enim optumates appellantur, nihil potest videri  
praestabilius. Quid enim optumo melius cogitari potest?  
Quum autem regis est facta mentio, occurrit animis rex  
etiam iniustus: nos autem de iniusto rege nihil loquimur  
nunc, quum de ipsa regali re publica quaerimus. Qua re  
cogitato Romulum aut Pompilium aut Tullum regem, fortan  
non tam illius te rei publicae poenitebit. 48. m. Quam igi-  
tur relinquis populari rei publicae laudem? s. Tum ille: Quid?  
tibi tandem, Spuri, Rhodiorum, apud quos nuper fuimus una,  
nullane videtur esse res publica? m. Mihi vero  
videtur, et minime quidem vituperanda. s. Recte dicas:  
sed, si meministi, omnes erant iidem tum de plebe tum se-  
natores vicissitudinesque habebant quibus mensibus popu-  
lari munere fungerentur, quibus senatorio: utrunque autem  
conventicium accipiebat et in theatro et in curia res capi-  
talis et reliquas omnis indicabant iidem: tantum poterat  
tantique erat quanti multitudo, *senatus* . . . . .

[*Multa desiderantur.*]

### LIBRI III. DE RE PUBLICA

#### FRAGMENTA INCERTAE SEDIS ALIA AB ALIIS REPETITA SCRIPTORIBUS.

49. Est igitur quiddam turbulentum in hominibus singu-  
lis, quod vel exsultat voluptate vel molestia frangitur. [No-  
nius p. 301.]

Sed ut ipsi seu animum pericitantur seu vident quid se  
putent esse facturos. [Idem p. 364. e Cic. lib. III. de re publ.]

Poeni primi mercaturis et mercibus suis avaritiam et  
magnificentiam et inexplebiles cupiditates omnium rerum  
exportaverunt in Graeciam. [Idem p. 431. *indidem.*]

*Sardanapalus rex Assyriorum luxuriosus, de quo Tullius in  
tertio de re publica sic ait:* Sardanapalus ille vitiis multo quam  
nomine ipso deformior. [Scholiastes Iuvenalis ad sat. X. v. 362.]

Quid ergo illa sibi vult absurdula exceptio, nisi si quis Atho-  
nem pro monumento vult funditus efficere? Quis enim est  
Athos aut Olympus tantus? [Priscianus lib. VI. cap. 13. §. 70.  
e Cic. lib. III. de re publ.]

XXXVII. Enitar suo loco ut ostendam secundum defini-  
tiones ipsius Ciceronis, quibus quid sit res publica et quid  
sit populus loquente Scipione breviter posuit, attestantibus  
etiam multis, sive ipsius sive eorum, quos loqui fecit in  
eadem disputatione sententiis: numquam illam fuisse rem pu-  
blicam, quia numquam in ea fuit vera iustitia. Secundum  
probabiliores autem definitiones pro suo more quedam res  
publica fuit et melius ab antiquioribus Romanis quam a poste-  
rioribus administrata est. [Augustinus de civ. dei lib. II. cap. 21.  
Tom. V. p. 133.]

Nunc est locus ut quam potero breviter ac dilucide expediam,  
quod in secundo huius operis libro me demonstratum esse pro-  
misi secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio  
in libris de re publica, numquam rem publicam fuisse Romanam.  
Breviter enim rem publicam definit esse rem populi. Quae de-  
finitio si vera est, numquam fuit Romana res publica, quia  
numquam fuit res populi, quam definitionem voluit esse rei pu-  
blicae: populum esse definivit coetum multitudinis iuris con-  
sensu et utilitatis communione sociatum. Quid autem dicat  
iuris consensum disputando explicat, per hoc ostendens geri  
sine iustitia non posse rem publicam. Ubi ergo iustitia vera  
non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto  
iuste fit: quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non  
enim iura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum consti-  
tuta: quum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iusti-  
tiae fonte manaverit, falsumque esse, quod a quibusdam  
non recte sentientibus dici solet, id esse ius, quod ei, qui  
plus potest utile est. Quocirea, ubi non est vera iustitia.

ius consensu sociatus coetus hominum non potest esse, et ideo nec populus, iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem, et si non populus, nec res populi, sed qualisque multitudinis, quae populi nomine digna non est. Ac per hoc, si res publica res populi est et populus non est, qui consensu non sociatus est iuris, non est autem ius, ubi nulla iustitia est, procul dubio colligitur, ubi iustitia non est, non esse rem publicam. Iustitia porro ea virtus est, quae sua cuique distribuit. [Augustinus de civ. dei lib. XIX. cap. 21. Tom. V. p. 1177.]

M. TULLII CICERONIS  
DE RE PUBLICA  
LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Quoniam civitas hominum est beate honesteque vivendi societas, hand sane potuit fieri quin, quum de iustitia, qua vitae beatae condicio continetur, libro superiore disputatum esset, iam de moribus et conformandis et tuendis sermo institueretur. Ac praeterquam quod duo illa, quae sola codex Vaticanus praestat, huins libri fragmenta publicam iuventutis disciplinam attingunt, qui ab aliis scriptoribus vel diserte ex hoc libro adferuntur vel iudicio quidem Maii ex eodem sunt repetiti, loci eodem pertinent omnes. Sunt enim partim de tuendis institutis, moribus, virtutibus, partim de earumdem rerum tuendarum rationibus. Hinc sermo de virorum notandorum iure poëtis, praesertim in scaena, denegando et solis censoribus concedendo, de mulierum autem censura solis viris relinquenda.

I. 1. 1. *Temptabo tamen, quoniam corporis et animi factamentio est, utriusque rationem, quantum pusillitas intelligentiae meae pervidet, explicare. Quod officium hac de causa maxime suscipiendum puto, quod M. Tullius, vir ingenii singularis, in quarto de re publica libro, quum id facere temptas-*

*set, materiam late patentem angustis finibus terminavit, leviter summa quaque decerpens. Ac ne ulla esset excusatio cur eum locum non fuerit executus, ipse testatus est nec voluntatem sibi defuisse nec curam. In libro enim de legibus primo [c. 9.], quum hoc idem summam stringeret, sic ait: ‘Hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio.’ [Lactantius de opificio divino cap. 1.]*

2. Atque ipsa mens, quae futura videt, praeterita meminit. [Nonius p. 500. e Cic. lib. IV. de re publ.]

3. *Praeclare M. Tullius: ‘Etenim si nemo est, inquit, quin emori malit quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis mentem sit habiturus, quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato? Mihi quidem tanto videtur, quanto praestabilior est animus corpore.’ [Lactantius inst. div. lib. V. cap. 11.]*

4. *Ait quodam loco Tullius se non putare idem esse arletis et P. Africani bonum. [Augustinus contra Julian. Pelag. lib. IV. cap. 12. Tom. VII. p. 1048.]*

5. *Eademque obiectu suo umbram noctemque efficiat quum ad numerum dierum aptam tum ad laborum quietem. [Nonius p. 234. e Cic. lib. IV. de re publ.]*

6. *Quumque autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hieme ad conficiendas relaxarit, aestiva matritate alia mitigaverit, alia torruerit. [Nonius p. 343. e Cic. lib. IV. de re publ.]*

7. *Quum adhibent in pecuda pastores . . . . [Nonius p. 159. e Cic. lib. IV. de re publ.]*

8. *Armillae, quae nunc vocant brachialia. Sic Cicero in IIII de re publica. [Priscianus super XII. vers. Virg. cap. 2. §. 14. Vid. fragm. huius de re publ. libri ultimum.]*

II. 2. . . . . gratiam. Quam commode ordines de- [p. 111. scripti, aetates, classes, equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus, nimis multis iam stulte hanc utilitatem tolli cupientibus, qui novam largitionem querunt aliquo plebi scito reddendorum equorum.

III. 3. Considerate nunc cetera quam sint provisa sapienter ad illam civium beate et honeste vivendi societa-

tem: ea est enim prima causa coēundi et id hominibus effici ex re publica debet partim institutis, alia legibus. Principio disciplinam puerilem ingenuis, de qua Graeci multum frustra laborarunt et in qua una Polybius noster hospes nostrorum institutorum neglegentiam accusat, nullam certam aut destinatam legibus aut publice expositam aut unam omnium esse voluerunt. Nam . . . . .

[Desiderantur paginae minimum quattuor.]

*Secundum Tullium, qui dicit ad militiam euntibus dari solitos esse custodes a quibus primo anno regantur.* [Servius ad Virg. Aen. lib. V. v. 546. p. 384.]

Non modo ut Spartae, rapere ubi pueri et clepere discunt. [Nonius p. 20. e Cic. lib. IV. de re publ.]

*Adeo ut Cicero dicat in libris de re publica opprobrio fuisse adolescentibus, si amatorem non haberent.* [Servius ad Virg. Aen. lib. X. v. 325.]

p. 113.] IV. 4. . . . ri nudari puberem. Ita sunt alte repetita quasi fundamenta quaedam verecundiae. Juventutis vero exercitatio quam absurdia in gymnasis, quam levis ephelorum illa militia, quam contrectationes et amores soluti et liberi! Mitto apud Eleos et Thebanos, apud quos in amore ingenuorum libido etiam permissam habet et solutam licen- p. 114.] tiam: Lacedaemonii ipsi, quum omnia concedunt in amore iuvenum praeter stuprum, tenui sane muro dissipaunt id, quod excipiunt: complexus enim concubitusque permittunt palliis interiectis. Hic Laelius: Praecipere intellego, Scipio, te in iis Graeciae disciplinis, quas reprehendis, cum populis nobilissimis malle quam cum tuo Platone luctari, quem ne attingis quidem, praesertim quum [Plato in multis ita lapsus sit, ut nemo deterius erraverit, in primis quod in libris civilibus omnia omnibus voluit esse communia. De patrimonii tolerabile est, licet sit iniustum: nec enim aut obesse cuiquam debet, si sua industria plus habet, aut prodesse, si sua culpa minus. Sed, ut dixi, potest aliquo modo ferri. Etiame coniuges, etiamne liberi communes erunt? Non erit sanguinis ulla distinctio, nec genus certum, nec familiae nec cognationes nec affinitates, sed sicut in gregibus pecudum con-

fusa et indiscreta omnia, nulla erit in viris continentia, nulla in feminis pudicitia. Quis esse in utrisque amor coniugalis potest, in quibus non est certus aut proprius affectus? Quis erit in patrem prius ignorans unde sit natus? quis filium diligit quem putabit alienum? Quin etiam feminis curiam re servavit, militiam et magistratus et imperia permisit. Quanta erit infelicitas urbis illius, in qua virorum officia mulieres occupabunt. [Lactantius epit. cap. 38.]

V. 5. Et noster Plato magis etiam quam Lycurgus, omnia qui prorsus iubet esse communia, ne quis civis propriam aut suam rem ullam queat dicere. [Nonius p. 362. e Cic. lib. IV. de re publ.]

Ego vero eodem, quo ille Homerum redimitum coronis et delibutum unguentis emittit ex ea urbe, quam sibi ipse fingit. [Idem p. 308 sq. indidem.]

VI. 6. Censoris iudicium nihil fere damnato nisi ruborem adfert. Itaque ut omnis ea iudicatio versatur tantum modo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. [Idem p. 24. indidem.]

Horum enim severitatem dicitur inhorruisse primum civitas. [Idem p. 423. indidem.]

Nec vero mulieribus praefectus praeponatur, qui apud Graecos creari solet, sed sit censor qui viros doceat moderari uxoribus. [Idem p. 499. indidem.]

Ita magnam habet vim disciplina verecundiae: carent temeto omnes mulieres. [Idem p. 5. indidem.]

Atque etiam si qua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant. [Idem p. 306. indidem.]

Itaque a petendo petulantia, a procando, id est poscendo, procacitas nominata est. [Idem p. 23 et 24.]

VII. 7. Nolo enim eumdem populum imperatorem et portitorem esse terrarum. Optimum autem et in privatis familiis et in re publica vectigal duco esse parcimoniam. [Idem p. 24. e Cic. lib. IV. de re publ., quamquam e lib. III. Io. Sarresberiensis Policrat. III. 12.]

Fides enim nomen ipsum mihi videtur habere, quum fit quod dicitur. [Nonius p. 24. e Cic. lib. IV. de re publ.]

In eive excuso atque homine nobili blanditiam, adsentationem, ambitionem notam esse levitatis. [Idem p. 194. indidem.]

*Intuere paullulum ipsos de re publica libros, — quod nullus sit patriae consulendi modus aut finis bonis. — Cerne quantis ibi laudibus frugalitas et continentia praedicitur et erga coniugale vinculum fides castique, honesti ac probi mores.* [Augustinus Epist. CCL. Tom. II. p. 824. Ep. XCI. 3. Bened.]

VIII. 8. Admiror nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam. Si iurgant, inquit. Benevolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur. *Et in sequenti:* iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. [Nonius p. 430 sq. e Cic. lib. IV. de re publ.]

Eosdem terminos hominum curae atque vitae, sic pontificio iure sanctitudo sepulturae. [Idem p. 174. indidem.]

Quod insepultos reliquissent eos, quos e mari propter vim tempestatis excipere non potuissent, innocentes necaverint. [Idem p. 293. indidem.]

Nec in hac dissensione suscepit populi causam, sed bonorum. [Idem p. 519. e Cic. lib. IV. de re publ.]

Non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil impertias iuris aut parum. [Priscianus l. XV. c. 4. §. 20. e Cic. lib. IV. de re publ.]

Cui quidem utinam vere fideliter abunde ante auguravimus. [Nonius p. 469. e Cic. lib. IV. de re publ.]

IX. 9. *Frusta hoc exclamante Cicerone, qui quum de poëtis ageret:* Ad quos quum accessit, inquit, clamor et approbatio populi quasi magni cuiusdam et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras, quos invehunt metus, quas inflammant cupiditates! [Augustinus de civ. dei lib. II. cap. 14. Tom. V. p. 116. et Io. Saresberiensis Polier. lib. VII. cap. 9.]

*Negat Cicero, si duplicitur sibi aetas, habiturum se tempus quo legat lyricos.* [Seneca ep. XLIX.]

X. 10. *Sicut apud Ciceronem Scipio loquitur:* Quum artem ludicram scaenamque totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt. [Augustinus de civ. dei lib. II. cap. 13. Tom. V. p. 113.]

11. *Quid autem hinc senserint Romani veteres Cicero testatur in libris, quos de re publica scripsit, ubi Scipio disputans ait:* Numquam comoediae, nisi consuetudo vitae pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent. Et Graeci quidem antiquiores vitiosae suae opinionis quamdam convenientiam servaverunt, apud quos fuit etiam lege concessum ut quod vellet comoedia de quo vellet nominatim diceret. *Itaque sicut in eisdem libris loquitur Africanus:* Quem illa non attigit vel potius quem non vexavit? cui pepercit? Esto, populares homines improbos, in re publica seditiones, Cleonem, Cleopontem, Hyperbolum laesit. Patiamur, inquit, etsi eius modi cives a censore melius est quam a poëta notari, sed Periclem, quum iam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praeclusisset, violari versibus et exagitari in scaena non plus decuit quam si Plautus, inquit, noster voluisse aut Naevius Publio et Cnaeo Scipioni aut Caecilius Marco Catoni male dicere. 12. *Deinde paullo post:* Nostrae, inquit, contra duodecim tabulae, quum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset sive carmen condidisset quod infamiam faceret flagitiumve alteri. Praeclare: iudiciis enim magistratum, disceptationibus legitimis propositam vitam, non poëtarum ingenii, habere debemus nec probrum audire nisi ea lege, ut respondere liceat et iudicio defendere. *Haec ex Ciceronis quarto de re publica libro ad verbum excerpta arbitratus sum, non nullis propter faciliorem intellectum vel praetermissis vel paullum commutatis.* Dicit deinde alia et sic concludit hunc locum, ut ostendat, veteribus displicuisse Romanis vel laudari quemquam in scaena vivum hominem vel vituperari. [Augustinus de civ. dei lib. II. cap. 9. Tom. V. p. 106.]

XI. 13. *Comoediam esse Cicero ait imitationem vitae, spectulum consuetudinis, imaginem veritatis.* [Donat. de com. et trag. p. LVII. Terent. ed. Westerh.]

Si quidem, quod in eo quoque (i. e. IV.) de re publica libro commemoratur, Aeschines Atheniensis, vir eloquentissimus, quum adolescens tragedias actitavisset, rem publicam capessivit et Aristodemum, tragicum item actorem,

maximis de rebus pacis et belli legatum ad Philippum Athenienses saepe miserunt. [Augustinus de civ. dei lib. II. cap. 10. Tom. V. p. 109.]

XII. 14. Οὐτε γὰρ ἄπασα τέρψις μεμπτὸν οὕτε τῆς μονσικῆς αὐτη τέλος, ἀλλ' ή μὲν ψυχαγωγία κατὰ τὸ συμβεβηκός, σκοπὸς δὲ ὁ προκείμενος ή πρὸς ἀρετὴν ὥφελεια· ὅπερ πολλούς τε ἄλλους ἔλασθε καὶ τὸν ἐν τοῖς Κικέρωνος τοῦ Ρωμαίου πολιτικοῖς τὰ κατὰ μονσικῆς ὁρθέντα· οὐ γὰρ ἔγωγ' ἀν φαίην ἐκείνῳ τὰ τοιαῦτα εἰρηθέντα· πῶς γὰρ ἂν τις αὐτὸν ἴσχυρίσαιτο μονσικὴν λοιδορεῖν τε καὶ ὡς φαύλην εὐθύνειν τέχνην ἀρμονιῶν τε καὶ ὁνδμῶν ἀρετάς τε καὶ πακίας διορίζονταν; ἀνδρα, ὃς γε τηνικαῦτα ὁνδμοῖς μόνοις καὶ τούτοις ἀγενέσι καὶ φαύλοις ἐπιδεικνύμενον Ρώσκιον τὸν δραχτῆν οὕτω σφόδρα ἐξεπλήττετο, ὥστε φάσκειν αὐτὸν προνοίᾳ θεῶν ἐξ ἀνθρώπους παρελθεῖν. Καὶ γὰρ εἰ τις αὐτὸν φάσκοι τὰ μὲν ἐν ἡ συγγέγραφε πολιτείᾳ λέγειν ἐκουσίως, τὰ δὲ περὶ Ρώσκιον προκειμένης ἔνεκεν ὑποθέσεως, ἀντιστρέψειν μὲν καὶ ἡμᾶς οὐδὲν κωλύσει τὸν αὐτὸν λόγον. Ἀλλ' ὅμως καὶ οὕτω λάδοι τις ἀν ἀποδοκιμάζων μᾶλλον, ὃσον εἰς τὴν παροῦσαν σκέψιν, ἡ συνιστάς τὸν ὁγτορα· ἀναξιόπιστος γὰρ πρὸς ἀληθείας εὑρεσιν ἡ δικαίαν κοίσιν ὁ ταῖς κατ' αὐλὴν ἡ κατὰ τὴν αὐτοῦ προαιρεσιν, ἀλλα μὴ ταῖς κατ' οὐσίαν δουλεύοντον ὑποθέσειν. Οἷμαι δέ, ὡς οὐδὲ ἀν αὐτὴν ἐψεγε ὁγτορικὴν διὰ τὸν δεκαξομένους τὸν ὁγτόρων. Οὕτω δὴ καὶ εἰ τινες τῶν τεχνιτῶν διὰ τὸ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν τὰ ἀγενῆ μελωδοῦσιν, οὐ τῆς τέχνης τὸ αἰτίαμα. Ἀλλὰ καὶ ἡ πατοὶς αὐτῶν τοὺς μὲν ἐπὶ Νομᾶ καὶ τοὺς ὀλγῷ μετ' αὐτὸν, ἔτι τυγχάνοντας ἀγοιωτέρους, μονσικὴν παιδενομένους εὑχε, καθὰ καὶ αὐτὸς φησιν, Ιδίᾳ τε ἐν εὐωγίαις ποιηῇ τε ἐν ἄπασαις τελεταῖς σφίσι συνοργιαζούσῃ. [Aristides Quint. de Musica lib. II. p. 69—71. ed. Meibom.]

Maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuventutem alacriorem redderent. [Valerius Maximus lib. II. cap. 1. §. 10.]

M. TULLII CICERONIS  
DE RE PUBLICA.  
LIBER QUINTUS.

## ARGUMENTUM.

Hoc libro Scipio apud M. Tullium, qui ad unum principem summam totius rei publicae administrationem ac procreationem deferri vult, id maxime egisse videtur, ut perfectam eius imaginem informaret. Itaque, quantum videre licet, de paranda rei publicae gerendae scientia, de imperio summi magistratus sapienter definiendo, de officiorum rationibus exposuit. Ad hunc de ineundis cautionibus locum Maius recte, opinor, refert Quintiliani declamationem CCLXVIII. contra contionatores seditiosos ex hoc Ciceronis libro repetitam. Ipse quidem Tullius, ut supra in adumbrando civitatis gubernatore Politicum Platonis, sic eiusdem librum de Legibus undecimum in impugnandis importunis illis oratoribus ob oculos habuisse videtur.

I. 1. Quando res publica Romana non iam pessima ac flagitiosissima, sed omnino nulla erat secundum istam rationem, quam disputatio de re publica inter magnos eius tum principes habita patefecit, sicut etiam ipse Tullius non Scipionis nec cuiusquam alterius, sed suo sermone loquens in principio quinti libri commemorato prius Enni poëlae versu, quo dixerat:

*moribus antiquis res stat Romana virisque,*

quem quidem ille versum, *inquit*, vel brevitate vel veritate tamquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. Nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisse, neque mores, nisi hi viri praefuisse, aut fundare aut tam diu tenere potuissent tantam et tam iuste lateque imperantem rem publicam. Itaque ante nostram memoriam et mos ipse patrius praestantes viros adhibebat et veterem morem ac maiorum instituta retinebant excellentes viri. 2. Nostra vero

aetas, quem rem publicam sicut picturam accepisset egregiam, sed iam evanescensem vetustate, non modo eam coloribus iisdem quibus fuerat renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem eius et extrema tamquam lineamenta servaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam? quos ita obliuione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur. Nam de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt virorum penuria, cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodam modo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rem publicam verbo retinemus, re ipsa vero iam pridem amisimus. *Haec Cicero fatebatur longe quidem post mortem Africani, quem in suis libris fecit de re publica disputare.* [Augustinus de civ. dei lib. II. cap. 21. Tom. V. p. 132 sq. cf. lib. II. cap. 25. p. 144.]

*Ius civile per multa saecula inter sacra caerimoniasque deorum immortalium abditum solisque pontificibus notum Cn. Flavius, libertino patre genitus et scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus aedilis curulis, vulgavit ac fastos paene toto foro exposuit.* [Valerius Maximus lib. II. cap. 5. §. 2. conf. Cie. ad Att. lib. VI. ep. 2.]

p. 247.] II. 3. *Nihil esse tam regale quam explanationem aequitatis, in qua iuris erat interpretatio, quod ius privati pertinebat a regibus, ob easque causas agri arvi et arbusti et pascui lati atque uberes definiebantur, qui essent regii quique colerentur sine regum opera et labore, ut eos nulla privati negotii cura a populorum rebus abduceret.* Nec vero quisquam privatus erat disceptator aut arbiter litis, sed p. 248.] omnia conficiebantur iudiciis regius. Et mihi quidem videtur Numa noster maxime tenuisse hunc morem veterem Graeciae regum. Nam ceteri, etsi hoc quoque munere fungebantur, magnam tamen partem bella gesserunt et eorum iura coluerunt. Illa autem diurna pax Numae mater huic urbi iuris et religionis fuit, qui legum etiam scriptor fuisset, quas scitis exstare, quod quidem huius civis proprium, de quo agimus . . . . .

III. 4. Sed tamen ut bono patri familias colendi, aedificandi, ratiocinandi quidam usus opus est. [Nonius p. 497. e Cic. lib. V. de re publ.]

5. .... s. radicum seminumque cognoscere [p. 253. num te offendet? m. Nihil, si modo opus existabit. s. Num id studium censes esse vilici? m. Minime: quippe quum agri cultura saepissime opera deficiat. s. Ergo, ut vilicus naturam agri novit, dispensator litteras scit, uterque autem se a scientiae delectatione ad efficiendi utilitatem refert, sic noster hic rector studuerit sane iuri et legibus cognoscendis, fontis quidem earum utique perspexerit, sed [p. 254. se responsitando et lectitando et scriptitando ne impedit, ut quasi dispensare rem publicam et in ea quodam modo vilicare possit, summi iuris peritissimus, sine quo iustus esse nemo potest, civilis non imperitus, sed ita, ut astrorum gubernator, physicorum medicus: uterque enim illis ad artem suam utitur, sed se a suo munere non impedit. Illud autem videbit hic vir . . . . .

IV. 6. .... civitatibus, in quibus expetunt laudem optumi et decus, ignominiam fugiunt ac dedecus. Nec vero tam metu poenaque torrentur, quae est constituta legibus, quam verecundia, quam natura homini dedit quasi quemdam vituperationis non iniustae timorem. Hanc ille rector rerum publicarum auxit opinionibus perfecitque institutis et disciplinis, ut pudor civis non minus a delictis arceret quam metus. Atque haec quidem ad laudem [p. 200. pertinent, quae dici latius uberiorusque potuerunt.

V. 7. Ad vitam autem usumque vivendi ea descripta ratio est iustis nuptiis, legitimis liberis, sanctis penatium deorum Larumque familiarium sedibus, ut omnes et communibus commodis et suis uterentur, nec bene vivi sine bona re publica posset nec esse quicquam civitate bene constituta beatius. Quocirca permirum mihi videri solet, quae sit tanta doc . . . . .

VI. 8. *Consumo igitur omne tempus considerans quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus. Tenesne igitur moderatorem illum rei publicae quo referre velimus omnia? Nam sic quinto,*

*ut opinor, in libro loquitur Scipio:* Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori Victoria, sic huic moderatori rei publicae beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit: huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse perfectorem volo. [Cicero ad Att. lib. VIII. ep. 11.]

Et ubi est, quod et vestrae litterae illum laudant patriae rectorem, qui populi utilitati magis consulat quam voluntati? [Augustini ep. ad Nectarium CXIV. f. ed. Benedict.]

VII. 9. *Tullius dissimulare non potuit in iisdem libris, quos de re publica scripsit, ubi loquitur de instituendo principe civitatis, quem dicit alendum esse gloria, et consequenter commemorat maiores suos multa mira atque praeclara gloriae cupiditate fecisse.* [Augustinus de civ. dei lib. V. cap. 13. Tom. V. p. 309. Io. Saresberiensis Polier. VIII. 5.]

*Tullius in libris de re publica scripsit, scilicet principem civitatis gloria esse alendum et tam diu stare rem publicam, quam diu ab omnibus honor principi exhiberetur.* [Petrus Pictaviensis epist. ad calumn. Bibl. PP. Lugd. Tom. XXII. p. 824.]

Tum virtute, labore, industria quaereretur summi viri indolem, nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo — [Nonius p. 233. e Cic. lib. V. de re publ.]

Quae virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animi, mortis dolorisque magna contemptio. [Idem p. 201. indidem.]

VIII. 10. Marcellus ut acer et pugnax, Maximus ut consideratus et latus. [Idem p. 337. e Cic. lib. V. de re publ.]

Qui conterit eius vim et effrenatam illam ferociam. [Idem p. 492. e Cic. lib. V. de re publ.]

Orbi terrarum comprehensos. [Charisius lib. I. p. 112. e Cic. lib. V. de re publ.]

Quod molestias senectutis suaे vestris familiis impertire posset. [Nonius p. 37. e Cic. lib. V. de re publ.]

IX. 11. *Cicero in libris de re publica:* Ut Menelao Laco*ni* quaedam sicut suaviloquens iucunditas. *Et alio loco:* Breviloquentiam in dicendo colat. [Seneca apud Gellium lib. XII. cap. 2.]

*Quarum artium scaevitate, ut Tullius adseverat, nefas est religionem decipi iudicantis. Ait enim: Quumque nihil tam incorruptum esse debeat in re publica quam suffragium, quam sententia, non intelligo cur qui ea pecunia corruperit poena dignus sit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere videtur qui oratione quam qui precio iudicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest.* [Ammianus Marcellinus lib. XXX. cap. 4.]

*Quae quum Scipio dixisset, admodum probans Mumius: erat enim nimis odio quodam rhetorum imbutus.* [Nonius p. 521. e Cic. lib. V. de re publ.]

## M. TULLII CICERONIS DE RE PUBLICA

### LIBER SEXTUS.

### ARGUMENTUM.

Quas res sexto libro complexus Cicero fuerat, plerasque ignoramus: etenim minutiora et dissoluta fragmenta parum nos edocent. Quamquam, si ea emendate a grammaticis adferuntur, constat in sexto quoque libro continuatum esse de rei publicae rectore sermonem: item dictum de seditionibus rerumque publicarum conversionibus earumque, verbi gratia, luxu, ambitione, libidine, depravatis moribus. Sed tamen de religione certe in hac postrema operis parte quin disputatum fuerit non dubito. Nam et Laelii de religione oratio commemoratur et ad illum somni admirabilem epilogum non potuit nisi hac ratione pervenire auctor. Actum praeterea est de praemiis virtutis et de immortalitate animorum, cuius utriusque rei testem habemus Macrobius in commentatione somnii, eaque Platonis imitatio fuit, qui postremam eamque satis magnam librorum de re publica partem in eo argumento consumpsit. Enumeratis igitur iis, quae inter homines habentur, virtutis praemiis, quum ea satis facere non viderentur, immo nulla aliquando essent, sermo Ciceronis paulatim eo delapsus est, ut in dialogo bonis viris et bene de re publica meritis post obitum aeterna praemia et caelestia esse rependenda adseveraret. Quod

quum ita sit, immortales esse animos necesse est: de quo praeceptio quum aliis locis praecclare disseruit Cicero tum in hoc libro non perfunctoria oratione disputavisse credendus est. Tum quia Plato in Politiae suae extrema parte virum quemdam ad vitam revocatum fixit eumque praemia bonorum et malorum supplicia, quae viderat, narrantem induxit, Cicero quoque defensa Platonis narratione contra derisores quosdam, aliam similis artificii historiolam componit hominis non illius quidem reviviscentis, sed narrantis somnum, quo de monstraret ampliora virtutum manere praemia quam orbis vitae humanae habere soleret. Atque ita haec de re publica disputatio nobilissima conclusa est.

I. 1. Totam igitur exspectas prudentiam huius rectoris, quae ipsum nomen hoc nacta est ex providendo. [Nonius p. 42. e Cic. lib. VI. de re publ.]

*In Politia sua dicit Tullius rei publicae rectorem summum virum et doctissimum esse debere, ita ut sapiens sit et iustus et temperans et eloquens, ut possit facile currente eloquentia animi secreta ad regendam plebem exprimere. Scire etiam debet ius, Graecas nosse litteras, quod Catonis facto probatur, qui in summa senectute Graecis litteris operam dans indicavit quantum utilitatis haberent.* [Commentarius MS. in Cie. de invent. ap. Osann. p. 349.]

Quam ob rem se comparet hic civis ita necesse est, ut sit contra haec, quae statum civitatis permovent, semper armatus. [Nonius p. 256. e Cic. lib. VI. de re publ.]

Eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur. [Idem p. 25. indidem. Cf. Servius ad Virg. Aen. lib. I. v. 149. p. 179.]

Et vero in dissensione civili, quum boni plus quam multivalent, expendendos cives, non numerandos puto. [Nonius p. 519. e Cic. lib. VI. de re publ.]

Graves enim dominae cogitationum libidines infinita quaedam cogunt atque imperant, quae quia nec expleri nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, quos illecebris suis incenderunt. [Idem p. 424. indidem.]

II. 2. Quod quidem eo fuit maius, quia, quum causa pari collegae essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudi invidiam Gracchi caritas deprecabatur. [Gelius lib. VI. cap. 16. Nonius p. 290. e Cic. lib. VI. de re publ.]

Qui numero optimatum et principum obtulit his vocibus, et gravitatis suae liquit illum tristem et plenum dignitatis sonum. [Nonius p. 409. indidem.]

Ut, quem ad modum scribit ille, cotidiano in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis descenderent. [Idem p. 501. indidem.]

In his, ut meministis, concursu levissimae multitudinis et aere congesto funus de subito esset ornatum. [Idem p. 517. indidem.]

Firmiter enim maiores nostri stabilita matrimonia esse voluerunt. [Idem p. 512. et Priscianus lib. XV. cap. 3. §. 13. e Cie. lib. VI. de re publ.]

Oratio exstat Laelii, quam omnes habemus in manibus, ..... quam simpuvia pontificum dis immortalibus grata sint Samiaeque, ut ibi scribit, capedines. [Nonius p. 398. e Cic. lib. VI. de re publ.]

III. 3. *Imitatione Platonis Cicero de re publica scribens locum etiam de Eris Pamphyli reditu in vitam, qui, ut ait, rogo impositus revixisset multaque de inferis secreta narrasset, non fabulosa, ut ille, ad simulatione commentus est, sed sollertia somnii rationabili quadam imaginatione composuit, videlicet scite significans haec, quae de animae immortalitate dicererentur caeloque, [non] somniantium philosophorum esse commenta nec fabulas incredibiles, quas Epicurei derident, sed prudentium conjecturas. Insinuat Scipionem illum, qui Karthagine subiugata cognomen familiae peperit Africanum, huic Scipioni, Paulli filio, futuras a propinquis insidias et fatalis metae denunciare curriculum, quod necessitate numerorum in vitae perfectae tempora coartetur, ponitque illum aetatis suae quinquagesimo ac sexto anno duobus in se coëuntibus numeris absolutam caelo animam, unde accepérat, redditum etc.* [Favonius Eulogius comm. ad somn. Scip. p. 438. Graev.]

IV. 4. *Non nulli nostri propter quoddam praeclarissimum loquendi genus et propter non nulla, quae veraciter sensit, amantes Platonem dicunt eum aliquid simile nobis etiam de mortuorum resurrectione sensisse. Quod quidem sic tangit in libris de re publica Tullius, ut eum lusisse potius quam id, quod verum esset, adfirmet dicere voluisse. Inducit enim*

*hominem revixisse et narrasse quaedam, quae Platonis disputationibus congruebant.* [Augustinus de civ. dei lib. XXII. cap. 28. Tom. V. p. 1386.]

V. 5. *In hoc vel maxime operis similitudinem servavit imitatio, quod cum Plato in voluminis (de re publ.) conclusione a quodam vitae reddito, quam reliquise videbatur, indicari faciat qui sit exsutarum corporibus status animarum, adiecta his quadam sphaerarum vel siderum non otiosa descriptione, rerum facies non dissimilia significans a Tulliano Scipione per quietem sibi ingesta narratur.* [Macrobius in somn. Scip. lib. I. cap. 1.]

VI. 6. *Hunc ordinem Tullius non minore iudicio reservans quam ingenio repertus est. Postquam in omni rei publicae otio ac negotio palmam iustitiae disputando dedit, sacras immortalium animarum sedes et caelestium arcana regionum in ipso consummati operis fastigio locavit, indicans quo his pervenientium sit vel potius revertendum, qui rem publicam cum prudentia, iustitia, fortitudine ac moderatione tractaverunt. Sed ille Platonicus secretorum relator Er quidam nomine fuit, natione Pamphylus, miles officio, qui cum vulneribus in proelio acceptis vitam effudisse visus duodecimo demum die inter caeleros una peremptos ultimo esset honoranus igne, subito seu recepta anima seu retenta, quidquid mensis inter utramque vitam diebus egerat viderave, tamquam publicum professus indicium humano generi enunciavit. Hanc fabulam Cicero licet ab indoctis quasi ipse veri conscius doleat irrigam, exemplum tamen stolidae reprehensionis vitans excitari narraturum quam reviviscere maluit.* [Idem ibidem.]

VII. 7. *Ac prius quam somni verba consulamus, enodandum nobis est a quo genere hominum Tullius memoret vel irrigam Platonis fabulam vel ne sibi idem eveniat non vereri. Nec enim his verbis vult imperitum vulgus intelligi, sed genus hominum veri ignarum sub peritia ostentatione, quippe quos et legisse talia et ad reprehendendum constaret animatos. Dicemus igitur et quos in tantum philosophum referat quamdam censurae exercuisse levitatem quisve eorum etiam scriptam reliquerit accusationem etc. Epicureorum tota factio aequo semper errore a vero devia et illa existimans ridenda*

*quae nesciat, sacrum volumen et augustissima irrigil naturae seria. Colotes vero inter Epicuri auditores loquacitate notabilior etiam in librum retulit, quae de hoc amarius cavillatus est. Sed caetera, quae iniuria notavit, si quidem ad somnum, de quo hic procedit sermo, non attinent, hoc loco nobis omittenda sunt, illam calumniam persecuemur, quae nisi supplodetur, manebit Ciceroni cum Platone communis. Ait a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. Cur enim, inquit, si rerum caelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quae sit persona casusque excogitata novitas et composita advocati scaena figmenti, ipsam querendi veri ianuam mendacio polluerunt? Haec quoniam, dum de Platonico Ere iactantur, etiam quietem Africani nostri somniantis incusant, resistamus urgente et frustra arguens refellatur etc.* [Macrobius lib. I. cap. 2.]

VIII. 8. *Scipionem haec occasio ad narrandum somnum provocavit, quod longo tempore se testatus est silentio condidisse. Quum enim Laelius quereretur nullas Nasicae statuas in publico in imperfecti tyranni remunerationem locatas, respondit Scipio post alia in haec verba: Sed quamquam saevientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium, tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Quae tandem ista sunt, inquit Laelius? Tum Scipio: Patimini me, quoniam tertium diem iam seriat sumus et caetera, quibus ad narrationem somni venit docens illa esse stabiliora et viridiora praemiorum genera, quae ipse vidisset in caelo bonis rerum publicarum servata rectoribus.* [Idem lib. I. cap. 4.]

### S O M N I U M .

[Numerus primus huius ed. caput, medius binis uncis circumscriptus caput separatae olim Somni editionis, tertius §. notat.]

IX. [I.] 9. *Quum in Africam venissem M'. Manilio consuli ad quartam legionem tribunus, ut scitis. militum, nihil*

mihi fuit potius quam ut Masinissam convenirem regem, familiae nostrae iustis de causis amicissimum. Ad quem ut veni, complexus me senex collacrimavit aliquantoque post suspexit in caelum et: Grates, inquit, tibi ago, summe Sol, vobisque, reliqui Caelites, quod ante quam ex hac vita migro conspicio in meo regno et in his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor, itaque numquam ex animo meo discedit illius optimi atque invictissimi viri memoria. Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra re publica percunctatus est, multisque verbis ultro citroque habitis ille nobis consumptus est dies.

X. 10. Post autem apparatu regio accepti sermonem in multam noctem produximus, quum senex nihil nisi de Africano loqueretur omniaque eius non facta solum, sed etiam dicta meminisset. Deinde, ut cubitum discessimus, me et de via fessum et qui ad multam noctem vigilassem, artior quam solebat somnus complexus est. Hic mihi — credo eisdem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui — Africanus se ostendit ea forma, quae mihi ex imagine eius quam ex ipso erat notior, quem ubi agnovi, eisdem cohorui, sed ille: Ades, inquit, animo et omitte timorem, Scipio, et quae dicam trade memoriae.

XI. [II.] 11. Videsne illam urbem, quae parere populo Romano coacta per me renovat pristina bella nec potest quiescere? — ostendebat autem Karthaginem de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco — ad quam tu oppugnandam nunc venis paene miles. Hanc hoc bienio consul evertes, eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hereditarium. Quum autem Karthaginem deleveris, triumphum egeris censorque fueris et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, diligere iterum absens eos. bellumque maximum conficies, Numantiam exscindes. Sed quum eris curru Capitolium inventus, offendes rem publicam consiliis perturbatam nepotis mei.

XII. 12. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Sed eius temporis an-

cipiten video quasi fatorum viam. Nam quum actas tua septenos octiens solis amfractus redditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem conferint, in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas, te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus, ac, ne multa, dictator rem publicam constitutas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic quum exclamasset Laelius ingemissetque caeteri vehementius, leniter adridens Scipio: Quaeso, inquit, ne me e somno excitetis, parumper audite caetera.

XIII. [III.] 13. Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur: nihil est enim illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur, harum rectores et conservatores hinc profecti hue revertuntur.

XIV. 14. Hic ego, etsi eram perterritus non tam mortis metu quam insidiarum a meis, quaesivi tamen viveretne ipse et Paulus pater et alii, quos nos extintos esse arbitramur. Immo vero, inquit, ei vivunt, qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt, vestra vero, quae dicitur, vita mors est. Quin tu aspicis ad te venientem Paulum patrem? Quem ut vidi, eisdem vim lacrimarum profudi, ille autem me complexus atque osculans flere prohibebat.

XV. 15. Atque ego ut primum fletu represso loqui posse coepi: Quaeso, inquam, pater sanctissime atque optime, quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin hue ad vos venire proprio? Non est ita, inquit ille. Nisi enim deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur hisque animus

datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis, quae globosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus animus est in custodia corporis nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum adsignatum a deo defugisse videamini. Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis tum in patria maxima est, ea vita via est in caelum et in hunc coetum eorum, qui iam vixerunt et corpore relaxati illum incolunt locum, quem vides: XVI. 16. — erat autem is splendidissimo candore inter flamas circulus elucens —, quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis. Ex quo mihi omnia contemplanti praecleara caetera et mirabilia videbantur. Erant autem eae stellae, quas numquam ex hoc loco vidimus, et eae magnitudines omnium, quas esse numquam suspicati sumus, ex quibus erat ea minima, quae ultima a caelo, citima terris, luce lucet aliena. Stellarum autem globi terrae magnitudinem facile vincebant. Iam vero ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum eius attingimus, poeniteret.

XVII. [IV.] 17. Quam cum magis intuerer: Quaeso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? Nonne aspicis quae in templo veneris? Novem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia, quorum unus caelestis est extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus arcens et continens caeteros: in quo sunt infixi illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni: cui subiecti septem, qui versantur retro contrario motu atque caelum, ex quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde est hominum generi prosperus et salutaris ille fulgor, qui dicitur Iovis: tum rutilus horribilisque terris, quem Martium dicitis: deinde subter medium fere regionem Sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret et compleat. Hunc

ut comites consequuntur Veneris alter, alter Mercurii cursus, in infimoque orbe Luna radiis solis accensa convertitur. Infra autem iam nihil est nisi mortale et caducum præter annos munere deorum hominum generi datos, supra Lunam sunt aeterna omnia. Nam ea quae est media et nona tellus neque movetur et infima est et in eam feruntur omnia nutu suo pondera.

XVIII. [V.] 18. Quae cum intuerer stupens, ut me recepi: Quis hic, inquam, quis est, qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui intervallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis impulsu et motu ipsorum orbium conficitur et acuta cum gravibus temperans varios aequabiliter concentus efficit: nec enim silentio tanti motus incitari possunt et natura fert ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille caeli stellifer cursus, cuius conversio est concitior, acuto et excitato moyetur sono, gravissimo autem hic lunaris atque infimus: nam terra nona immobilis manens una sede semper haeret complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos: qui numerus rerum omnium fere nodus est, quod docti homines nervis imitati atque cantibus aperuerunt sibi redditum in hunc locum, sicut alii, qui praestantibus ingenii in vita humana divina studia coluerunt. 19. Hoc sonitu oppletae aures hominum obscuruerunt: nec est ullus hebetior sensus in vobis, sicut, ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens, quae illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret. Hic vero tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint, sicut intueri solem adversum nequitis eiusque radiis acies vestra sensusque videntur. Haec ego admirans referebam tamen oculos ad terram idemtidem.

XIX. [VI.] 20. Tum Africanus: Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari: quae si tibi

parva, ut est, ita videtur, haec caelestia semper spectato, illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum aut quam expetendam consequi gloriam potes? Vides habitari in terra raris et angustis in locis et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interiectas, eosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare vobis, a quibus exspectare gloriam certe nullam poteris.

XX. 21. Cernis autem eamdem terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis, e quibus duo maxime inter se diversos et caeli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos obriguisse pruina vides, medium autem illum et maximum solis ardore torrei. Duo sunt habitabiles, quorum australis ille, in quo qui insistunt adversa vobis urgunt vestigia, nihil ad vestrum genus, hic autem alter subiectus aquiloni, quem incolitis, cerne quam tenui vos parte contingat. Omnis enim terra, quae colitur a vobis, angustata verticibus, lateribus latior, parva quaedam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis in terris, qui tamen tanto nomine quam sit parvus vides. 22. Ex his ipsis cultis notisque terris num aut tuum aut cuiusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit vel illum Gangem transtare? Quis in reliquis orientis aut obeunis solis ultimis aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis cernis profecto quantis in angustiis vestra se gloria dilatari velit. Ipsi autem, qui de vobis loquuntur, quam loquentur diu?

XXI. [VII.] 23. Quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes unius cuiusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam adsequi possumus. Quid autem interest ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, quum ab

eis nullus fuerit, qui ante nati sunt? qui nec pauciores et certe meliores fuerunt viri, XXII. 24. praesertim quum apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo unius anni memoriam consequi possit. Homines enim populariter annum tantum modo solis, id est, unus astri, redditum metiuntur, quum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint eamdemque totius caeli descriptionem longis intervallis rettulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest: in quo vix dicere audeo quam multa hominum saecula teneantur. Namque ut olim deficere sol omnibus extinguevis visus est, quum Romuli animus haec ipsa in templo penetravit, quando ab eadem parte sol eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad principium stellisque revocatis expletum annum habeto: huius quidem anni nondum vicesimam partem scito esse conversam.

XXIII. 25. Quocirca si redditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris, quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguum potest? Igitur alte spectare si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dedideris nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus, quid de te alii loquantur ipsi videant, sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur eis regionum, quas vides, nec umquam de ullo perennis fuit et obruitur hominum interitu et oblivione posteritatis extinguitur.

XXIV. [VIII.] 26. Quae quum dixisset: Ego vero, inquam, Africane, si quidem bene meritis de patria quasi limes ad caeli aditum patet, quamquam a pueritia vestigiis ingressus patris et tuis decori vestro non defui, nunc tamen tanto praemio exposito enitar multo vigilantius. Et ille: Tu vero enitere et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc: nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse, si

quidem deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps deus, et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.

XXV. 27. Nam quod semper moveatur aeternum est, quod autem motum adserit alicui quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod de se moveatur, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit. Quin etiam caeteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principii autem nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim esset id principium, quod gignetur aliunde: quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur nec ex se aliud creabit, si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se moveatur: id autem nec nasci potest nec mori vel concidat omne caelum omnisque natura consistat necesse est nec vim ullam nanciscatur, qua a primo impulsa moveatur.

XXVI. [IX.] 28. Quum pateat igitur aeternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo, quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo: nam haec est propria natura animi atque vis. Quae si est una ex omnibus quae sese moveat, neque nata est certe et aeterna est. 29. Hanc tu exerce optimis in rebus! sunt autem optimae curiae de salute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit. Idque ociosus faciet, si iam tum, quum erit inclusus in corpore, eminebit foras et ea, quae extra erunt, contemplans quam maxime se a corpore abstractet. Namque eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt earumque se quasi ministros praebuerunt impulsuque libidinum voluptatibus oboedientium deorum

et hominum iura violaverunt, corporitus elapsi circum terram ipsam voluntantur, nec in hunc locum nisi multis exagitati saeculis revertuntur. Ille discessit: ego somno solitus sum.

## LIBRORUM DE RE PUBLICA INCERTORUM FRAGMENTA.

1. Vicem lugeo. [Arusianus Messius p. 222. Lindem.]
2. Idque ipsa natura non invitaret solum, sed etiam cogeret. [Nonius p. 321.]
3. Nitito. [Diomedes lib. I. p. 330.]
4. Excellunt. [Idem ibid. p. 371.]
5. *In libris de re publica a Cicerone illa virtus dicitur quae prudentia.* [Victorinus prooem. ad I. Rhet. Cic. p. 102. ed. Capperoni.]
6. Et quamquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimam permanere, illa tamen aequabilitas vitae non tantum habet sensum, quantum quum ex saevis et perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur. [Ammianus Marc. lib. XV. cap. 5.]
7. *Aliud civitas non est quam concors hominum multitudo.* Augustinus de civ. dei lib. I. cap. 15. Tom. V. p. 59.
8. *Cicero in dialogis nominavit foedifragos Afros.* [Interpres Cruquianus ad Horatium Od. IV, 8, 17. p. 232. b. Cf. Cic. Off. lib. I. cap. 12.]
9. Fanni, causa difficilis laudare puerum: non enim res laudanda, sed spes est. [Servius ad Virg. Aen. lib. VI. v. 877. e Ciceronis dialogo, p. 447. ed. Paris.]
10. — *quod ait Cicero:* Quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati — *hanc quam nunc in Circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant.* [Seneca Ep. 108. §. 32. cf. Cic. Cat. cap. 23.]

11. *Deinde Ennianos colligit versus et in primis illos de Africano scriptos:*

cui nemo civis neque hostis

Quivit pro factis reddere opere precium.

[Idem ibid.]

12. *Est enim apud Ciceronem in his ipsis de re publica hoc epigramma:*

Si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquam est,

Mi soli caeli maxima porta patet.

[Idem ibid. cf. Lactant. inst. div. lib. I. cap. 18.]

13. *Cui vanitati et Cicero adsensit:* Est vero, *inquit*, Africane. Nam et Herculi eadem ipsa porta patuit. [Lactantius l. c.]

14. *Idem Cicero in dialogis de re publica multa dicit referens Asianos oratores ditrochaeo clausulas terminare.* [Rufinus in Rhet. Lat. ed. Pithoei p. 319. et Gramm. Lat. Putschii p. 2721.]

15. Σωκράτη τε καὶ τοὺς ἄμφ' αὐτόν τε καὶ ἔξ αὐτοῦ ἐδόνηστας, ποταμῶν ἔξ ὠκεανοῦ δίκην, θείους κατ' ἀρετὴν καὶ παιδείαν γεγονότας ἄνδρας οὐ τῆς Ἑλλάδος μόνης, ἀλλὰ καὶ ὅλης φωστῆρας τῆς οἰκουμένης ἢν Πλάτων καὶ Δεινοφῶν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ ὁ λοιπὸς τῶν φιλόσοφων ὄμιλος· εὐ γὰρ ὄνομάζει Κικέων Σωκράτη ἀρχηγόν, καὶ ἵνα πλέον ὁμοίωσι καὶ αὐτός, πρόγκιπα τῆς ὅλης καὶ ἀληθοῦς φιλοσοφίας ἐπικαλών. [Petrus Magister de politica scientia in A. Maii Coll. Vat. Tom. II. p. 608.]

## DE LEGIBUS

### LIBER PRIMUS.

#### ARGUMENTUM.

Postquam Cicero sex libris de re publica scriptis quem ad modum sibi res publica constitenda ac regenda esse videretur explicavit, Platonis maxime exemplum secutus, hoc eodem auctore totidem libris etiam de legibus, quae in civitate a se constituta obtinendae essent, quae sua esset sententia aperire voluit. Quod argumentum ita persecutus est, ut in colloquio, quod fingit se cum Quinto fratre et Attico suo ab u. c. a. 702 aut 703 ineunte habuisse, eum locum tractaret. Eorum tamen librorum non manserunt nisi tres eique non integri et librariorum erroribus valde corrupti, ut in his potissimum libris permulta dubia esse videantur. Et in primo quidem libro Cicero praemitto proemio primum naturam iuris explicat eamque ab hominis natura repetit, deinde considerat quibus legibus civitas regi debeat, denique haec tractat, quae composita et descripta erant iura et iussa populorum, in his etiam populi Romani ius, quod civile dicitur, cap. 5. In hac autem disputatione usus est philosophorum more non veterum illorum Socraticorum, Academicorum et Peripateticorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae. Nam, quae veteres illi fuse ac libere disputare consueverant, ea Ciceronis temporibus, in primis a Stoicis, articulatim distinque dicebantur, quod negabant satis fieri huic de legibus loco posse, nisi separatum de singulis capitibus disputaretur, cap. 13. Primus liber tamquam fontes omnium legum omnisque iuris aperit et ultimam legem dicit esse mentem dei optimi maximi, omnia ratione iubentis et vetantis, a qua hominum vera lex proficiatur, quae sit ratio sapientis, apta ad iubendum et vetandum, conf. lib. II. cap. 4. Atque hoc est argumentum huius libri eamque scholam certis capitibus distinguit. Primo igitur docet a deo, cuius numine ac mente omnia regantur, praeclara quadam condicione generatum esse hominem: praeter alia enim bona soli ex omnium animantium generibus ac naturis attributam esse rationem, quae quum adoleverit atque perfecta sit, sapientia nominetur, ut homini cum deo rationis societas sit et, quia ratio lex sit, communio iuris et quasi quaedam adgnatio, quod a deo ratio sit ingenerata, cap. 7—9. Deinde ostendit cap. 10. 11.

hominiū inter ipsos esse propter summam similitudinem et aequalitatem summam societatem coniunctionemque: ex quo sequitur tertium, ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes ius nos natura esse factos, efficiturque, quod quibusdam incredibile videtur, est autem necessarium, ut nihilo sese magis quisquam quam alterum diligat, cap. 12. Ex his tribus tamquam principiis sua sponte intelligere quisque potest natura ius, non opinione et iudicio humano contineri, cap. 13—17. Sed de eadem peculiaris est multisque argumentis confirmata disputatio, cuius tamen particula quedam statim ab initio intererit. Eam sequitur alia brevis, qua efficitur ius et omne honestum sua sponte esse expetendum, cap. 18 sq. Conclusio libri est de laudibus philosophiae et de Academicorum veterum Peripateticorumque et Stoicorum de bono et malo controversiis iisque magis de verbis quam de rebus.

I. 1. ATTICUS. •Lucus quidem ille et haec Arpinatum quercus agnoscitur saepe a me lectus in Mario. Si enim manet illa quercus, haec est profecto: etenim est sane vetus. QUINTUS. Manet vero, Attice noster, et semper manebit: sata est enim ingenio. Nullius autem agricultae cultu stirps tam diuturna quam poëtae versu seminari potest. ATT. Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc, quod poëtae serunt? Mihi enim videris fratrem laudando suffragari tibi. Q. Sit ita sane: verum tamen, dum Latinae loquentur litterae, quercus huic loco non deerit quae Marianam dicatur, eaque, ut ait Scaevola de fratribus mei Mario,

*canescet saeclis innumerabilibus.*

2. Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt aut, quod Homericus Ulixes Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eamdem, multaque alia multis locis diutius commemoratione manent quam natura stare potuerunt. Qua re glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

*Nuncia fulva Iovis miranda visa figura,*

zunc sit haec. Sed quum eam tempestas vetustasve consumpserit, tamen erit his in locis quercus quam Marianam quercum vocabunt. 3. ATT. Non dubito id quidem. Sed hoc tam non ex te, Quinte, quaero, verum ex ipso poëta, tuine versus hanc quercum severint an ita factum de Mario, ut

scribis, acceperis. MARCUS. Respondebo tibi equidem, sed non ante quam mihi tu ipse responderis, Attice, certene non longe a tuis aedibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit se deum esse et Quirinum vocari templumque sibi dedicari in eo loco iusserit, et verumne sit [ut] Athenis non longe item a tua illa antiqua domo Orithyiam Aquilo sustulerit: sic enim est traditum. 4. ATT. Quorsum tandem aut cur ista quaeris? M. Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea, quae isto modo memoriae sint prodita. ATT. Atqui multa quoeruntur in Mario fictane an verisint, et a non nullis, quod et in recenti memoria et in Arpinati homine versere, veritas a te postulatur. M. Et mehercule ego me cupio non mendacem putari. Sed tamen non nulli isti, Attice noster, faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poëta, sed ut a teste veritatem exigant, nec dubito quin idem et cum Egeria collocutum Numam et ab aquila Tarquinio apicem impositum putent. Q. Intelligo te, frater, alias in historia leges observandas putare, alias in poëmate. 5. M. Quippe quum in illa ad veritatem cuncta referantur, in hoc ad delectationem pleraque. Quamquam et apud Herodotum patrem historiae et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae.

II. ATT. Teneo quam optabam occasionem neque omittam. M. Quam tandem, Tite? ATT. Postulatur a te iam diu vel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante effici posse ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. Atque ut audias quid ego ipse sentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus, ut ea, quae salva per te est, per te eundem sit ornata. Abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intelligo et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satis facere in ea, quippe quum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime. 6. Quam ob rem adgredere, quae sumus, et sume ad hanc rem tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut ignorata aut reicta. Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iucundius, si aut ad Fabium aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem

aut ad Fannium aut ad Venonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virum, tamen quid tam exile quam isti omnes? Fannii autem aetate conjunctus Antipater paullo inflavit vehementius habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic Gellii, Clodius, Asellio, nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam. 7. Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis, in orationibus autem multis et ineptis adeo summam impudentiam. Sisenna, eius amicus, omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro umquam est habitus et in historia puerile quiddam consecutatur, ut unum Clitarchum neque praeterea quemquam de Graecis legisse videatur, eum tamen velle dumtaxat imitari: quem si adsequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus hoc, a te exspectatur, nisi quid Quinto videtur secus.

III. 8. Q. Mihi vero nihil, et saepe de isto collocuti sumus. Sed est quaedam inter nos parva dissensio. ATT. Quae tandem? Q. A quibus temporibus scribendi capiatur exordium. Ego enim ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem, ipse autem aequalem aetatis suae memoriam depositit, ut ea complectatur, quibus ipse interfuit. ATT. Ego vero huic potius adsentior. Sunt enim maximae res in hac memoria atque aetate nostra: tum autem hominis amicissimi, Cn. Pompeii, laudes illustrabit, incurret etiam in illum memorabilem annum suum: quae ab isto malo praedicari quam, ut aiunt, de Remo et Romulo. M. Intelligo equidem a me istum laborem iam diu postulari, Attice. Quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus et liberum. Neque enim occupata opera neque impedito animo res tanta suscipi potest. Utrumque opus est et cura vacare et negotio. 9. ATT. Quid? ad caetera, quae scripsisti plura quam quisquam e nostris, quod

tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? M. Subsiciva quaedam tempora incurrint, quae ego perire non patior, ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur quae scribimus. Historia vero nec institui potest nisi praeparato otio nec exiguo tempore absolvi, et ego animi pendere soleo, quum semel quid orsus sum, si traducor alio, neque tam facile interrupta contexo quam absolvo instituta. 10. ATT. Legationem aliquam nimirum ista oratio postulat aut eius modi quampiam cessionem liberaliter atque otiosam. M. Ego vero aetatis potius vacationi confidebam, quum praesertim non recusarem quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem senectutisque non inertis grato atque honesto fungerer munere. Sic enim mihi liceret et isti rei, quam desideras, et multis uberioribus atque maioribus operae quantum vellem dare.

IV. 11. ATT. Atqui vereor ne istam causam nemo noscat tibique semper dicendum sit, et eo magis, quod te ipse mutasti et aliud dicendi instituisti genus, ut, quem ad modum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu reciderat ipsasque tardiores fecerat tibias, sic tu a contentiobus, quibus summis uti solebas, cotidie relaxes aliquid, ut iam oratio tua non multum a philosophorum lenitate absit: quod sustinere quum vel summa senectus posse videatur, nullam tibi a causis vacationem video dari. 12. Q. At mehercule ego arbitrabar posse id populo nostro probari, si te ad ius respondendum dedisses. Quam ob rem, quum placebit, experiendum tibi censeo. M. Id si quidem, Quinte nullum esset in experiendo periculum. Sed vereor ne, dum minuere velim laborem, augeam atque ad illam causarum operam, ad quam ego numquam nisi paratus et meditatus accedo, adiungatur haec iuris interpretatio, quae non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam maiorem umquam causam sum ausus accedere. 13. ATT. Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subsicivis, ut ais, temporibus et conscribis de iure civili subtilius quam caeteri? Nam a primo tempore aetatis iuri studere te memini, quum ipse etiam ad

Scaevolam ventitare, neque umquam mihi visus es ita te ad dicendum deditis, ut ius civile contemneres.

M. In longum sermonem me vocas, Attice: quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, suscipiam et, quoniam vacui sumus, dicam. Q. Ego vero libenter audierim. Quid enim agam potius aut in quo melius hunc consumam diem? 14. M. Quin igitur ad illa spatia nostra sedesque pergimus? ubi, quum satis erit ambulatum, requiescemos, nec profecto nobis delectatio deerit aliud ex alio quaerentibus. Att. Nos vero et hac quidem adire si placet, per ripam et umbram. Sed iam ordire explicare, quaeso, de iure civili quid sentias. M. Egone? summos fuisse in civitate nostra viros, qui id interpretari populo et responsitare soliti sint, sed eos magna professos in parvis esse versatos. Quid enim est tantum quantum ius civitatis? quid autem tam exiguum quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quamquam est populo necessarium. Nec vero eos, qui ei muneri praefuerunt, universi iuris fuisse expertes existimo, sed hoc civile quod vocant eatenus exercuerunt, quoad populo praestare voluerunt. Id autem in cognitione tenue est, in usu necessarium. Quam ob rem quo me vocas aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum iure? an ut stipulationum et iudiciorum formulas componam? Quae et scripta a multis sunt diligenter et sunt humiliora quam illa, quae a vobis exspectari puto. V. 15. Att. Atqui, si quaeres, ego quid exspectem, quoniam scriptum est a te de optimo rei publicae statu, consequens esse videtur ut scribas tu idem de legibus. Sic enim fecisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. M. Visne igitur, ut ille Crete cum Clinia et cum Lacedaemonio Megillo aestivo, quem ad modum describit, die in cupressetis Gnosiorum et spatiis silvestribus, crebro insistens, interdum adquiescens, de institutis rerum publicarum ac de optimis legibus disputavit, sic nos inter has procerissimas populos in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes quaeramus iisdem de rebus aliquid uberius quam forensis usus desiderat? 16. Att. Ego vero ista audire

cupio. M. Quid ait Quintus? Q. Nulla de re magis. M. Et recte quidem. Nam sic habetote, si ullo in genere disputandi, in hoc ista patefieri, quid sit homini a natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis fons legum et iuris inveniri potest. 17. Att. Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. M. Non enim id quaerimus hoc sermone, Pomponi, quem ad modum caveamus in iure aut quid de quaque consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est, quae quandam a multis claris viris, nunc ab uno summa auctoritate et scientia sustinetur, sed nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris ac legum, ut hoc civile quod dicimus in parvum quemdam et angustum locum concludatur. Natura enim iuris explicanda nobis est eaque ab hominis repetenda natura, considerandae leges, quibus civitates regi debeant, tum haec tractanda quae composita sunt et descripta iura et iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt quae vocantur iura civilia.

VI. 18. Q. Alte vero et, ut oportet, a capite, frater, repetis quod quaerimus, et qui aliter ius civile tradunt, non tam iustitiae quam litigandi tradunt vias. M. Non ita est, Quinte, ac potius ignoratio iuris litigiosa est quam scientia. Sed hoc posterius. Nunc iuris principia videamus.

Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege, haud scio an recte, si modo, ut iidem definiunt, lex est ratio summa insita in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio quum est in hominis mente confirmata et confessa, lex est. 19. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere, eamque rem illi Graeco putant nomine a suum cuique tribuendo appellatam, ego nostro a legendō. Nam ut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus et proprium tamen utrumque legis est. Quod si

ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque videri solet, a lege ducendum est iuris exordium: ea est enim naturae vis, ea mens ratioque prudentis, ea iuris atque iniuriae regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit et appellare eam legem, quae scripto sancit quod vult aut iubendo aut vetando, ut vulgus appellat. Constituendi vero iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus ante nata est quam scripta lex ulla aut quam omnino civitas constituta. 20. Q. Commodius vero et ad rationem instituti sermonis sapientius. M. Visne ergo ipsius iuris ortum a fonte repetamus? quo invento non erit dubium quo sint haec referenda, quae quaerimus. Q. Ego vero ita esse faciendum censeo. Att. Me quoque adscribito fratris sententiae. M. Quoniam igitur eius rei publicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis et servandus status omnesque leges accommodandae ad illud civitatis genus, serendi etiam mores nec scriptis omnia sancienda, repetam stirpem iuris a natura, qua duce nobis omnis est disputatio explicanda. Att. Rectissime, et quidem ista duce errari nullo pacto potest.

VII. 21. M. Dasne igitur hoc nobis, Pomponi — nam Quinti novi sententiam —, deorum immortalium vi, natura, ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum quo planius significem quod volo, naturam omnem regi? Nam si hoc non probas, ab eo nobis causa ordienda est potissimum. Att. Do sane, si postulas: etenim propter hunc concentum avium strepitumque fluminum non vereor condiscipulorum ne quis exaudiat. M. Atqui cavendum est. Solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci, nec vero ferent, si audierint te primum caput viri optimi prodidisse, in quo scripsit *nihil curare deum nec sui nec alieni*. 22. Att. Perge, quaequo: nam id, quod tibi concessi, quorsus perlineat exspecto. M. Non faciam longius. Huc enim pertinet, animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclera quadam condicione generatum esse a supremo deo. Solum est enim ex tot animantium gene-

ribus atque naturis particeps rationis et cogitationis, quum caetera sint omnia expertia. Quid est autem non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra ratione divinius? Quae quum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. 23. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius eaque et in homine et in deo, prima homini cum deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio est communis. Quae quum sit lex, lege quoque consociati homines cum dis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est. Quibus autem haec sunt inter eos communia, ei civitatis eiusdem habendi sunt. Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent, multo iam magis. Parent autem huic caelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti deo, ut iam universus hic mundus una civitas sit communis deorum atque hominum existimanda. Et quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, adgnationibus familiarium distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius tantoque praecarius, ut homines deorum adgnatione et gente teneantur.

VIII. 24. Nam quum de natura omni quaeritur, disputari solet — et nimur ita sunt, ut disputantur — perpetuis cursibus conversionibusque caelestibus exstisset quamdam maturitatem serendi generis humani, quod sparsum in terras atque satum divino auctum sit animorum munere, quumque alia quibus cohaerent homines e mortali genere sumpserint, quae fragilia essent et caduca, animum esse ingeneratum a deo. Ex quo vere vel adgnatio nobis cum caelestibus vel genus vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal praeter hominem quod habeat notitiam aliquam dei, ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam mansueta neque tam fera quae non, etiam si ignoret quallem habere deum deceat, tamen habendum sciat. 25. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui unde ortus sit quasi recordetur et cognoscat. Iam vero virtus eadem in homine ac deo est neque alio ullo ingenio praeterea. Est autem virtus nihil aliud nisi perfecta et ad summum perducta natura. Est igitur homini cum deo simili-

tudo. Quod quum ita sit, quae tandem esse potest propior certiorve cognatio? Itaque ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur, nec solum ea, quae frugibus atque bacis terrae fetu profunduntur, sed etiam pecudes, quod perspicuum est partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad veseendum procreat. 26. Artes vero innumerabiles repertae sunt docente natura: quam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est. IX. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed et sensus tamquam satellites attribuit ac nuncios et rerum plurimarum obscuras nec satis ..... intelligentias incohavit quasi fundamenta quaedam scientiae figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. Nam quum caeteras animantes abieciisset ad pastum, solum hominem erexit ad caelique quasi cognitionis domiciliique pristini conspectum excitavit, tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. 27. Nam et oculi nimis arguti quem ad modum animo affecti simus loquuntur et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores, cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis: neque enim omnia sunt huius disputationis ac temporis et hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generavit et ornavit deus, perspicuum est illud, ne omnia disserantur, ipsam per se naturam longius progredi: quae etiam nullo docente profecta ab iis, quorum ex prima et incohata intelligentia genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem et perficit.

X. 28. Att. Di immortales, quam tu longe iuris principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae exspectabam a te de iure civili, sed facile patiar te hunc diem vel totum in isto sermone consumere. Sunt

enim haec maiora, quae aliorum causa fortasse complectentur, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparantur M. Sunt haec quidem magna, quae nunc breviter attinguntur, sed omnium, quae in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto praestabilius quam plane intelligi nos ad iustitiam esse natos neque opinione, sed natura constitutum esse ius. Id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionemque perspexeris. 29. Nihil est enim unum uni tam simile, tam par quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret et flecteret quocumque coepisset, sui nemo ipse tam similis esset quam omnes sunt omnium. Itaque quaecumque est hominis definitio, una in omnes valet. 30. Quod argumenti satis est nullam dissimilitudinem esse in genere: quae si esset, non una omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua una praestamus beluis, per quam conjectura valeamus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certe est communis, doctrina differens, discendi quidem facultate par. Nam et sensibus eadem omnia comprehenduntur, et ea, quae movent sensus, itidem movent omnium, quaeque in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, incohatae intelligentiae similiter in omnibus imprimuntur, interpresque est mentis oratio verbis discrepans, sententiis congruens. 31. Nec est quisquam gentis ullius qui ducem naturam nactus ad virtutem pervenire non possit.

XI. Nec solum in rectis, sed etiam in pravitatibus insignis est humani generis similitudo. Nam et voluptate capiuntur omnes, quae etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturali bono: levitate est enim et suavitate delectans, sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid asciscitur, similique inscitia mors fugitur quasi dissolutione naturae, vita expetitur, quia nos, in quo nati sumus, continent, dolor in maximis malis dicitur quum sua asperitate tum quod naturae interitus videtur sequi. 32. Propterque honestatis et gloriae similitudinem beati qui honorati sunt videntur, miseri autem qui inglorii. Molestiae, laetitiae,

cupiditates, timores similiter omnium mentes pervagantur, nec si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco qui canem et felem ut deos colunt non eadem superstitione qua caeterae gentes conflictantur. Quae autem natio non comitatem, non benigitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudelis, quae ingratos non aspernatur, non odit? quibus ex rebus quum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extreum est, quod recte vivendi ratio meliores efficit. Quae si approbatis, pergam ad reliquias quid requiritis, id explicemus prius. ATT. Nos vero nihil, ut pro utroque respondeam.

XII. 33. M. Sequitur igitur ad participandum aliud ab alio communicandumque inter omnes ius nos natura esse factos. Atque hoc in omni hac disputatione sic intelligi volo, ius quod dicam natura esse, tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati exorianturque et confirmantur virtus contraria. Quod si, quo modo est natura, sic iudicio homines 'humani', ut ait poëta, 'nihil a se alienum putarent', coleretur ius aequum ab omnibus. Quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo et vetando: si lex, ius quoque. Et omnibus ratio: ius igitur datum est omnibus, recteque Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem a iure seiunxisset: 34. id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. Unde est illa Pythagorea vox: [de amicitia locus.] Ex quo perspicitur, quum hanc benevolentiam tam late longeque diffusam vir sapiens in aliquem parit virtute praeditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium, ut nihil sese plus quam alterum diligat. Quid enim est quod differat, quum cuncta sint paria? Quod si interesse quipiam tantulum modo potuerit, amicitiae iam nomen occiderit, cuius est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid alter maluerit, nulla sit. Quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni disputationique nostrae, quo facilius ius in natura esse positum

intelligi possit. De quo quum perpaucum dixero, tum ad ius civile veniam, ex quo haec omnis est nata oratio.

XIII. 35. Q. Tu vero iam perpaucum scilicet. Ex iis enim, quae dixisti, Attico ..... videtur, mihi quidem certe ex natura ortum esse ius. ATT. An mihi aliter videri possit, quum haec iam perfecta sint, primum quasi muneribus deorum nos esse instructos et ornatos, secundo autem loco unam esse hominum inter ipsos vivendi parem et communem rationem, deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia et benevolentia, tum etiam societate iuris contineri? Quae quum vera esse recte, ut arbitror, concesserimus, qui iam licet nobis a natura leges et iura seiungere? 36. M. Recte dicis, et res se sic habet. Verum philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae, quae fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dieuntur. Nec enim satis fieri censem huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum natura esse ius disputationis. ATT. Et scilicet tua libertas disserendi amissa est, aut tu is es, qui in disputatione non tuum iudicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas. 37. M. Non semper, Tite. Sed iter huius sermonis quod sit vides. Ad res publicas firmandas et ad stabiliendas civitates sociandosque populos omnis nostra pergit oratio. Quocirca vereor committere ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur, nec tamen ut omnibus probentur — nam id fieri non potest —, sed ut iis, qui omnia recta atque honesta per se expetenda duxerunt et aut nihil omnino in bonis numerandum nisi quod per se ipsum laudabile esset aut certe nullum habendum magnum bonum nisi quod vere laudari sua sponte posset, — 38. his omnibus, sive in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt, sive Aristotelem et Theophrastum cum illis congruentes re, genere docendi paullum differentes secuti sunt, sive, ut Zenoni visum est, rebus non commutatis immutaverunt vocabula, sive etiam Aristonis difficultem atque arduam, sed iam tamen fractam et convictam sectam secuti sunt, ut virtutibus exceptis atque vitiis caetera in summa aequalitate ponerent,

his omnibus haec, quae dixi, probantur. 39. Sibi autem indulgentes et corpori deservientes atque omnia quae sequantur in vita quaque fugiant voluptatibus et doloribus ponderantes, etiam si vera dicunt — nihil enim opus est hoc loco litibus —, in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate rei publicae, cuius partem nec norunt ullam neque umquam nosse voluerunt, paullisper facessant rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus ut sileat. Nam si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et composita videntur, nimias edet ruinas. Quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo .....

XIV. 40. Nam et in iis sine illius suffimentis expiatus sumus. At vero scelerum in homines atque impiatum nulla expiatio est. Itaque poenas luunt non tam indicii, quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, ubi sunt tamen, persaepe falsa sunt, sed eos agitant insectanturque furiae, non 'ardentibus taedis' sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu. Quod si homines ab iniuria poena, non natura arcere deberet, quae-nam sollicitudo vexaret impios sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit quin aut abnueret a se commissum esse facinus aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret defensionemque facinoris a naturae iure aliquo quaereret. Quae si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis?

Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab iniuriosa facinorosaque vita, nemo est iniustus aut incauti potius habendi sunt improbi. 41. Tum autem qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem et indicem? quid in deserto quo loco nactus quem multo auro spoliare possit imbecillum atque solum? Noster quidem hic natura iustus vir ac bonus etiam colloquetur, iuvabit, in viam ducet: is vero, qui nihil alterius causa faciet et metietur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit

actus. Quod si negabit se illi vitam erupturum et aurum ablaturum, numquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed quod metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, sed etiam agrestes erubescant!

XV. 42. Iam vero illud stultissimum, existimare omnia iusta esse, quae scita sint in populorum institutis aut legibus. Etiamne, si quae leges sint tyrannorum? si triginta illi Athenis leges imponere voluissent aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idecirco eae leges iustae haberentur? Nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut dictator quem vellet civium indicta causa impune posset occidere. Est enim unum ius, quo devincta est hominum societas et quod lex constituit una. Quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est iniustus, sive est illa scripta uspiam sive nusquam. Quod si iustitia est obtemperatio scriptis legibus institutis que populorum et si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt, negliget leges easque perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit ut nulla sit omnino iustitia, si neque natura est eaque, quae propter utilitatem constituitur, utilitate alia convellitur. 43. Atque, si natura confirmatura ius non erit, virtutes omnes tollentur. Ubi enim liberalitas, ubi patriae caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero aut referendae gratiae voluntas poterit existere? Nam haec nascuntur ex eo, quia natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundatum iuris est. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos caerimoniae religionesque tolluntur, quas non metu, sed ea coniunctione, quae est homini cum deo, conservandas puto. XVI. Quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicium iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. 44. Quod si tanta potestas est stultorum sententis atque iussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt ut, quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis et salutaribus? aut, quum ius ex iniuria lex

facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dividere possumus. Nec solum ius et iniuria natura diuidicatur, sed omnino omnia honesta et turpia. Nam et communis intelligentia nobis notas res efficit easque in animis nostris incohavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. 45. Ea autem in opinione existimare, non in natura posita dementis est. Nam nec arboris nec equi virtus, quae dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est, sed in natura. Quod si ita est, honesta quoque et turpia natura diuidicanda sunt. Nam si opinione universa virtus, eadem eius etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem et, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? Est enim virtus perfecta ratio, quod certe in natura est. Igitur omnis honestas eodem modo. XVII. Nam ut vera et falsa, ut consequentia et contraria sua sponte, non aliena iudicantur, sic constans et perpetua ratio vitae, quae virtus est, itemque inconstantia, quod est vitium, sua natura [iudicabitur]. *An arboris aut equi ingenium natura* probabimus, ingenia iuvenum non item? 46. An ingenia natura, virtutes et vicia, quae existunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur? An ea non aliter, honesta et turpia non ad naturam referri necesse erit? Quod laudabile est, bonum in se habeat quod laudetur necesse est: ipsum enim bonum non est opinionibus, sed natura. Nam ni ita esset, beati quoque opinione essent, quo quid dici potest stultius? Qua re quum et bonum et malum natura iudicetur et ea sint principia naturae, certe honesta quoque et turpia simili ratione diuidicanda et ad naturam referenda sunt. 47. Sed perturbat nos opinionum varietas hominumque dissensio, et quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus, illa, quae aliis sic, aliis secus nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse dicimus. Quod est longe aliter. Nam sensus nostros non parens, non nutritrix, non magister, non poëta, non scaena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. Animis omnes tenduntur insidiae vel ab iis, quos modo enumeravi, qui tenetos et rudes quum acceperunt, inficiunt et flectunt ut volunt,

vel ab ea, quae penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium, cuius blanditiis corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernunt satis.

XVIII. 48. Sequitur ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio, id quod ante oculos ex iis est, quae dicta sunt, et ius et omne honestum sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam aequitatem et ius ipsum amant nec est viri boni errare et diligere quod per se non sit diligendum. Per se igitur ius est expetendum et colendum. Quod si ius, etiam iustitia: sic deinde reliquae quoque virtutes per se colendae sunt. Quid? liberalitas gratuita est an mercenaria? Si sine praemio benigna est, gratuita: si cum mercede, conducta: nec est dubium quin is, qui liberalis benignusve dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item iustitia nihil expetit praemii, nihil precii. Per se igitur expetitur. Eademque omnium virtutum causa atque sententia est. 49. Atque etiam si emolumentis, non suapte [vi] virtus expetitur, una erit virtus, quae malitia rectissime dicetur. Ut enim quisque maxime ad suum commodum refert quaecumque agit, ita minime est vir bonus, ut, qui virtutem praemio metiuntur, nullam virtutem nisi malitiam putent. Ubi enim beneficis, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsi cernunt grati, cui referunt gratiam? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amaturo toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus et abiiciendus est desperatis emolumentis et fructibus, quo quid potest dici immanus? Quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum et aequalitas et iustitia per se est expetenda. 50. Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est: id enim iniustissimum ipsum est, iustitiae mercedem quaerere. XIX. Quid vero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore pudicitiaque dicemus? Infamiae metu non esse petulantes an legum et iudiciorum? Innocentes ergo et verecundi sunt ut bene audiant et ut rumorem bonum colligant erubescunt. Pudet etiam loqui de pudicitia. Ac me istorum philosophorum pudet, qui ullum iudicium vitari

nisi vitio ipso vitato putant. 51. Quid enim? possumus eos, qui a stupro arcentur infamiae metu, pudicos dicere, quum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur? Nam quid aut laudari rite aut vituperari potest, si ab eius natura recesseris, quod aut laudandum aut vituperandum putes? An corporis pravitates, si erunt per insignes, habebunt aliquid offensionis, animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis vitiis facillime perspici potest. Quid enim foedius avaritia, quid immanius libidine, quid contemptus timiditate, quid abiectus tarditate et stultitia dici potest? Quid ergo? eos, qui singulis vitiis excellunt aut etiam pluribus, propter damna aut detrimenta aut cruciatus aliquos miseros esse dicimus an propter vim turpitudinem que vitorum? Quod item ad contrariam laudem in virtute dici potest. 52. Nam si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid quam virtutem necesse est. Pecuniamne igitur an honores an formam an valetudinem? quae et quum adsunt per parva sunt et quam diu ad futura sint certum sciri nullo modo potest, an — id quod turpissimum dictu est — voluptatem? At in ea quidem spernenda et repudianda virtus vel maxime cernitur.

Videtisne quanta series rerum sententiarumque sit atque ut ex alio alia nectantur? Quin lababar longius, nisi me retinuisse. XX. Q. Quo tandem? Libenter enim, frater, cum ista oratione tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum, quo referuntur et cuius apiscendi causa sunt facienda omnia, controversam rem et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tamen iudicandam. 53. ATT. Qui istuc fieri potest L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem? ATT. Quoniam Athenis audire ex Phaedro meo memini Gelium familiarem tuum, quum pro consule ex praetura in Graeciam venisset, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum convocasse ipsisque magno opere auctorem fuisse, ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum. Quod si essent eo animo, ut nollent aetatem in litibus conterere, posse rem convenire, et simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid convenire. M. Ioculare istuc quidem, Pomponi, et a multis saepe de-

risum: sed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam et Zenonem datum. ATT. Quo tandem istuc modo? M. Quia de re una solum dissident, de caeteris mirifice congruunt. ATT. Ain tandem? unane est solum dissensio? 54. M. Quae quidem ad rem pertineat, una. Quippe quum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo iuvaremur in vita, bonum esse decreverint, hic nihil nisi quod honestum esset putarit bonum. ATT. Parvam vero controversiam dicis ac non eam, quae dirimat omnia! M. Probe quidem sentires, si re ac non verbis dissiderent.

XXI. ATT. Ergo adsentiris Antiocho familiari meo — magistro enim non audeo dicere —, quocum vixi et qui me ex nostris paene convellit hortulis deduxitque in Academiam per pauculis passibus. M. Vir iste fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus mihique, ut scis, familiaris: cui tamen ego adsentiar in omnibus necone mox videro: hoc dico, controversiam totam istam posse sedari. 55. ATT. Qui istuc tandem vides? M. Quia, si, ut Chius Aristo dixit solum bonum esse quod honestum esset malumque quod turpe, caeteras res omnes plane parres ac ne minimum quidem utrum adessent an abessent interesse, valde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet essetque inter eos de re maxima et de omni vivendi ratione dissensio. Nunc vero, quum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerant, hic solum bonum dicat, itemque dedecus illi summum malum, hic solum, divitias, valetudinem, pulcritudinem commodas res appetet, non bonas, paupertatem, debilitatem, dolorem incommodas, non malas, sentit idem quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia controversia est nata de finibus, in qua quoniam usucaptionem XII tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus, nec Mamilia lege singuli, sed ex his tres arbitri fines regemus. 56. Q. Quamnam igitur sententiam dicimus? M. Requiri placere terminos quos Socrates pepigerit iisque parere. Q. Praeclare, frater, iam nunc a te verba usurpantur civilis iuris et legum,

quo de genere exspecto disputationem tuam. Nam ista quidem magna diiudicatio est, ut ex te ipso saepe cognovi. Sed certe ita res se habet, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfici, aut naturam sequi et eius quasi lege vivere, id est, nihil quantum in ipso sit praetermittere quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, quod inter haec velit virtute tamquam lege vivere. Quapropter hoc diiudicari nescio an numquam, sed hoc sermone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus.

ATT. At ego huc declinabam nec invitus. XXII. 57. Q. Licebit alias: nunc id agamus, quod coepimus, quum prae-  
sertim ad id nihil pertineat haec de summo malo bonoque  
dissensio. M. Prudentissime, Quinte, dicis. Nam quae a  
me adhuc dicta sunt,..... Q. Nec Lycurgi leges neque  
Solonis neque Charondae neque Zaleuci nec nostras XII ta-  
bulas nec plebiscita desidero, sed te existimo quum populis  
tum etiam singulis hodierno sermone leges vivendi et disci-  
plinam daturum esse. 58. M. Huius vero disputationis,  
Quinte, [est] proprium id, quod exspectas, atque utinam esset  
etiam facultatis meae! Sed profecto ita se res habet, ut,  
quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet com-  
mendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur.  
Ita fit ut mater omnium bonarum rerum sit sapientia, a cuius  
amore Graeco verbo philosophia nomen invenit, qua nihil  
a dis immortalibus uberior, nihil florentius, nihil praestabi-  
lius hominum vitae datum est. Haec enim una nos quum  
caeteras res omnes tum quod est difficillimum docuit, ut  
nosmet ipsos nosceremus: cuius praecepsi tanta vis et tanta  
sententia est, ut ea non homini cuiquam, sed Delphico deo  
tribueretur. 59. Nam qui se ipse norit, primum aliquid se  
habere sentiet divinum ingeniumque in se suum sicut simu-  
lacrum aliquid dedicatum putabit tantoque munere deorum  
semper dignum aliquid et faciet et sentiet, et, quum se ipse  
perspexerit totumque temptarit, intelliget quem ad modum  
a natura subornatus in vitam venerit quantaque instrumenta  
habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam, quoniam  
principio rerum omnium quasi adumbratas intelligentias

animo ac mente conceperit, quibus illustratis sapientia duce  
bonum virum et ob eam ipsam causam cernat se bea-  
tum fore.

XXIII. 60. Nam quum animus cognitis perceptisque  
virtutibus a corporis obsequio indulgentiaque discesserit  
voluptatemque sicut labem aliquam dedecoris oppresserit  
omnemque mortis dolorisque timorem effugerit societatem-  
que caritatis coierit cum suis omnesque natura coniunctos  
suos duxerit cultumque deorum et puram religionem suscep-  
perit et exacerberit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem ad  
bona eligenda et reiicienda contraria, quae virtus ex pro-  
videndo est appellata prudentia, quid eo dici aut cogitari  
poterit beatius? 61. Ideinque quum caelum, terras, maria  
rerumque omnium naturam perspexerit eaque unde gene-  
rata, quo recurrent, quando, quo modo obitura, quid in  
his mortale et caducum, quid divinum aeternumque sit vide-  
rit ipsumque ea moderantem et regentem paene prehenderit  
seseque non unius circumdatum moenibus loci, sed civem  
totius mundi quasi unius urbis agnoverit, in hac ille magni-  
ficentia rerum atque in hoc conspectu et cognitione naturae,  
di immortales, quam se ipse noscet! 62. quod Apollo  
praecepit Pythius, quam contemnet, quam despiciet, quam  
pro nihilo putabit ea, quae vulgo ducuntur amplissima!  
Atque haec omnia quasi saepimento aliquo vallabit disse-  
rendi ratione, veri et falsi iudicandi scientia et arte quadam  
intelligendi quid quamque rem sequatur et quid sit cuique  
contrarium. Quumque se ad civilem societatem natum sen-  
serit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum puta-  
bit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat po-  
pulos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua  
tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua pracepta  
salutis et laudis apte ad persuadendum edat suis civibus,  
qua hortari ad decus, revocare a flagitio, consolari possit  
adflictos factaque et consulta fortium et sapientium cum  
improborum ignominia sempiternis monumentis prodere.  
Quae quum tot res tantaeque sint, quae inesse in homine  
perspiciantur ab iis, qui se ipsi velint nosse, earum parens  
est educatrixque sapientia. ATT. Laudata quidem a te gra-

viter et vere est. Sed quorsus hoc pertinet? 63. M. Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi iam sumus, quae tanta esse volumus: non enim erunt, nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima. Deinde facio et libenter et, ut spero, recte, quod eam, cuius studio teneor quaeque meum, quicumque sum, effecit, non possum silentio praeterire. ATT. Recte vero facis et merito et ipse, fuitque id, ut dicis, in hoc sermone faciendum.

M. TULLII CICERONIS  
D E L E G I B U S  
LIBER SECUNDUS.

A R G U M E N T U M.

Quum ius omne vel divinum sit vel humanum, divini autem prima necessario debeat esse cura, ab hoc merito initium fecit Cicero totamque religionem hoc libro constituit. Repetit autem disputationem ab aeterna illa et summa lege, quae est ratio divina et humana, apta ad vetandum et iubendum, cap. 4. Deinde ipsam proponit legem, e legibus Numae et moribus Romanis ductam cap. 8. 9. praemisso prooemio de legis laudibus iisque propriis generis sui cap. 7. Reliqua autem pars libri versatur in ista lege explicanda et quasi suadenda, ut quibus de causis quaeque legis pars probetur intelligatur. In quo non solum Platонem aliasque Graecos philosophos imitatur, qui de legibus scripserunt (v. lib. III. cap. 5. 6.), sed etiam consuetudinem magistratum Romanorum, qui in legibus feren dis rogandisque, primum de universa legum laude et necessitate dicere, deinde a praeccone scriba subiiciente recitari legem, tum ubi docendo, explicando rationibusque adferendis eam suaserunt, populum discedere et datis tabellis in sua quemque tribu suffragium ferre iubere consueverunt, lib. III. cap. 4 extr.

I. 1. ATTICUS. Sed visne, quoniam et satis iam ambulatum est et tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus et in insula, quae est in Fibreno — nam opinor

id illi alteri flumini nomen esse —, sermoni reliquo demus operam sedentes? M. Sane quidem: nam illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse cogito sive aliquid scribo aut lego. 2. ATT. Evidem, qui nunc potissimum hoc venerim, satiari non queo, magnificasque villas et pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno: ductus vero aquarum, quos isti nilos et euripos vocant, quis non, quum haec videat, irriserit? Itaque, ut tu paullo ante delege et de iure disserens ad naturam referebas omnia, sic in his ipsis rebus, quae ad quietem animi delectationemque quaeruntur, natura dominatur. Qua re antea mirabar — nihil enim his in locis nisi saxa et montes cogitabam, itaque ut facerem et orationibus inducebar tuis et versibus —, sed mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco delectari: nunc contra miror te, quum Roma absis, usquam potius esse. 3. M. Ego vero, quum licet plures dies abesse, praesertim hoc tempore anni, et amoenitatem et salubritatem hanc sequor, raro autem licet. Sed nimur me alia quoque causa delectat, quae te non attingit ita. ATT. Quae tandem ista causa est? M. Quia, si verum dicimus, haec est mea et huius fratris mei germana patria: hinc enim orti stirpe antiquissima sumus, hic sacra, hic genus, hic maiorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, latius aedificatam patris nostri studio, qui, quum esset infirma valetudine, hic fere aetatem egit in litteris. Sed hoc ipso in loco, quum avus viveret et antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Qua re inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: si quidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiisse. II. 4. ATT. Ego vero tibi istam iustum causam puto, cur huc libentius venias atque hunc locum diligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. Movemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramus, adsunt vestigia. Me quidem ipsae illae nostrae Athenae non iam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant quam re

cordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, qui disputare sit solitus, studioseque eorum etiam sepulera contemplor. Qua re istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. M. Gaudeo igitur me incunabula paene mea tibi ostendisse. 5. ATT. Evidem me cognosse admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paullo ante dixisti, hunc locum — idem ego te accipio dicere Arpinum — germanam patriam esse vestram? Num quid duas vos habetis patrias, an est una illa patria communis? Nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. M. Ego mehercule et illi et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis, ut ille Cato, quem esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Ita, quem ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Ut vestri Attici, prius quam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, et sui erant iidem et Attici, sic nos et eam patriam dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est caritate eam praestare, qua rei publicae nomen universae civitatis est: pro qua mori et cui nos totos dedere et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae exceptit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo, dum illa sit maior, haec in ea contineatur.

III. 6. ATT. Recte igitur Magnus ille noster me audiente posuit in iudicio, quum pro Ampio tecum simul diceret, rem publicam nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conservatores exstitissent, ut iam videar adduci hanc quoque, quae te procrearit, esse patriam tuam.

Q. Sed ventum in insulam est. Hac vero nihil est amoenum. Etenim hoc quasi rostro finditur Fibrenus et divisus aequaliter in duas partes latera haec adluit rapideque diapsus cito in unum confluit et tantum complectitur quod satis sit modicae palaestrae loci. Quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim praecipitat in Lirem et, quasi in

familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius Liremque multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa accesserim, ut vix pede temptare id possim, quod in Phaedro Platonis facit Socrates. 7. M. Est vero ita, sed tamen huic amoenitati, quem ex Quinto saepe audio, Thyamis Epirote tuus ille nihil, opinor, concesserit. Q. Est ita, ut dicis. Cave enim putes Attici nostri Amalthio platanisque illis quidquam esse praecarius. Sed, si videtur, considamus hic in umbra atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, revertamur. M. Praeclare exigis, Quinte, — at ego effugisse arbitrabar — et tibi horum nihil deberi potest. Q. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem.

M. *A Iove Musarum primordia . . . .*

sicut in Aratio carmine orsi sumus. Q. Quorsum istuc? M. Quia nunc item ab eodem et a caeteris dis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. Q. Optime vero, frater, et fieri sic decet.

IV. 8. M. Videamus igitur rursus, prius quam adgradiamur ad leges singulas, vim naturamque legis, ne, quum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis ignoremusque vim sermonis eius, quo iura nobis definienda sint. Q. Sane quidem hercle et est ista recta docendi via. M. Hanc igitur video sapientissimorum suis sententiam, legem neque hominum ingenii excogitata nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vehtantis dei. Ex qua illa lex, quam di humano generi dedeunt, recte est laudata. Est enim ratio mensque sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea. 9. Q. Aliquotiens iam iste locus a te tactus est. Sed ante quam ad populares leges venias, vim istius caelestis legis explana, si placet, ne aestus nos consuetudinis absorbeat et ad sermonis morem usitati trahat. M. A parvis enim, Quinte, didicimus si in ius vocat ito et eius modi leges alias nominare. Sed

vero intelligi sic oportet, et hoc et alia iussa ac vetita populorum vim habere ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi, quae vis non modo senior est quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius caelum atque terras tuentes et regentis dei. 10. Neque enim esse mens divina sine ratione potest nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere, nec, quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus adsisteret a tergoque pontem interscindi iuberet, idcirco minus Coelitem illum rem gessisse tantam fortitudinis lege atque imperio putabimus, nec, si regnante L. Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiae, Tricipitini filiae, attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura et ad recte faciendum impellens et a delicto avocans, quae non tum denique incipit lex esse, quum scripta est, sed tum, quum orta est: orta autem est simul cum mente divina. Quam ob rem lex vera atque princeps apta ad iubendum et ad vetandum ratio est recta summi lovis.

V. 11. Q. Adsentior, frater, ut, quod est rectum, verum quoque sit neque cum litteris, quibus scita scribuntur, aut oriatur aut occidat. M. Ergo ut illa divina mens summa lex est, item, quum in homine est perfecta, est in mente sapientis. Quae sunt autem varie et ad tempus descriptae populis, favore magis quam re legum nomen tenent. Omnem enim legem, quae quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem vitamque hominum quietam et beatam inventas esse leges, eosque, qui primum eius modi scita sanxerint, populis ostendisse ea se scripturos atque laturos, quibus illi ascitis susceptisque honeste beateque viverent, quaeque ita composita sanctaque essent, eas leges videlicet nominarent. Ex quo intelligi par est eos, qui perniciosa et iniusta populis iussa descripserint, quum contra fecerint quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse quam leges, ut perspicuum esse possit in ipso nomine legis interpretando in esse vim et sententiam iusti et veri legendi. 12. Quaero

igitur a te, Quinte, sicut illi solent: Quo si civitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens civitas estne ob id ipsum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non potest. M. Necesse est igitur legem haberi in rebus optimis. 13. Q. Prorsus adsentior. M. Quid? quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliquas concessu suo sanxerint? Nam neque medicorum praecepla dici vere possunt, si quae insciū imperitique pro salutaribus mortifera conscriperunt, neque in populo lex, cuiuscumodi fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex iustorum iniustumque distinctio ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae suppicio improbos adficiunt, defendunt ac tueruntur bonos.

VI. Q. Praedclare intendo, nec vero iam aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. 14. M. Igitur tu Titias et Appuleias leges nullas putas? Q. Ego vero ne Livias quidem. M. Et recte, quae praesertim uno versiculo senatus puncto temporis sublatae sint: lex autem illa, cuius vim explicavi, neque tolli neque abrogari potest. Q. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quae numquam abrogentur. M. Certe, si modo acceptae a duobus vobis erunt. Sed, ut vir doctissimus fecit Plato atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de re publica conscripsit idemque separatim de legibus eius, id mihi credo esse faciendum, ut, prius quam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam. Quod idem etiam Zaleucum et Charondam fecisse video, quum quidem illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges civitatis suis scripserunt. Quos imitatus Plato videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi aminis cogere. 15. Q. Quid? quod Zaleucum istum negat ullum fuisse Timaeus? M. At Theophrastus auctor haud deterior mea quidem sententia — meliorem multi nominant — commemorant vero ipsius cives, nostri clientes,

Locri. Sed sive fuit sive non fuit, nihil ad rem: loquimur quod traditum est.

VII. Sit igitur hoc iam a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos eaque, quae gerantur, eorum geri in dicione ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate collat religiones intueri piorumque et impiorum habere rationem. 16. His enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili aut a vera sententia. Quid est enim verius quam neminem esse oportere tam stulte adrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in caelo mundoque non putet? aut ut ea, quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? Quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio quemque ea, quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogunt, hunc hominem omnino numerari qui decet? Quumque omnia, quae rationem habent, praestent iis, quae sint rationis expertia, nefasque sit dicere ullam rem praestare naturae omnium rerum, rationem inesse in ea confitendum est. Utiles esse autem has opiniones quis neget, quum intelligat quam multa firmen- tur iure iurando, quantae saluti sint foederum religiones, quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit, quamque sancta sit societas civium inter ipsos dis immortilibus interpositis tum iudicibus, tum testibus? Habes legis prooemium: sic enim hoc appellat Plato. 17. Q. Habeo vero, frater, et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris atque ille. Nihil enim tam dissimile quam vel ea, quae ante dixisti, vel hoc ipsum legis exordium. Unum illud mihi videris imitari, orationis genus. M. Velle fortasse. Quis enim id potest aut umquam poterit imitari? Nam sententias interpretari per facile est: quod quidem ego facarem, nisi plane esse vellem meus. Quid enim negotii est eadem prope verbis iisdem conversa dicere? Q. Prorsus adsentior. Verum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. Sed iam exprome, si placet, istas leges de religione. 18. M. Expromam equidem, ut potero, et

quoniam et locus et sermo familiaris est, legum leges *voce* proponam. Q. Quidnam id est? M. Sunt certa legum verba, Quinte, neque ita prisca, ut in veteribus XII sacratisque legibus, et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paullo antiquiora quam hic sermo est. Eum morem igitur cum brevitate, si potero, consequar. Leges autem a me edentur non perfectae — nam esset infinitum —, sed ipsae summae rerum atque sententiae. 19. Q. Ita vero necesse est. Quare audiamus.

VIII. M. AD DIVOS ADEUNTO CASTE. PIETATEM ADHIBENTO, OPES AMOVENTO. QUI SECUS FAXIT, DEUS IPSE VINDEX ERIT.

SEPARATIM NEMO HABESSIT DEOS NEVE NOVOS NEVE AD- VENAS NISI PUBLICE ADSCITOS, PRIVATIM COLUNTO, QUOS RITE A PATRIBUS [cultos acceperint].

[In urbibus] DELUBRA HABENTO. LUCOS IN AGRIS HABENTO ET LARUM SEDES.

RITUS FAMILIAE PATRUMQUE SERVANTO.

DIVOS ET EOS, QUI CAELESTES SEMPER HABITI, COLUNTO ET OLLOS, QUOS ENDO CAELO MERITA LOCAVERINT, HERCULEM, LIBERUM, AESCULAPIUM, CASTOREM, POLLUCEM, QUIRINUM. AST OLLA, PROPTER QUAE DATUR HOMINI ADSCENSUS IN CAELUM, MEN- TEM, VIRTUTEM, PIETATEM, FIDEM, EARUMQUE LAUDUM DELUBRA SUNTO, NEVE ULLA VITIORUM.

SACRA SOLEMNIA OBEUNTO.

FERIIS IURGIA AMOVENTO, EASQUE IN FAMILIS OPERIBUS PA- TRATIS HABENTO. ITAQUE UT ITA CADAT IN ANNUIS AMFRACTIBUS, DESCRIPTUM ESTO. CERTASQUE FRUGES CERTASQUE BACAS SA- CERDOTES PUBLICE LIBANTO: HOC CERTIS SACRIFICIIS AC DIEBUS. 20. ITEMQUE ALIOS AD DIES UBERTATEM LACTIS FETURAEQUE SERVANTO. IDQUE NE COMMITTI POSSIT, AD EAM REM RATIONE CURSUS ANNUOS SACERDOTES FINIUNTO. QUAEQUE QUOIQUE DIVO DECORAE GRATAEQUE SINT HOSTIAE PROVIDENTO.

DIVISQUE OLIS SACERDOTES, OMNIBUS PONTIFICES, SINGULIS FLAMINES SUNTO. VIRGINESQUE VESTALES IN URBE CUSTODIUNTO IGNEM FOCI PUBLICI SEMPERNUM.

QUOQUE HAEC PRIVATIM ET PUBLICE MODO RITUQUE FIANT DISCUNTO IGNARI A PUBLICIS SACERDOTIBUS. EORUM AUTEM GE- NERA SUNTO TRIA: UNUM, QUOD PRAESIT CAERIMONIIS ET SACRIS.

CIC. IV. 2.

ALTERUM, QUOD INTERPRETETUR FATIDICORUM ET VATUM EFFATA INCOGNITA, QUORUM SENATUS POPULUSQUE ADSCIVERIT. INTERPRETES AUTEM IOVIS OPTIMI MAXIMI, PUBLICI AUGURES, SIGNIS ET AUSPICIIS OSTENTA VIDENTO, DISCIPLINAM TENENTO. 21. SACERDOTESQUE VINETA VIRGETAQUE ET SALUTEM POPULI AUGURANTO. QUIQUE AGENT REM DUELLI QUIQUE POPULAREM AUSPICIUM PRAEMONENTO OLLIQUE OBTEMPERANTO. DIVORUMQUE IRAS PROVIDENTO IISQUE APPARENTO CAELIQUE FULGURA REGIONIBUS RATIS TEMPERANTO URBEMQUE ET AGROS [ET] TEMPLA LIBERATA ET EFFATA HABENTO. QUAEQUE AUGUR INIUSTA NEFASTA, VITIOSA DIRA DEFIXERIT, INRITA INFECTAQUE SUNTO, QUIQUE NON PARUERIT, CAPITAL ESTO. IX. FOEDERUM, PACIS BELL, INDUCIARUM ORATORES FETIALES IUDICES SUNTO. BELLA DISCEPTANTO.

PRODIGIA, PORTENTA AD ETRUSCOS HARUSPICES, SI SENATUS USSET, DEFERUNTO: ETRURIAQUE PRINCIPES DISCIPLINAM DOCETO. QUIBUS DIVIS CREVERINT, PROCURANTO, IIDEMQUE FULGURA ATQUE OBSTITA PIANTO.

NOCTURNA MULIERUM SACRIFICIA NE SUNTO PRAETER OLLA, QUAE PRO POPULO RITE FIENT: NEVE QUOI INITIANTO, NISI, UT ADSOLET CERERI, GRAECO SACRO.

SACRUM COMMISSUM, QUOD NEQUE EXPIARI POTERIT, IMPIE COMMISSUM ESTO: QUOD EXPIARI POTERIT, PUBLICI SACERDOTES EXPIANTO.

LUDIS PUBLICIS, QUOD SINE CURRICULO ET SINE CERTATIONE CORPORUM FIAT, POPULAREM LAETITIAM IN CANTU ET FIDIBUS ET TIBIIS MODERANTO EAMQUE CUM DIVUM HONORE IUNGUNTO.

EX PATRIIS RITIBUS OPTUMA COLUNTO.

PRAETER IDAEAE MATRIS FAMULOS EOSQUE IUSTIS DIEBUS NE QUIS STIPEM COGITO.

22. SACRUM SACROVE COMMENDATUM QUI CLEPSIT RAPSITQUE, PARRICIDA ESTO.

PERIURII POENA DIVINA EXITIUM, HUMANA DEDECUS.

INCESTUM PONTIFICES SUPREMO SUPPLICIO SANCIUNTO.

IMPIUS NE AUDETO PLACARE DONIS IRAM DEORUM.

CAUTE VOTA REDDUNTO. POENA VIOLATI IURIS ESTO. QUOCIRCA NE QUIS AGRUM CONSECRATO. AURI, ARGENTI, EBORIS SACRANDI MOTUS ESTO.

SACRA PRIVATA PERPETUA MANENTO.

DEORUM MANIUM IURA SANCTA SUNTO. SOS LETO DATOS DIVOS HABENTO: SUMPTUM IN OLLOS LUCTUMQUE MINUUNTO.

X. 23. ATT. Conclusa quidem est a te tam magna lex sane quam brevi. Sed, ut mihi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus. M. An censes, quum in illis de re publica libris persuadere videatur Africanus, omnium rerum publicarum nostram veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimae rei publicae leges dare consentaneas? ATT. Immo prorsus ita censeo. M. Ergo adeo exspectate leges, quae genus illud optimum rei publicae contineant, et, si quae forte a me hodie rogabuntur quae non sint in nostra re publica nec fuerint, tamen erunt fere in more maiorum, qui tum ut lex valebat. 24. ATT. Suade igitur, si placet, istam ipsam legem, ut ego 'UTEI TU ROGAS' possim dicere. M. Ain tandem, Attice, non es dicturus aliter? ATT. Prorsus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter, in minoribus, si voles, remittam hoc tibi. Q. Atque mea quidem [eadem] sententia est. M. At, ne longum fiat, videte. ATT. Utinam quidem! quid enim agere malumus?

M. Caste iubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intelligi, quum multum animus corpori praestet observeturque, ut casto corpore adeatur, multo esse in animis id servandum magis. Nam illud vel aspersione aquae vel dierum numero tollitur: animi labes nec diurnitate evanescere nec amnibus ullis elui potest. 25. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri iubet, significat probitatem gratam esse deo, sumptum esse removendum. Quid enim? paupertatem quum divitiis etiam inter homines esse aequalem velimus, cur eam sumptu ad sacra addito deorum aditu arceamus? praesertim quum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. Quod autem non iudex, sed deus ipse vindicta constituitur, praesentis poenae metu religio confirmari videtur. Suosque deos aut novos aut alienigenas coli confusionem habet religionum et ignotas caerimonias

nias sacerdotibus. 26. Nam a patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi.

Oportere delubra esse in urbibus censeo, nec sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse tempa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera quorumque hic mundus omnis templum esset et domus. XI. Melius Graeci atque nostri, qui, ut augerent pietatem in deos, easdem illos quas nos urbes incolere voluerunt. Adfert enim haec opinio religionem utilem civitatibus: si quidem et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxime et pietatem et religionem versari in animis, quum rebus divinis operam daremus, et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere omnia [quae cernerentur] deorum esse plena: fore enim omnes castiores, veluti quum in fanis essent maxime religiosi. Est enim quaedam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus. 27. Eamdemque rationem luci habent in agris. Neque ea, quae a maioribus prodita est quum dominis tum famulis posita in fundi villaque conspectu, religio Larum repudianda est.

Iam ritus familiae patrumque servare, id est, quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a dis quasi traditam religionem tueri.

Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem et caeteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque divinos. 28. Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur humana: quarum omnium Romae dedicata publice templasunt, ut, illa qui habeant — habent autem omnes boni —, deos ipsos in animis suis collocatos putent. Nam illud vitiosum Athenis, quod Cylonio scelere expiato Epimenide Crete suadente fecerunt Contumeliae fanum et Impudentiae: virtutes enim, non vitia consecrare decet, araque vetusta in Palatio Febris et altera Esquiliis Malae Fortunae detestandae atque omnia eius modi repudianda sunt. Quod si fingenda nomina, Vicepotae potius atque Statae cognominaque Statoris et Invicti Iovis rerumque expetendarum nomina, Salutis, Honoris,

Opis, Victoriae. Quoniamque exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam Spes a Calatino consecrata est. Fortunaque sit vel Huius diei — nam valet in omnes dies — vel Respiciens ad opem ferendam, vel Fors, in quo incerti casus significantur magis, vel Primigenia a gignendo, comes tum . . . . .

XII. 29. Feriarum festorumque dierum ratio in liberis quietem habet litium et iurgiorum, in servis operum et laborum. Quas compositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. Quod ad tempus, ut sacrificiorum libamenta serventur fetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est: quod institutum perite a Numa posteriorum pontificum negligenter dissolutum est. Iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis. Plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes et respondendi iuris et confitendarum religionum facultatem adserunt. Quumque Vesta quasi focum urbis, ut Graeco nomine est appellata, quod nos prope idem Graecum non interpretatum nomen tenemus complexa sit, ei colendae virginis praesint, ut advigiletur facilius ad custodiad ignis et sentiant mulieres naturam feminarum omnem castitatem pati.

30. Quod sequitur vero, non solum ad religionem pertinet, sed etiam ad civitatis statum, ut sine eis, qui sacris publice praesunt, religioni privatae satis facere non possint. Continet enim rem publicam consilio et auctoritate optimatum semper populum indigere. Descriptioque sacerdotum nullum iustae religionis genus praetermittit. Nam sunt ad placandos deos alii constituti, qui sacris praesint sollempnibus, ad interpretanda alii praedicta vatum, neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, quisquam extra collegium nosset. 31. Maximum autem et praestantissimum in re publica ius est augurum cum auctoritate coniunctum. Neque vero hoc, quia ipsum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam

posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia vel instituta dimittere vel habita rescindere? Quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus augur 'alio die' dixerit? quid magnificentius quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosus quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare aut non dare? quid? legem, si non iure rogata est, tollere? ut Titiam decreto collegii, ut Livias, consilio Philippi consulis et auguris: nihil domi, nihil etiam militiae per magistratus gestum sine eorum auctoritate posse cuiquam probari?

XIII. 32. ATT. Age, iam ista video fateorque esse magna, sed est in collegio vestro inter Marcellum et Appium optimos augures magna dissensio — nam eorum ego in libros incidi —, quum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse rei publicae composita, alteri disciplina vestra quasi divinare videatur prorsus posse. Hac tu de re quaero quid sentias. M. Egone? divinationem, quam Graeci *μαντικὴν* appellant, esse sentio et huius hanc ipsam partem, quae est in avibus caeterisque signis disciplinae nostrae. Si enim deos esse concedimus eorumque mente mundum regi et eosdem hominum consulere generi et posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non video cur esse divinationem negem. 33. Sunt autem ea, quae posui, ex quibus id, quod volumus, efficitur et cogitur. Iam vero permultorum exemplorum et nostra est plena res publica et omnia regna omnesque populi cunctaeque gentes, augurum praedictis multa incredibiliter vera cecidisse. Neque enim Polyidi neque Melampidis neque Mopsi neque Amphiarai neque Calchantis neque Heleni tantum nomen fuisse neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum maximeque Pisidarum, nisi vetustas ea certa esse docuisse. Nec vero Romulus noster auspicato urbem condidisset neque Atti Navii nomen memoria floreret tam diu, nisi omnes hi multa ad veritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est quin haec disciplina et ars augurum evanuerit iam et vetustate et negligentia. Ita neque illi adsentior, qui hanc scientiam negat umquam in nostro collegio fuisse, neque illi, qui esse etiam

nunc putat. Quae mihi videtur apud maiores fuisse duplex, ut ad rei publicae tempus non numquam, ad agendi consilium saepissime pertineret. 34. ATT. Credo hercle ita esse istisque rationi potissimum adsentior. Sed redde caetera.

XIV. M. Reddam vero et id, si potero, brevi. Sequitur enim de iure belli. In quo et suscipiendo et gerendo et deponendo ius ut plurimum valeret et fides eorumque ut publici interpretes essent, lege sanximus. Iam de haruspicum religione, de expiationibus et procurationibus satis esse in ipsa lege dictum puto. ATT. Adsentior, quoniam omnis haec in religione versatur oratio. M. At vero quod sequitur, quo modo aut tu adsentiare aut ego reprehendam sane quaero, Tite. 35. ATT. Quid tandem id est? M. De nocturnis sacrificiis mulierum. ATT. Ego vero adsentior, excepto praesertim in ipsa lege sollemni sacrificio ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus Eumolpidaeque nostri et augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus? Non enim populo Romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus. 36. ATT. Excipis, credo, illa, quibus ipso initiati sumus. M. Ego vero excipiam? Nam mihi quum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exulti ad humanitatem et mitigati sumus, initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus, neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. Quid autem mihi displiceat in nocturnis poëtae indicant comici. Qua licentia Romae data quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne imprudentiam quidem oculorum adiici fas fuit? ATT. Tu vero istam Roniae legem rogato. Nobis nostras ne ademeris. XV. 37. M. Ad nostras igitur revertor; quibus profecto diligentissime sanciendum est, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat initienturque eo ritu Cereri, quo Romae initiantur. Quo in genere severitatem maiorum senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus et consulum exercitu adhibito quaestio animadversioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur

in media Graecia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Novos vero deos et in his colendis nocturnas pervigilations sic Aristophanes, facetissimus poëta veteris comediae, vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii di peregrini iudicati e civitate eiificantur.

Publicus autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus foedis damnet atque impiam iudicet.

38. Iam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certationi cursu et pugilatione et luctatione curriculisque equorum usque ad certam victoriam in circu constituti: in cavea cantui voce ac fidibus et tibiis, dum modo ea moderata sint, ut lege praescribitur. Adsentior enim Platoni nihil tam facile in animos teneros atque molles influere quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. Namque et incitat languentes et languefacit excitatos et tum remittit animos, tum contrahit, civitatumque hoc multarum in Graecia interfuit antiquum vocum conservare modum: quarum mores lapsi ad mollitias pariter sunt immutati cum cantibus aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant, aut, quum severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis etiam huic mutationi locus.

39. Quam ob rem ille quidem sapientissimus Graeciae vir longeque doctissimus valde hanc labem veretur. Negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Ego autem nec tam valde id timendum nec plane contemnendum puto. Illa quidem, quae solebant quondam compleri severitate iucunda Livianis et Naevianis modis, nunc ut eadem exsultant, cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent! Graviter olim ista vindicabat vetus illa Graecia longe providens quam sensim pernicies illapsa civium in animos malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret, si quidem illa severa Lacedaemon nervos iussit, quo plures quam septem haberet, in Timothei fidibus incidi.

XVI. 40. Deinceps in lege est, ut de ritibus patriis co-lantur optimi: de quo quum consulerent Athenienses Apol-

linem Pythium, quas potissimum religiones tenerent, oracula editum est, eas, quae essent in more maiorum. Quo quum iterum venissent maiorumque morem dixissent saepe esse mutatum quaesissentque quem morem potissimum sequerentur e variis, respondit: optimum. Et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum et deo proximum, quod sit optimum.

Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies priam Idaeae matris exceperimus: implet enim superstitione animos et exhaustus domus.

Sacrilego poena est neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. 41. Quod et nunc multis fit in fanis et Alexander in Cilicia deposuisse apud Solenses in delubro pecuniam dicitur et Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiae, civis egregius, quum rebus timeret suis, filiarum dotes credidisse.

Iam de periuriis, de incesto nihil sane hoc quidem loco disputandum est.

Donis impii ne placare audeant deos, Platonem audiant, qui vetat dubitare qua sit mente futurus deus, quum vir nemo bonus ab improbo se donari velit.

† Diligentia votorum satis in lege dicta est ac voti sponsio, qua obligamur deo. Poena vero violatae religionis iustum recusationem non habet.

Quid ego hic sceleratorum utar exemplis? quorum sunt plenae tragœdiae. Quae ante oculos sunt, ea potius attingantur. Etsi haec commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur, tamen, quoniam mihi sermo est apud vos, nihil reticebo, velimque hoc, quod loquar, dis immortalibus gratum potius videri quam grave hominibus.

XVII. 42. Quum perditorum civium scelere discessu meo religionum iura polluta sunt, vexati nostri Lares familiares, in eorum sedibus exaedificatum templum Licentiae, pulsus a delubris is, qui illa servarat, circumspicite vestris animis — nihil enim attinet quemquam nominari — qui sint rerum exitus consecuti. Nos, qui illam custodem urbis omnibus ereptis nostris rebus ac perditis violari ab impiis passi non sumus eamque ex nostra domo in ipsius patris

domum detulimus, iudicia senatus, Italiae, gentium denique omnium conservatae patriae consecuti sumus. Quo quid accidere potuit homini paeclarior? Quorum scelere religiones tum prostratae afflictaeque sunt, partim ex illis distracti ac dissipati iacent, qui vero ex iis et horum scelerum principes fuerant et praeter caeteros in omni religione impii, non solum vitae iucunditate atque decore, verum etiam sepultura ac iustis exsequiarum caruerunt. 43. Q. Equidem ista agnosco, frater, et meritas dis gratias ago, sed nimis saepe secus aliquanto videmus evadere. M. Non enim, Quinte, recte existimamus quae poena divina sit et opinonibus vulgi rapimur in errorem nec vera cernimus. Morte aut dolore corporis aut luctu animi aut offensione iudicij hominum miserias ponderamus, quae fateor humana esse et multis bonis viris accidisse. Sceleris est poena tristis et praeter eos eventus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui nisi odissent patriam, numquam inimici nobis fuissent, ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscientia, quid agerent, modo timentes, vicissim contemnentes religionis, iudicia perrupta ab iisdem et corrupta, hominum, non deorum. 44. Reprimam iam me, non insepar longius eoque minus quo plus poenarum habeo quam petivi. Tantum ponam, duplarem poenam esse divinam, quod constat et ex vexandis vivorum animis et ea fama mortuorum, ut eorum exitium et iudicio vivorum et gaudio comprobetur.

XVIII. 45. Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus adsentior, qui, si modo interpretari potuero, his fere verbis utitur: 'Terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est. Quocirca ne quis iterum idem consecrato. Aurum autem et argentum in urbibus et privatum et in fanis invidiosa res est. Tum ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo. Iam aes atque ferrum duelli instrumenta, non fani. Ligneum autem, quidquid voluerit, uno e ligno dedicato itemque lapideum in delubris communibus. Textile ne operosius quam mulieris opus menstruum. Color autem albus praecipue decorus deo est quum in caeteris tum maxime in textili. Tincta vero absint nisi a bellis insignibus, divinissima autem dona aves et formae ab

uno pictore uno absolutae die, itemque caetera huius exempli dona sunt. Haec illi placent. Sed ego caetera non tam restricte praefinio vel hominum vitiis vel insidiis temporum victus. Terra cultum segniorem suspicor fore, si ad eam utendam ferroque subigendam superstitionis aliquid accesserit.

ATT. Habeo ista. Nunc de sacris perpetuis et de manum iure restat. M. O miram memoriam, Pomponi, tuam! At mihi ista exciderant. 46. ATT. Ita credo, sed tamen hoc magis eas res et memini et exspecto, quod et ad pontificium ius et ad civile pertinent. M. Vero, et apertissima sunt istis de rebus et responsa et scripta multa, et ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo quoad potero eius ipsius generis ius civile nostrum, sed ita, locus ut ipse notus sit, ex quo ducatur quaeque pars iuris, ut non difficile sit, qui modo ingenio possit moveri, quaecumque nova causa consultative acciderit, eius tenere ius, quum scias a quo sit capite repetendum.

XIX. 47. Sed iuris consulti, sive erroris obiciundi causa, quo plura et difficilia scire videantur, sive, quod similius veri est, ignoratione docendi — nam non solum scire aliquid artis est, sed quaedam ars est etiam docendi — saepe quod positum est in una cognitione, id in infinita dispersiuntur, velut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scaevolae faciunt, pontifices ambo et iidem iuris peritissimi! Saepe, inquit Publili filius, ex patre audivi pontificem neminem bonum esse nisi qui ius civile cognosset. Totumne? quid ita? quid enim ad pontificem de iure parietum aut aquarum aut ullo omnino nisi eo, quod cum religione coniunctum est? Id autem quantulum est! De sacris, credo, de votis, de feriis, de sepulcris et si quid eius modi est. Cur igitur haec tanta facimus, quum caetera perparva sint, de sacris autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps familiis prodantur et, ut in lege posui, perpetua sint sacra. [Hocposito haec iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, iis est ea ad

iuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit.] 48. Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iuris consultorum libri: quaeruntur enim qui astringantur sacris. Heredum causa iustissima est. Nulla est enim persona, quae ad vicem eius, qui e vita migrarit, proprius accedit. Deinde, qui morte testamentove eius tantum capiat quantum omnes heredes. Id quoque ordine: est enim ad id, quod propositum est, accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis, quae eius fuerint, quum moritur, usu ceperit plurimum possidendo. Quarto, si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus eius qui plurimum servet. 49. Extrema illa persona est, ut si qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit neminique eam solverit, proinde habetur quasi eam pecuniam ceperit.

XX. Haec nos a Scaevola didicimus, non ita descripta ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant tribus modis sacris astringi: hereditate, aut si maiorem partem pecuniae capiat, aut si maior pars pecuniae legata est, si inde quipiam ceperit. 50. Sed pontificem sequamur. Videntis igitur omnia pendere ex uno illo, quod pontifices cum pecunia sacra coniungi volunt, iisdemque ferias et caermomias ascribendas putant. Atque etiam dant hoc Scaevolae, quum est partitio, ut, si in testamento deducta scripta non sit ipsique minus ceperint quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne adligentur. In donatione hoc iidem secus interpretantur, et quod pater familias in eius donatione, qui in ipsis potestate esset, approbavit, ratum est: quod eo insciente factum est, si id is non approbat, ratum non est. 51. His propositis quaestiuulae multae nascuntur, quas qui intelligat non, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat? Veluti, si minus quis cepisset, ne sacris adligaretur, ac post de eius heredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab eo, cuius ipse heres esset, praetermissum fuisset, eaque pecunia non minor esset facta cum superiore exactione, quam heredibus omnibus esset reicta, qui eam pecuniam exegisset, solum sine coheredibus sacris adligari. Quin etiam cavent, ut, cui plus legatum sit quam

sine religione capere liceat, is per aes et libram heredes testamenti solvat, propterea quod eo loco res est ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.

XXI. 52. Hoc ego loco multisque aliis quaero a vobis, Scaevolae, pontifices maximi et homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit quod ad ius pontificium civile appetatis. Civilis enim iuris scientia pontificium quodam modo tollitis. Nam sacra cum pecunia pontificum auctoritate nulla lege coniuncta sunt. Itaque si vos tantum modo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas, sed quod iidem iuris civilis estis peritissimi, hac scientia illa eluditis. Placuit P. Scaevolae et Ti. Coruncanio, pontificibus maximis, itemque caeteris, qui tantumdem caperet quantum omnes heredes, sacris adligari. Habeo ius pontificium. 53. Quid huc accessit ex iure civili? partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur: inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. Quod si hoc qui testamentum faciebat cavere noluisse, admonet iuris consultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat quam omnibus heredibus relinquatur. Super dicebant quid quid cepisset astringi. Rursus sacris liberantur. Hoc vero nihil ad pontificium ius et e medio est iure civili, ut per aes et libram heredem testamenti solvant et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur, sitque ea non [sacris adligata].

54. *Venio ad manum iura, quae maiores nostri et sapientissime instituerunt et religiosissime coluerunt. Februario autem mense, qui tum extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt, quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est, Decembri facere solebat. Cuius ego rei causam quum tecum quaererem, Brutum reperiebam idcirco a more maiorum discessisse — nam Sisennam video causam cur is vetus institutum non servari ignorare. Brutum autem maiorum nostrorum institutum temere neglexisse, non fit mihi verisimile] doctum hominem sane, cuius fuit Accius perfamilialis —, sed mensem, credo, extremum anni, ut veteres*

Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare pietatis esse adiunctum putabat.

XXII. 55. Iam tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra et gentem inferri fas regent esse, idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popilia iudicavit. Nec vero tam denicales, quae a nece appellatae sunt, quia residentur mortuis, quam caeterorum caelestium quieti dies feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. Eas in eos dies conerre ius, ut neque ipsius neque publicae feriae sint, totaque huius iuris compositio pontificalis magnam religionem caerimoniamque declarat. Neque necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii Lari vervecibus fiat, quem ad modum os resectum terra obtegatur, quaeque in porca contracta iura sint, quo tempore incipiat sepulcrum esse et religione teneatur.

56. At mihi quidem antiquissimum sepulturae genus illud fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terrae corpus et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulcro, quod haud procul a Fontis ara est, regem nostrum Numam conditum accepimus gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla victor, acerbiore odio incitatus, quam si tam sapiens fuisset quam fuit vehemens. 57. Quod haud scio an timens ne suo corpori posset accidere primus e patriciis Cornelii igni voluit cremari. Declarat enim Ennius de Africano:

*Hic est ille situs.*

Vere: nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt. Nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta et corpus incensum est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis venit usu, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contexerat, eumque morem ius pontificale confirmat. Nam prius quam in os iniecta glæba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta glæba tumulus is, ubi humatus est, [ex glæba] vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur.

Itaque in eo, qui in navi necatus, deinde in mare projectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non exstaret, porcam heredi esse contractam e' habendas triduum ferias et porco femina piandum, at si in mari mortuus esset, eademi praeter piaculum et ferias.

XXIII. 58. ATT. Video quae sint in pontificio iure. Sed quaero ecquidnam sit in legibus. M. Pauca sane, Tite, et, uti arbitror, non ignota vobis. Sed ea non tam ad religionem spectant quam ad ius sepulcrorum. HOMINEM MORTUUM, inquit lex in XII, IN URBE NE SEPELITO NEVE URITO. Credo, vel propter ignis periculum. Quod autem addit: NEVE URITO, indicat non qui uratur sepeliri, sed qui humetur. ATT. Quid? qui post XII in orbe sepulti sunt clari viri? M. Credo, Tite, fuisse aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum posteri iure tenuerunt, aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa soluti legibus consecuti sunt. Sed [ut] in urbe sepeliri lex vetat, sic decretum a pontificum collegio non esse ius in loco publico fieri sepulerum. Nostis extra portam Collinam aedem Honoris. Aram in eo loco fuisse memoriae proditum est. Ad eam quum lamina esset inventa et in ea scriptum lamina: HONORIS, ea causa fuit aedis huius dedicandae. Sed quum multa in eo loco sepulera fuisse, exarata sunt. Statuit enim collegium locum publicum non potuisse privata religione obligari.

59. Iam caetera in XII minuendi sumptus sunt lamentationisque funebris, translata de Solonis fere legibus. Hoc plus, inquit, NE FACITO. ROGUM ASCIA NE POLITO. Nostis quae sequuntur. Discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium, quas iam nemo discit. Extenuato igitur sumptu tribus riciniis cum clavis purpurae et decem tibicinibus tollit etiam lamentationem: MULIERES GENAS NE RADUNTO NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. Hoc veteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris, L. Aelius lessum quasi lugubrem eiulationem, ut vox ipsa significat: quod eo magis iudico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Haec laudabilia et locupletibus fere cum plebe communia.

Quod quidem maxime e natura est tolli fortunae discrimen in morte.

XXIV. 60. Caetera item funebria, quibus luctus augetur, XII sustulerunt. HOMINI, inquit, MORTUO NE OSSA LEGITO, QUO POST FUNUS FACIAT. Excipit bellicam peregrinamque mortem. Haec praeterea sunt in legibus de unctura: SERVILIS UNCTURA TOLLITOR OMNISQUE CIRCUMPUTATIO. Quae et recte tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent. NE SUMPTUOSA RESPERSIO, NE LONGAE CORONAE NEC ACERRAE praetereantur. Illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod CORONAM VIRTUTE PARTAM et ei, qui peperisset, et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet, credoque, quod erat factatum, ut uni plura fierent funera lectique plures sternenterentur, id quoque ne fieret lege sanctum est. Qua in lege quam esset, NEVE AURUM ADDITO, quam humane excipit altera lex: QUOI AURO DENTES VINCTI ESUNT, AST IM CUM ILLO SEPELIRE URERE SE FRAUDE ESTO. Et simul illud videtote, aliud habitum esse sepelire et urere. 61. Duae sunt praeterea leges de sepulcris, quarum altera privatorum aedificiis, altera ipsis sepulcris cavit. Nam quod ROGUM BUSTUMVE NOVUM vetat PROPIUS SEXAGINTA PEDES ADIICI AEDES ALIENAS INVITO DOMINO, incendium veretur acerbum. Quod autem FORUM, id est, vestibulum sepulcri BUSTUMVE USUCAPI vetat, tuetur ius sepulcrorum. Haec habemus in XII, sane secundum naturam, quae norma legis est. Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum, dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus, 62. honororum virorum laudes in contione memorentur easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen neniae, quo vocabulo etiam [a] Graecis cantus lugubres nominantur.

XXV. Q. Gaudeo nostra iura ad naturam accommodari, maiorumque sapientia admodum delector. M. Sed credo, Quinte, ut caeteri sumptus, sic etiam sepulcrorum modum recte requiri. Quos enim ad sumptus progressa iam ista res sit in C. Figuli sepulcro vides. Sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem, alioquin multa extarent exempla majorum. Nostrae quidem legis interpres, quo capite iubentur sumptus et luctum removere a

deorum manium iure, hoc intelligent in primis sepulcrorum magnificentiam esse minuendam. 63. Nec haec a sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permanit mortuum terra humandi, quam quum proximi iniecerant obductaque terra erat, frugibus obserbatur, ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur. Sequebantur epulæ, quas inibant propinqui coronati, apud quos de mortui laude quum quidquid veri erat praedicatum — nam mentiri nefas habebatur —, iusta confecta erant. 64. Postea quam, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt: quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam coniecerunt. Nam de tribus riciniis et pleraque illa Solonis sunt, de lamentis vero expressa verbis sunt: MULIERES GENAS NE RADUNTO NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO.

XXVI. De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius quam ‘ne quis ea deleat neve alienum inferat’ poenaque est, ‘si quis bustum’ — nam id puto appellari *τύμπον* — ‘aut monumentum’ inquit ‘aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.’ Sed post aliquanto propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sanctum est. ‘ne quis sepulcrum faceret operiosius quam quod decem homines effecerint triduo.’ 65. Neque id opere tectorio exornari nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi, nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis nec ab alio nisi qui publice ad eam rem constitutus esset dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur: auget enim luctum concursus hominum. 66. Quocirca Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum. Sed ait rursus idem Demetrius increbruisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quae nunc fere Romae est. Quam consuetudinem lege minuit ipse. Fuit enim hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam civis e re publica maxime tuendaque civitatis peritissimus. Iste igitur sumptum minuit non solum poena, sed etiam tempore ante lucem enim iussit efferi.

Sepulcris autem novis finivit modum. Nam super terrae tumulum noluit quidquam statui nisi columellam tribus cubitis ne altiore aut mensam aut labellum et huic procurationi certum magistratum praefecerat.

XXVII. 67. Haec igitur Athenienses tui. Sed videamus Platonem, qui iusta funerum reiicit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. De sepulcris autem dicit haec: vetat ex agro culto eove, qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro, sed quae natura agri tantum modo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detimento vivorum recipiat, ea potissimum ut compleatur, quae autem terra fruges ferre et ut mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat neve vivus neve mortuus. 68. Exstrui autem vetat sepulcrum altius quam quod quinque homines quinque diebus absolverint nec e lapide excitari amplius nec imponi quam quod capiat laudem mortui incisam ne plus quattuor herois versibus, quos longos appellat Ennius. Habemus igitur huius quoque auctoritatem de sepulcris summi viri, a quo item funerum sumptus praefinitur ex censibus a minis quinque usque ad maximam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum et reliqua post mortem tranquillitate bonorum, poenis impiorum. 69. Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionum locum. Q. Nos vero, frater, et copiose quidem, sed perge caetera. M. Pergam equidem et, quoniam libitum est vobis me ad haec impellere, hodierno sermone conficiam, spero, hoc praesertim die. Video enim Platonem idem fecisse omnemque orationem eius de legibus peroratam esse uno aestivo die. Igitur faciam et dicam de magistratibus. Id enim est profecto, quod constituta religione rem publicam contineat maxime. ATT. Tu vero dic et istam rationem quam coepisti tene.

## M. TULLII CICERONIS

## D E L E G I B U S

LIBER TERTIUS.

## A R G U M E N T U M.

Dis immortalibus proximi et dignitate et potestate sunt magistratus. Itaque constituta religione statim Cicero de magistratibus leges eodem modo prooemio et explicatione adiectis subiecit, quibus eorum genera, potestas imperiumque definiuntur. Ita autem sapienter a maioribus tota haec rei publicae pars constituta videbatur, ut non multum in ea novandum putaret. Quam ob rem descriptionem magistratum Romanam retinuit nec multum attulit novi. Explicationis magna pars interrit, in ea autem, quae mansit, egregiae et sapientes de legislationibus liberis, de potestate tribunicia, de senatus sanctitate et integritate, de legibus tabellariis etc. disputationes reperiuntur. In epilogo significantur librorum, qui intercederunt, consequentium summa.

I. 1. MARCUS. Sequar igitur, ut institui, divinum illum virum, quem quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo quam necesse est. ATT. Platonem videlicet dicens. M. Istum ipsum, Attice. ATT. Tu vero eum nec nimis valde umquam nec nimis saepe laudaveris. Nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem nisi suum laudari volant, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. M. Bene hercle faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius? cuius et vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. ATT. Sane gaudeo, quod te interpellavi, quoniam quidem tam praeclarum mihi dedisti iudicii tui testimonium. Sed perge, ut cooperas. 2. M. Laudemus igitur prius legem ipsam veris et propriis generis sui laudibus. ATT. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti.

M. Videtis igitur magistratus hanc esse vim, ut praesit praescribatque recta et utilia et coniuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus, vereque dici potest magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. 3. Nihil porro tam aptum est ad ius condicioneque naturae — quod quum dico, legem a me dici intelligi volo — quam imperium, sine quo nec domus ulla nec civitas nec gens nec hominum universum genus stare nec rerum natura omnis nec ipse mundus potest. Nam et hic deo paret et huic obediunt maria terraeque et hominum vita iussis supremae legis obtemperat. II. 4. Atque ut ad haec ceteriora veniam et notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines iustissimos et sapientissimos deferebatur, idque in re publica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit: deinde etiam deinceps posteris prodebatur, quod [et] in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper unius parere voluerunt. Nos autem, quoniam leges damus liberis populis quaeque de optima re publica sentiremus in sex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum. 5. Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest, quorumque descriptione omnis rei publicae moderatio continetur. Neque solum his praescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam et qui bene imperat paruerit aliquando necessar est et qui modeste paret videtur qui aliquando imperet dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum et illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse parendum. Nec vero solum ut obtemperent oboediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligentque praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus, noster vero Plato Titanum e genere statuit eos, qui ut illi caelestibus, sic hi adversentur magistratibus. Quae quum ita sint, ad ipsas iam leges veniamus, si placet.

Attr. Mihi vero et istud et ordo iste rerum placet.

III. 6. M. IUSTA IMPERIA SUNTO, IISQUE CIVIS MODESTE AC SINE RECUSATIONE PARENTO: MAGISTRATUS NEC OBOEDIENTEM ET NOXIUM CIVEM MULTA, VINCLIS VERBERIBUSVE COERCETO, NI PAR MAIORVE POTESTAS POPULUSVE PROHIBESSIT: AD QUOS PROVOCATIO ESTO. QUUM MAGISTRATUS IUDICASSIT INROGASITVE, PER POPULUM MULTAE POENAE CERTATIO ESTO, MILITIAE AB EO, QUI IMPERABIT, PROVOCATIO NE ESTO, QUODQUE IS, QUI BELLUM GERET, IMPERASSIT, IUS RATUMQUE ESTO.

MINORES MAGISTRATUS PARTITI IURIS PLURES IN PLOERA SUNTO: MILITIAE, QUI IUSSI ERUNT, IMPERANTO, EORUMQUE TRIBUNI SUNTO, DOMI PECUNIAM PUBLICAM CUSTODIUNTO, VINCLA SONTIUM SERVANTO, CAPITALIA VINDICANTO: AES, ARGENTUM AURUMVE PUBLICE SIGNANTO, STLITIS CONTRACTAS IUDICANTO, QUODCUMQUE SENATUS CREVERIT AGUNTO.

7. SUNTOQUE AEDILES CURATORES URBIS, ANNONAE LUDORUMQUE SOLLEMNIUM, OLLISQUE AD HONORIS AMPLIORIS GRADUM IS PRIMUS ADSCENSUS ESTO.

CENSORES POPULI AEVITATES, SUBOLE, FAMILIAS PECUNIASQUE CENSENTO, URBIS TEMPLA, VIAS, AQUAS, AERARIUM, VECTIGALIA TUENTO, POPULIQUE PARTES IN TRIBUS DESCRIBUNTO, EXIN PECUNIAS, AEVITATES, ORDINES PARTIUNTO, EQUITUM PEDITUMQUE PROLEM DESCRIBUNTO, CAELIBES ESSE PROHIBENTO, MORES POPULI REGUNTO, PROBRUM IN SENATU NE RELINQUUNTO: BINI SUNTO: MAGISTRATUM QUINQUENNIUM HABENTO, RELIQUI MAGISTRATUS ANNUI SUNTO, EAQUE POTESTAS SEMPER ESTO.

8. IURIS DISCEPTATOR, QUI PRIVATA IUDICET IUDICARIVE IUBEAT, PRAETOR ESTO: IS IURIS CIVILIS CUSTOS ESTO: HUIC POTESTATE PARI, QUOTCUMQUE SENATUS CREVERIT POPULUSVE IUS SERIT, TOT SUNTO.

REGIO IMPERIO DUO SUNTO, IIQUE PRAEEUNDO, IUDICANDO CONSULENDO PRAETORES, IUDICES, CONSULES APPELLANTOR: MILITIAE SUMMUM IUS HABENTO, NEMINI PARENTO: HIS SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO.

EUMDEM MAGISTRATUM, NI INTERFUERINT DECEM ANNI, NE QUIS CAPITO: 9. AEVITATEM ANNALI LEGE SERVANTO.

AST QUANDO DUELLUM GRAVIUS, DISCORDIAE CIVIUM ESCUNT, OENUS NE AMPLIUS SEX MENSES, SI SENATUS CREVERIT, IDEM IURIS QUOD DUO CONSULES TENETO ISQUE AVE SINISTRA DICTUS PO-

PULI MAGISTER ESTO: EQUITATUMQUE QUI REGAT, HABETO PARI  
IURE CUM EO, QUICUMQUE ERIT IURIS DISCEPTATOR.

AST QUANDO CONSULES MAGISTERVE POPULI NON ESCUNT, RE-  
LIQUI MAGISTRATUS NE SUNTO, AUSPICIA PATRUM SUNTO, OLLI-  
QUE EX SE PRODUNTO, QUI COMITIATU CREARE CONSULES RITE  
POSSIT.

IMPERIA, POTESTATES, LEGATIONES, QUUM SENATUS CREVE-  
RIT POPULUSVE IUSSERIT, EX URBE EXEUNTO, DUELLA IUSTA  
IUSTE GERUNTO, SOCIS PARCUNTO, SE ET SERVOS CONTINENTO,  
POPULI SUI GLORIAM AUGENTO, DOMUM CUM LAUDE REDEUNTO.

REI SUAE ERGO NE QVIS LEGATUS ESTO.

PLEBES QUOS PRO SE CONTRA VIM AUXILLII ERGO DECEM CREAS-  
SIT, TRIBUNI EIUS SUNTO, QUODQUE II PROHIBESSINT QUODQUE  
PLEBEM ROGASSINT, RATUM ESTO, SANCTIQUE SUNTO, NEVE PLE-  
BEM ORBAM TRIBUNIS RELINQUUNTO.

10. OMNES MAGISTRATUS AUSPICUM IUDICIUMQUE HABENTO,  
EXQUE IIS SENATUS ESTO, EIUS DECRETA RATA SUNTO: AST  
POTESTAS PAR MAIORVE PROHIBESSIT, [SENATUS CONSULTA] PER-  
SCRIPTA SERVANTO.

IS ORDO VITIO VACATO, CAETERIS SPECIMEN ESTO.

CREATIO MAGISTRATUM, IUDICIA POPULI, IUSSA VETITA QUUM  
SUFFRAGIO CONSCISCE TUR, OPTIMATIBUS NOTA, PLEBI LIBERA  
SUNTO.

IV. AST QUID ERIT, QUOD EXTRA MAGISTRATUS COERA-  
TORI OESUS SIT, QUI COERET, POPULUS CREATO EIQUE IUS COE-  
RANDI DATO.

CUM POPULO PATRIBUSQUE AGENDI IUS ESTO CONSULI, PRAE-  
TORI, MAGISTRO POPULI EQUITUMQUE EIQUE, QUEM PATRES PRO-  
DUNT CONSULUM ROGANDORUM ERGO, TRIBUNISQUE, QUOS SIBI  
PLEBES ROGASSIT, IUS ESTO CUM PATRIBUS AGENDI, IDEM AD  
PLEBEM, QUOD OESUS ERIT, FERUNTO.

QUAE CUM POPULO QUAEQUE IN PATRIBUS AGENTUR, MODICA  
SUNTO.

11. SENATORI, QUI NEC ADERIT, AUT CAUSA AUT CULPA  
ESTO: LOCO SENATOR ET MODO ORATO: CAUSAS POPULI TENETO.

VIS IN POPULO ABESTO. PAR MAIORVE POTESTAS PLUS VA-  
LETO. AST QUID TURBASSITUR IN AGENDO, FRAUS ACTORIS ESTO  
INTERCESSOR REI MALAE SALUTARIS CIVIS ESTO.

QUI AGENT, AUSPICIA SERVANTO, AUGURI PUBLICO PARENTO,  
PROMulgata, PROPOSITA IN AERARIO, COGNITA AGUNTO, NEC  
PLUS QUAM DE SINGULIS REBUS SEMEL CONSULEUNTO, REM POPULUM  
DOCENTO, DOCERI A MAGISTRATIBUS PRIVATISQUE PATIUNTO.

PRIVILEGIA NE INROGANTO: DE CAPITE CIVIS NISI PER MAXI-  
MUM COMITIATUM OLLOSQUE, QUOS CENSORES IN PARTIBUS POPULI  
LOCASSINT, NE FERUNTO.

DONUM NE CAPIUNTO NEVE DANTO NEVE PETENDA NEVE GE-  
RENDA NEVE GESTA POTESTATE: QUOD QVIS EARUM RERUM MI-  
GRASSIT, NOXIAE POENA PAR ESTO.

CENSORES FIDEM LEGUM CUSTODIUNTO: PRIVATI AD EOS ACTA  
REFERUNTO NEC EO MAGIS LEGE LIBERI SUNTO.

Lex recitata est. Discedere et tabellam iubebo dari.

V. 12. Q. Quam brevi, frater, in conspectu posita est  
a te omnium magistratum descriptio, sed ea paene nostrae  
civitatis, etsi a te paullum adlatum est novi. M. Rectis-  
sime, Quinte, animadvertis. Haec est enim, quam Scipio  
laudat in illis libris et quam maxime probat temperationem  
rei publicae, quae effici non potuisset nisi tali descriptione  
magistratum. Nam sic habetote, magistratibus iisque, qui  
praesint, contineri rem publicam et ex eorum composi-  
tione quod cuiusque rei publicae genus sit intelligi. Quae  
res quum sapientissime moderatissimeque constituta esset  
a maioribus nostris, nihil habui sane, non modo multum,  
quod putarem novandum in legibus. 13. ATT. Reddes igitur  
nobis, ut in religionis lege fecisti admonitu et rogatu  
meo, sic de magistratibus, ut disputes quibus de causis  
maxime placeat ista descriptio. M. Faciam, Attice, ut vis,  
et locum istum totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum  
et disputatum est, explicabo et, ut institui, nostra iura attin-  
gam. ATT. Istud maxime exspecto disserendi genus. M. At-  
qui pleraque sunt dicta in illis libris, quod faciendum fuit,  
quum de optima re publica quaereretur. 14. Sed huius  
loci de magistratibus sunt propria quaedam, a Theophrasto  
primum, deinde a Diogene Stoico quaequa subtilius.

VI. ATT. Ain tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt?  
M. Non sane nisi ab eo, quem modo nominavi, et postea

a magno homine et in primis erudito, Panaetio. Nam veteres verbo tenuis acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem de re publica disserebant. Ab hac familia magis ista manarunt Platone principe. Post Aristoteles illustravit omnem hunc civilem in disputando locum Heraclidesque Ponticus profectus ab eodem Platone. Theophrastus vero institutus ab Aristotele habitavit, ut scitis, in eo genere rerum ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi studioque non defuit. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non modo in solem atque in pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in re publica viros et doctissimos homines non nimis in re publica versatos multos commemorare possumus: qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda civitate princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest?

VII. 15. ATTR. Puto posse et quidem aliquem de tribus nobis. Sed perge, ut coeperas.

M. Quaesitum igitur ab illis est placeretne unum in civitate esse magistratum cui reliqui parerent, quod exactis rebus intelligo placuisse nostris maioribus. Sed quoniam regale civitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni quam regis vitiis repudiatum est, nomen tantum videbitur regis repudiatum, res manebit, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit. 16. Qua re nec ephori Lacedaemon sine causa a Theopompo oppositi regibus nec apud nos consulibus tribuni. Nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerat, esset. Hoc enim primum minuit consulaire ius, quod exstitit, ipse qui eo non teneretur, deinde quod attulit auxilium reliquis non modo magistratibus, sed etiam privatis consuli non parentibus. 17. Q. Magnum dicis malum: nam ista potestate nata gravitas optimatum cecidit convaluitque vis multitudinis. M. Non est, Quinte, ita. Non enim ius illud solum superbius populo, sed violentius videri

necessae erat, quo postea quam modica et sapiens temperatio accessit, conversa lex in omnes est.....

VIII. 18. DOMUM CUM LAUDE REDEUNTO. Nihil enim praeter laudem bonis atque innocentibus neque ex hostibus nego a sociis reportandum.

Iam illud apertum est profecto, nihil esse turpius quam quemquam legari nisi rei publicae causa. Omitto quem ad modum isti se gerant atque gesserint, qui legatione hereditates aut syngraphas suas persequuntur. In hominibus est hoc fortasse vitium, sed quaero quid reapse sit turpius quam sine procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo rei publicae munere? Quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videbatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levis tribunus plebis tum intercessisset, sustulisset. Tamen minui tempus et, quod erat infinitum, annum feci. Ita turpitudo manet diuturnitate sublata.

Sed iam, si placet, de provinciis decadatur in urbemque redeatur. ATTR. Nobis vero placet, sed iis, qui in provinciis sunt, minime placet. 19. M. At vero, Tite, si parebunt his legibus, nihil erit his urbe, nihil domo sua dulcior nec laboriosius molestiusque provincia.

Sed sequitur lex, quae sancit eam tribunorum plebis potestatem, quae est in re publica nostra, de qua disseri nihil necesse est. Q. At mehercule ego, frater, quaero de ista potestate quid sentias. Nam mihi quidem pestifera videtur, quippe quae in seditione et ad seditionem nata sit: eius primum ortum si recordari volumus, inter arma civium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum videmus. Deinde quum esset cito necatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer, brevi tempore recreatus multoque taetrior et foedior natus est. IX. Quae enim ille non edidit? qui primum, ut impio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit, quum adflxisset principum gravitatem, numquam tamen conquievit. 20. Namque ut C. Flaminium atque ea, quae iam prisca videntur propter vetustatem, re-

linquam, quid juris bonis viris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante D. Brutum et P. Scipionem consules — quos et quantos viros! — homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus plebis C. Curiatius, in vincula coniecit, quod ante factum non erat. C. vero Gracchus ruinis et iis sicis, quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem rei publicae statum permutavit? Quid iam de Saturnino, Sulpicio, reliquis dicam? quos ne depellere quidem a se sine ferro potuit res publica? 21. Cur autem aut vetera aut aliena proferam potius quam et nostra et recentia? Quis umquam tam audax, tam nobis inimicus fuisse, ut cogitaret umquam de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos? quem cum homines scelerati ac perdit non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes sibi in tenebris rei publicae perturbandas putaverunt. Quod nobis quidem egregium et ad immortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisse tribuno. 22. Sed ille quas strages edidit! eas videlicet, quas sine ratione ac sine ulla spe bona furor edere potuit impurae beluae multorum inflammatus furoribus. Quam ob rem in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis plebis sua lege iniuria facienda potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit, Pompeiumque nostrum caeteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus, de tribunica potestate taceo: nec enim reprehendere libet nec laudare possum. X. 23. M. Vitia quidem tribunatus praecclare, Quinte, perspicis. Sed est iniqua in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumeratio vitiorumque selectio. Nam isto quidem modo vel consultus vituperari potest, si consulm, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali. Sed bonum, quod est quae situm in ea, sine isto malo non haberemus. — Nimia potestas est tribunorum plebis. — Quis negat? Sed vis populi multo saevior multoque vehementior, quae ducem quod habet, interdum lenior est quam si nullum haberet. Dux enim suo

periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem sui non habet. 24. At aliquando incenditur. Et quidem saepe sedatur. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? Quin ipsum Ti. Gracchum non solum neglectus, sed etiam sublatus intercessor straverat. Quid enim illum aliud pereculit nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogavit? Sed tu sapientiam maiorum in illo vide. Concessa plebi a patribus ista est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se putarent: in quo uno fuit civitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et praeter eos quamvis enumeres multos licet: quum deni creantur, non nullos in omni memoria reperies permicosos tribunos, leves, etiam non bonos fortasse plures. Invidia quidem summus ordo caret, plebes de suo iure periculosas contentiones nullas facit. 25. Quam ob rem aut exigendi reges non fuerunt aut plebi re, non verbo danda libertas: quae tamen sic data est, ut multis praeclaris institutis adduceretur, ut auctorati principum cederet. XI. Nostra autem causa, quae, optime et dulcissime frater, incidit in tribuniam potestatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. Non enim plebes incitata nostris rebus invicit, sed vincula soluta sunt et servitia incitata adjuncto terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum gravissimo rei publicae tempore, cui si non cessissem, non diuturnum beneficii mei patria fructum tulisset. Atque hoc rei exitus indicavit. Quis enim non modo liber, sed etiam servus libertate dignus fuit cui nostra salus cara non esset? 26. Quod si is casus fuisse rerum, quas pro salute rei publicae gessimus, ut non omnibus gratus esset, et, si nos multitudinis furentis inflammati invidia pepulisset tribunicaque vis in me populum, incitasset, ferremus, o Quinte frater, consolarenturque nos non tam philosophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quam clarissimi viri, qui illa urbe pulsi carere ingrata civitate quam manere in improba maluerunt. Pompeium vero quod una ista in re non ita valde probas, vix satis mihi illud

videris attendere, non solum ei quid esset optimum videntem fuisse, sed etiam quid necessarium. Sensit enim deo non posse huic civitati illam potestatem: quippe quam tanto opere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem civis fuit causam nec perniciosa et ita popularum, ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere. Scis solere, frater, in huius modi sermone, ut transiri alio possit, dici 'Admodum' aut 'Prorsus ita est.' Q. Haud equidem adsentior, tu tamen ad reliqua pergas velim. M. Perseveras tu quidem et in tua vetere sententia permanes. ATT. Nec mehercule ego sane a Quinto nostro dissentio. Sed ea, quae restant, audiamus.

XII. 27. M. Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia et iudicia dantur: iudicia, ut esset populi potestas ad quam provocaretur, auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impidirent morae: saepe enim populi impetum iniustum auspiciis di immortales represserunt.

Ex iis autem, qui magistratum ceperunt, quod senatus efficitur, populare est sane neminem in summum locum nisi per populum venire sublata cooptatione censoria. Sed praesto est huius vitii temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas. 28. Sequitur enim: EIUS DECRETA RATA SUNTO. Nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii quodque is creverit defendant omnes, et, si ordines reliqui principis ordinis consilio rem publicam gubernari velint, possit ex temperatione iuris, quum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status, praesertim si proximae legi parebitur. Nam proximum est: IS ORDO VITIO CARETO, CAETERIS SPECIMEN ESTO. Q. Praeclara vero, frater, ista lex est, et late patet, ut vitio careat ordo, et censorem quaerit interpres. 29. ATT. Ille vero, etsi tuus est totus ordo gratissimamque memoriam retinet consulatus tui, pace tua dixerim, non modo censure, sed etiam iudices omnes potest defatigare.

XIII. M. Omitte ista, Attice. Non enim de hoc senatu nec his de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui

forte his legibus parere voluerint, haec habetur oratio. Nam quum omni vitio carere lex iubeat, ne veniet quidem in eum ordinem quisquam vitii particeps. Id autem difficile factu est nisi educatione quadam et disciplina: de qua dicemus aliquid fortasse, si quid fuerit loci aut temporis. 30. ATT. Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum, tempus vero largitur longitudi diei. Ego autem, etiam si praeterieris, repetam a te istum de educatione et de disciplina locum. M. Tu vero et istum, Attice, et si quem alium praeterii. CAETERIS SPECIMEN ESTO. Quod si teneamus, tenemus omnia. Ut enim cupiditatibus principum et vitii infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continetia. Vir magnus et nobis omnibus amicus, L. Lucullus, ferebatur quasi commodissime respondisset, quum esset obiecta magnificentia villaे Tusculanae, duos se habere vicinos, superiorem, equitem Romanum, inferiorem, libertum: quorum quum essent magnificaе villaе, concedi sibi oportere, quod iis, qui inferioris ordinis essent, liceret. Non vides, Luculle, a te id ipsum natum ut illi cuperent? quibus id, si tu non faceres, non liceret. 31. Quis enim ferret istos, quum videret eorum villas signis et tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris et religiosis? Quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupiditatis eiusdem tenerentur?

XIV. Nec enim tantum mali est peccare principes, quamquam est magnum hoc per se ipsum malum, quantum illud, quod permulti imitatores principum existunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse: quaecumque mutatio morum in principibus extiterit, camdem in populo secuturam. 32. Idque haud paullo est verius quam quod Platoni nostro placet, qui musicorum cantibus ait mutatis mutari civitatum status. Ego autem nobilium vita victuque mutato mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de re publica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitate, neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam

peccato nocent. Atque haec lex dilatata in ordinem cunctum coangustari etiam potest: pauci enim atque admodum pauci honore et gloria amplificati vel corrumpere mores civitatis vel corrigere possunt. Sed haec et nunc satis et in illis libris tractata sunt diligentius. Qua re ad reliqua veniamus.

XV. 33. Proximum autem est de suffragiis: quae iubet nota esse optimatibus, populo libera. ATT. Ita mehercule attendi nec satis intellexi quid sibi lex aut quid verba ista vellent. M. Dicam, Tite, et versabor in re difficii ac multum et saepe quaesita, suffragia in magistratu mandando ac de reo iudicando atque in lege aut rogatione sciscenda clam an palam ferre melius esset. Q. An etiam id dubium est? Vereor ne a te rursus dissentiam. M. Non facies, Quinte. Nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius, sed obtineri an possit videndum est. 34. Q. Atqui, frater, bona tua venia dixerim, ista sententia maxime et fallit imperitos et obest saepissime rei publicae, quum aliquid verum et rectum esse dicitur, sed obtineri, id est, obsisti posse populo negatur. Primum enim obsistitur, quum agitur severe, deinde vi opprimi in bona causa est melius quam malae cedere. Quis autem non sentit omnem auctoritatem optimatum tabellarium legem abstulisse? quam populus liber numquam desideravit, idem oppressus dominatu ac potentia principum flagitavit. Itaque graviora iudicia de potentissimis hominibus exstant vocis quam tabellae. Quam ob rem suffragandini nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua bonis ignorantibus quid quisque sentiret tabella vitiosum occultaret suffragium. Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus nec auctor umquam bonus. XVI. 35. Sunt enim quattuor leges tabellariae, quarum prima de magistratibus mandandis. Ea est Gabinia, lata ab homine ignoto et sordido. Secuta biennio post Cassia est de populi iudiciis, a nobili homine lata, L. Cassio, sed, pace familiae dixerim, dissidente a bonis atque omnes rumulos populari ratione aucupante. Carbonis est tertia de iubendis legibus ac vetandis, seditiosi

ataque improbi civis, cui ne redditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit adferre. 36. Uno in genere relinquvi debatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque iudicio C. Caelius tabellam doluitque quoad vixit se, ut oppimeret C. Popilium, nocuisse rei publicae. Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio quoad vixit restitutus M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellarium: excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius eius Marius in Aegaeo excitavit mari. Ac nostro quidem, quum res esset ad se delata, M. Scaurus consul: Utinam inquit, M. Cicero, isto animo atque virtute in summa re publica nobiscum versari quam in municipali maluisses! 37. Quam ob rem, quoniam non recognoscimus nunc leges rei publicae Romanae, sed aut repetitus ereptas aut novas scribimus, non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit tibi dicendum puto. Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. Tu si tabellarium tuleris, ipse praestabis: nec enim mihi placet nec Attico nostro, quantum e vultu eius intelligo. XVII. ATT. Mihi vero nihil umquam populare placuit eamque optimam rem publicam esse dico, quam hic consul constituerat, quae sit in potestate optimorum. 38. M. Vos quidem, ut video, legem antiquastis sine tabella. Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen ita libertatem istam largior populo, ut auctoritate et valeant et utantur boni. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis: OPTIMATIBUS NOTA, PLEBI LIBERA SUNTO. Quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tollat, quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellat. Pontes etiam lex Maria fecit angustos. 39. Quae si opposita sunt ambitionis, ut sunt fere, non reprehendo: sin valuerint tantum leges, ut ne sint ambitus, habeat sane populus tabellam quasi vindicem libertatis, dum modo haec optimo cuique et gravissimo civi ostendatur ultroque offeratur, ut in eo sit ipso libertas, in quo populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud, quod a te modo, Quinte,

dictum est, ut minus multos tabella condemnnet quam solebat vox, quia populo licere satis est. Hoc retento reliqua voluntas auctoritati aut gratiae traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis quod optimi viri sentiant? Quam ob rem lege nostra libertatis species datur, auctoritas bonorum retinetur, contentionis causa tollitur.

XVIII. 40. Deinde sequitur, quibus ius sit cum populo agendi aut cum senatu. Gravis et, ut arbitror, praeclarlex: **QUAE CUM POPULO QUAEQUE IN PATRIBUS AGENTUR, MODICA SUNTO**, id est, modesta atque sedata. Actor enim moderatur et fingit non modo mentem ac voluntates, sed paene vultus eorum, apud quos agit. Quod nisi in senatu non difficile est: est enim ipse senator is, cuius non ad actorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. Huic iussa tria sunt, ut adsit: nam gravitatem res habet, quum frequens ordo est: ut loco dicat, id est, rogatus: ut modo, ne sit infinitus: nam brevitas non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia. Nec est umquam longa oratione utendum nisi aut peccante senatu, quod fit ambitione saepissime nullo magistratu adiuvante tolli diem utile est, aut quum tanta causa est, ut opus sit oratoris copia vel ad hortandum vel ad docendum. Quorum generum in utroque magnus noster Cato est. 41. Quodque addit, **CAUSAS POPULI TENETO**, est senatori necessarium nosse rem publicam: idque late patet: quid habeat militum, quid valeat aerario, quos socios res publica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, condicione, foedere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum. Videtis iam genus hoc omne scientiae, diligenciae, memoriae esse, sine quo paratus esse senator nullo pacto potest. 42. Deinceps sunt cum populo actiones, in quibus primum et maximum: **VIS ABESTO**. Nihil est enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium iuri et legibus, nihil minus et civile et humanum quam composita et constituta re publica quidquam agi per vim. Parere iubet in tercessori: quo nihil praestantius: impediri enim bonam rem melius quam concedi malae.

XIX. Quod vero actoris iubeo esse fraudem, id totum dixi ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia: quem est senatus secutus, quum decrevisset C. Claudio consule de Cn. Carbonis seditione referente, invito eo, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium, simul atque intercessum turbarique coeptum sit, dimittere. Quod qui permovet, quum agi nihil potest, vim quaerit, cuius impunitatem amittit hac lege. Sequitur illud: **INTERCESSOR REI MALAE SALUTARIS CLVIS ESTO**. 43. Quis non studiose rei publicae subvenerit hac tam paeclarla legis voce laudatus? Sunt deinde posita deinceps, quae habemus etiam in publicis institutis atque legibus: **AUSPICIA SERVANTO, AUGURI PARENTO**. Est autem boni auguris meminisse maximis rei publicae temporibus praesto esse debere Iovique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi eos, quos in auspicio esse iusserit, caerule partes sibi definitas esse traditas, de quibus saepe opem refre possit. Deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de privatis magistratibus audiendis.

44. Tum leges paeclarissimae de XII tabulis translatae duae: quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari nisi maximo comitiatu vetat. Et nondum inventis seditionis tribunis plebis, ne malis quidem, admirandum, tantum maiores in posterum providisse. In privos homines leges ferri noluerunt: id est enim privilegium: quo quid est iniustius? quum legis haec vis sit, ut sit scitum et iussum in omnes? Ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus enim populus censu, ordinibus, aetatis plus adhibet ad suffragium consilii quam fuse in tribus convocatus. 45. Quo verius in causa nostra vir magni ingenii summaque prudentia, L. Cotta, dicebat nihil omnino actum esse de nobis: praeter enim quam quod omnia illa essent armis gesta servilibus, praeterea neque tributa capititis comitia rata esse posse neque ulla privilegii. Quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. Sed visum est et vobis et clarissimis viris melius, de quo servi et latrones scivisse ali-

quid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam quid sentiret ostendere.

XX. 46. Sequitur de captis pecuniis et de ambitu. Quae quoniam magis iudiciis quam verbis sancienda sunt, adiungitur: *Noxiae poena par esto*, ut in suo vitio quisque plectatur, vis capite, avaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur. Extremae leges sunt nobis non usitatae, rei publicae necessariae. Legum custodiam nullam habemus. Itaque eae leges sunt, quas apparitores nostri volunt: a librariis petimus, publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius, apud quos νομοφύλακες creantur, nec solum litteras — nam id quidem etiam apud maiores nostros erat —, sed etiam facta hominum observabant ad legesque revocabant. 47. Haec detur cura censoribus, quando quidem eos in re publica semper volumus esse. Apud eosdem, qui magistratu abierint, edant et exponant quid in magistratu gesserint, deque iis censores praeiudicent. Hoc in Graecia fit publice constitutis accusatoribus. Qui quidem graves esse non possunt, nisi sunt voluntarii. Quocirca melius est rationes referri causamque exponi censoribus, integrum tamen legem accusatori iudicioque servari.

Sed satis iam disputatum est de magistratibus, nisi forte quid desideratis. ATT. Quid? si nos tacemus, locus ipse te non admonet quid tibi sit deinde dicendum? M. Mihine? de iudiciis arbitror, Pomponi: id est enim iunctum magistratibus. 48. ATT. Quid? de iure populi Romani, quem ad modum instituisti, dicendum nihil putas? M. Quid tandem hoc loco est quod requiras? ATT. Egone? quod ignorari ab iis, qui in re publica versantur, turpissimum puto. Nam, ut modo a te dictum est, leges a librariis peti, sic animadverto plerosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. Quam obrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti, quum de religione leges proposueras, faciendum tibi est, ut magistratibus lege constitutis de potestatum iure disputes. 49. M. Faciam breviter, si consequi potuero: nam pluribus

verbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius Sodalis perite meo quidem iudicio et diligenter. Non autem de iure naturae cogitare per nos atque dicere debemus, de iure populi Romani, quae relieta sunt et tradita. ATT. Sic profecto censeo, et id ipsum, quod dicis, exspecto.

## FRAGMENTA

### LIBRI I. DE LEGIBUS.

Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohaeret ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi pravitate dissentient nec se intelligunt esse consanguineos et subiectos sub unam eandemque tutelam: quod si teneretur, deorum profecto omnes vitam viverent. [Lactantius lib. V. cap. 8.]

### LIBRI II. DE LEGIBUS.

Magnum audaxque consilium Graecia suscepit, quod Cupidinum et Amorum simulaera in Gymnasiis consecravit. [Lactantius lib. I. cap. 20.]

### LIBRI V. DE LEGIBUS.

Visne igitur, quoniam sol paullulum a meridie iam devexus videtur nequedum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirim eaque, quae restant, in illis alnorum umbraculis persequamur? [Macrobius Saturnal. lib. VI. cap. 4.]

### INCERTORUM LIBRORUM DE LEGIBUS.

1. Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem, quam qui est in vita, aut certe non deteriorem est adlatura statum: nam sine corpore animo vigente divina est vita, sensu carente nihil profecto est mali. [Lactantius lib. III. cap. 19.]

2. Octo poenarum genera in legibus continentur, dam-

num, vincula, verbera, talio, ignominia, exsilium, mors, servitus. [Augustinus de civ. dei lib. XXI. cap. 11.]

3. *Cicero ait in libris legum:* Stipem prohibeo: nam auget superstitionem et exhaustus domos. Dignis igitur la- giendum est. [Servius in Virg. Aen. lib. VI. v. 611.]